Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Marcus Iunianus Iustinus

Iustini historiarum Ex Trogo Pompeio Lib. XLIV.

Hamburgi: Völckerus, 1678

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0001
DFG

20. C. 16.

115.6

Cd_5847

~~C. II. e. 3348.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn796844801/phys_0002
DFG





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0004
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0006
DFG

PRÆFATIO JUSTIANI.

QVum multi ex Romanis, etiam Consularis dignitatis viri, res Romanas Græco peregrinoque sermone in historiam contulissent: sive æmulatione gloriæ, sive varietate & novitate operis delectatus, vir priscæ eloquentiæ Trogus Pompeius, Græcas, & totius orbis historias Latino sermone composuit: ut cum nostra Græce, Græca quoque nostra lingua legi possent: prorsus rem magni & animi, & corporis aggressus. Nam cum plerisque auctoribus, singulorum regum vel populorum res gestas scribentibus, opus suum ardui laboris videantur: nonne nobis Pompeius, Herculea audacia orbem terrarum aggressus videri debet: cujus libris omnium seculorum regum, nationum, populorumque res gestæ continentur? Et quæ historici Græcorum, prout commodum cuique fuit, inter se segregati occupaverunt, omissis quæ sine fructu erant, ea omnia Pompeius divisa temporibus, &

serie rerum digesta composuit. Horum igitur quatuor & quadraginta voluminum (nam totidem edidit) per otium, quo in Urbe versabamur, cognitione quæque dignissima excerpsi: & omissis quæ nec cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo erant necessaria, breve veluti florum corpusculum feci: ut haberent & qui Græca didicissent, quo ad monerentur; & qui non didicissent, quo instruerentur. Quod ad te, non tam cognoscendi, quam emendandi causa transmisi: simul ut & otii mei, cujus & Cato reddendam operam putat, apud te ratio constaret. Sufficit enim mihi in tempore judicium tuum, apud posteros, cum obtrectationis invidia decesserit, industriæ testimonium habituro.

TRO-

TROGI POMPEII FRAGMENTA.

De eodem, & Justino, veterum auctorum loca.

Prisciamus LIB. VI.

TRogus Pompeius lib. 6 inde *Scepsim* petit, quo se media interfecta socru contulerat, is ab Herculide petito colloquio.

In Ms. Prisciani leguntur hæc ex lib. 3, *pro* se media, *Mediolanensis editio habet*, è Media. *unde legebam olim*, se è Media, *sed ex lib.* 3. *Hellen. Xenophontis legendum*: quo se Midias. *Locum ipsum lector consulat. De* Herculide *autem qui in Mss. Iustini est* Derculides, *dixi ad libr.* 6. 1, 2.

Idem LIB. V.

Trogus historicus in XXII. femininum à flamine, protulit hæc flaminea. Papicio propter mortem flammineæ; flaminio obiit.

Duo Mss. Papicio flaminæ (*unus* flaminiæ) flaminio obiit. *Legio* Papirius propter mortem flamineæ, fla-

minio abiit. *A. Gellius lib.* 10. *cap.* 15. *de flamine Diali.* Uxorem si amisit, *inquit* flaminio pecedit. *Sed quæ Trogo & Prisciano est flaminea, Gallio est flaminica, & flaminia, flaminis domus.*

VIRGILII.

Interpres vetus qui est apud P. Danielem, in illud tertii Æneid.

Teucrus Rhœteas primum est advectus in oras.

TEUCRUS. De hoc fabula duplex est: Nam & de parentibus ejus dupliciter traditur. Alii enim Cureas & Idæ Nymphæ; alii inter quos Trogus, Scamandri filium tradunt: qui *Scamander*, cum *Creta* frugum inopia laboraret, cum parte tertia populi, ad exteras sedes querendas profectus est, ab Apolline monitus, ibi eum habiturum sedes, ubi noctu à terrigenis oppugnatus esset: Cum ad Frygiam veniſſet, & castra posuisset, noctu mutes arcuum nervos & laboramenta armorum adroserunt. Scamander hos inter-

interpretatus hostes esse terrigenas, in Idæ montis radicibus ædificia collocavit: qui cum adversus finitimos bellum gereret, victor in Fanto flumine lapsus non comparuit; qui post à Cretensibus in honorem regis sui Scamander apellatus est. Filioque ejus Teucro regnum traditum, qui cives è suo nomine Teucros appellavit, qui post à rege Troë Trojani dicti sunt, & templum Apollini constituit, quem Sminthium appellavit; Cretenses enim murem Sminthicem dicunt, *&c.*

Leg. arbitor, nervos & loramenta armorum. *Et statim*, Xantho flumine.

Idem ad illud 4 Æneïd.

Ductoresque alii quos Africa terra triumphis
Dives alit. —

Triumphis dives, id est, bellicosa, & quidam picunt, Astros nunquam triumphasse. Plinius autem Secundus historiæ naturalis, & Pompeius Trogus, Astros dicunt pompam triumphi primos invenisse, quam sibi Romani postea

vindicaverunt. Libius autem Andronicus refert, eos de Romanis sæpius triumphasse, suosque porticus Romanis spoliis adornasse, merito ergo dives triumphis.

Pro Astros, *legendum omnino* Afros. *Cartachinienses triumphasse, indicat etiam liber* XIX. *Iustini.*

PLINIUS.

In Indice Historiæ Naturalis, Trogum auctorum multis locis laudat, ut lib. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 31. Quæ ex eo transtulit, non arbitror esse ex libris historiam.

LIBR. VII. CAP. III.

ET in Ægypto septenos uno utero simul gigni, auctor est Trogus. *Eadem fere totidem verbis Solinus lib.* 3.

LIB. XI. CAP. XXXIX.

Pili à cute exeunt crassa, hirti; feminis tenuiores, equis in juba largi, in armis

armis leoni: dasypodi & in buccis intus, & in pedicus: quæ utraque Trogus & in lepore tradit, hoc exemplo libidinosiores hominum quoque colligens.

CAP. LII.

Addidit morum quoque aspectus simili modo apud nos Trogus, & ipse auctor severissimus, quos verbis ejus subjiciam. Frons ubi est magna, segnem animum subesse significat; quibus parva, mobilem; quibus rotunda, iracundum, velut hoc vestigio tumoris apparente. Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles significant; quibus juxta nasum flexa sunt, austeros; quibus juxta tempora infixa derisores; quibus in totum deflexa, malevolos & invidos. Oculi quibuscunque sunt longi, maleficos esse judicant; qui carnosos à naribus angulos habent, malitiæ notam præbent: candidi pars extenta, notam impudentiæ habet qui identidem operire solent, inconstantiæ. Oricularum magnitudo, loquacitatis & stultitiæ nota est. Hactenus Trogus.

LIB. XVII. CAP. X.

Nam folia palmarum apud Babylo-

nios, seri atque ita arborem provenire, Trogum credidisse demitor.

LIB. XXXI. CAP. ULT.

Trogus auctor est, circa Lyciam penicillos molliſſimos nasci in alto, unde ablatæ sint spongiæ.

Charsius LIB. I.

Sed & Valgius, & Verrius, & Trogus de animalibus: hæres lacte dicuntur; at consuetudo tamen aliud sequitur.

Lag. fortasse, hi tres lacte dicunt.

Fl. Vopiscus in Aureliano.

Neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentium: prodente quinetiam, in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convincerentur.

Idem in Probo.

Et mihi quidem id animi fuit, non ut Sallustios, Livios, Tacitos, Trogus atque omnes difertissimos imitarer viros in vita principum & temporibus differendis.

Hie-

Hieronimus Proœmio in Danielem.

Ad intelligendas autem extremas partes Danielis, multiplex Græcorum historia necessaria est, &c. præcipueque nostri Livii, & Pompeii Trogi, & Justini, qui omnem extremæ visionis narrant historiam; & post Alexandrum usque ad Cæsarem Augustum. Syriæ & Ægypti, id est, Seleuci & Antiochi, & Ptolemeorum bella describunt.

Idem in CAP. V. *Danielis.*

Quo (*de Balthasare loquitur*) interfecto, à Dario rege Medorum, qui Cyri regis Persarum avunculus fuit, & Cyro Persa, quæ duo regna Esaias ascensorum bigæ cameli & asini vocat, destructum esse imperium Chaldæorum. Quod quidem & Xenophon in Cyri majoris scribit infantia, & Pompeius Trogus, & multi alii, qui barbaras scripsere historias.

Augustinus LIB. IV. *De civitate Dei cap* 9.

Justinus qui Græcam, vel potius peregrinam, Trogum Pompeium secuntus, non Latine tantum, sicut ille, verum etiam breviter scripsit historiam, opus librorum suorum sic incipit Principio rerum, &c.

Paulo post.

Qualibet autem fide rerum, vel iste, vel Trogus scripserit: nam quædam illos fuisse mentios, aliæ fideliores literæ ostendunt: constat tamen, & inter alios scriptores, regnum Assyriorum à Nino rege fuisse longe lateque porrectum.

Orosius LIB. I. CAP. VIII. *De fame Ægypti, cui Ioseph subvenit.*

Pompeius historicus, ejusque breviator Justinus docet.

Et CAP. X.

Ait enim Pompeius, sive Justinus hoc modo: Ægyptii cum scabiem & vitiliginem, *&c. quæ exstant lib. XXXVI. Iustini.*

Transcripsit autem Orosius ad verbum pleraque ex Iustino in suam Ormestam mundi: ita enim in MSS. inscribitur ipsius historia. (vide C. Barthium Adversa. 36. 17.)

Isidorus, Libro de Natura rerum, qui in MSS P. Pithœi inscribitur de Astronomia.

De monte Ætne Justinus in libro historiam ita scripsit: Siciliæ tellus tenuis ac

ac fragilis & cavernis quibusdam fistulisque ita penetrabilis, *&c. quæ exstant lib. IV.*

Iornandes Libro de rebus Gothicis.

Ex quorum (*Gothorum*) nomine vel genere Trogus Pompeius Parthorum dicit extitisse prosapiam.

Idem.

Tunc Cyrus rex Persarum, post grande intervallum, & pene post sexcentorum triginta annorum tempora, Pompeio Trogo testante, Getarum reginæ Thamiri, sibi exitiale intulit bellum.

Martinus Polonus sub Antonio Pio.

Eo tempore floruit Pompeius Trogus, natione Hispanus, qui totius orbis historias à tempore Nini regis Assyriorum, usque ad Monarchiam Cæsaris, Latino sermone deduxit, distinguens per libros XLIV, quorum abbreviationem fecit Justinus ejus discipulus. Qui Justinus philosophus Antonio Pio librum de Christiana religione compositum tradidit, & benignum eum Christianis fecit.

Sarisberiensis, *in Policratico, Justinum sæpe citat, ut in notis meis indicavi.*

IN

IN
JUSTINUM.

Justinum longo caries exederat ævo:
Tentarantque diu vario medicamine multi
Alte infossum ulcus nequicquã explere chirurgi.
Vivebat mage morbus: & atrox fistula subter
Dum latitat, duro formarat margine cancrum;
Cancrum incuratos serpentẽ impune per artus.
Sic sæpe indocta crudescunt vulnera dextra.
Non tulit hanc speciem, putrique latentia pelle
Justini retegens Bongarsius ulcera Chiron:
Siccine opus tantum tabescet, vindice nullo?
Dixit, & ascitu Phœbæa viribus artis,
Septica combussit, collossaque labra recidit,
Explens carne sinus rediviva, nulla cicatrix
(Tam felix medicus) spectetur corpore toto.
Ecquis adhuc ullum putet insanabile vulnus?

R. MASSACUS.

JUSTI-

JUSTINI HISTORIARUM EX TROGO POMPEIO LIBER I.

BREVIARUM CAPITUM.

1. *Assyriorum prima Monarchia sub Nino.*
2. *Semiramidis a filio tandem interfecta imperium.*
3. *Postremus Assyriorum Rex Sardanapalus.*
4. *Medorum Monarchia sub Astyage Cyri avo.*
5. *Cyri puerilia, adolescentia, & Harpagi ad Cyrum admonitio, &c.*
6. *Sybarem belli comitem Cyrus nobili pramio donat, & Astyagem regno spoliat.*
7. *Crasum vincit, & Lydos debellat ac sub jugum astute retinet. Candaulis tragœdia.*
8. *Bellum Scythicum, in quo initia Cyro felicia, finis autem luctuosissimus.*
9. *Cambyses Cyro succedit, & suomet gladio conficitur. Legitimo hærede Mergide sublato magi rerum potiuntur. Ostans aliorum principum opera adjutus magos de medio tollit.*
10. *Darius ex equi hinnitu servuli industria fit tertius Persarum Rex, &c.*

CAP

CAP. I.

PRINCIPIO rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat: quos ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. Populus nullis legibus tenebatur: arbitria principium pro legibus erant. Fines imperii tueri magis, quam proferre, mos erat: intra suam cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus, rex Assyriorum, veterem, & quasi avitum gentibus morem nova imperii cupidiate mutavit. Hic Primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, terminos usque Libyæ perdomuit. Fuere quidem temporibus antiquiores, Vexoris Ægypti, & Scythiæ rex Tanaus: quorum alter in Pontum, alter usque Ægyptum excessit. Sed longinqua, non finitima bella gerebant: nec imperium sibi, sed populis suis gloriam quærebant; contentique victoria, imperio abstinebant: Ninus magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmavit. Domitis igitur proximis, cum accessione virium fortior ad alios transiret, & proxima quæque

que victoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit. Postremum illi bellum cum Zoroastre, rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes magicas inveniſſe, & mundi principia, syderumque motus diligentiſſime ſpectaſſe. Hoc occiſo, & ipſe deceſſit, relicto impubere adhuc filio Ninya, & uxore Semiramide.

CAP. II. Hæc nec immaturo auſa tradere imperium, nec ipſa palam tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter uni viro, nedum fœminæ, parituris, ſimulat ſe pro uxore Nini, filium; pro femina, puerum. Nam & ſtatura utrique mediocris, & vox pariter gracilis, & lineamentorum qualitas matri ac filio ſimilis. Igitur brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit: & (ne) novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum veſtiri jubet: quem morem veſtis, exinde gens univerſa tenet. Sic primis initiis ſexum mentita, puer eſſe credita eſt. Magnas deinde res geſſit: quarum amplitudine ubi invidiam ſuperatam putat, quæ ſit, fatetur, quemve ſimulaſſet. Nec hoc illi dignitatem regni ademit, ſed admirationem auxit; quod mulier non feminas modo

do virtute, sed etiam viros anteiret. Hæc Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit, harenæ vice, bitumine interstrato: quæ materia in illis locis passim è terra exæstuat. Multa & alia præclara hujus reginæ fuere. Siquidem non contenta acquisitos viro regni terminos tueri, Æthiopiam quoque imperio adjecit. Sed & Indiæ bellum intulit; quo præter illam & Alexandrum Magnum nemo intravit. Ad postremum cum concubitum filii petisset, ab eodem interfecta est, duos & quadraginta annos post Ninum regno potita. Filius ejus Ninya contentus elaborato à parentibus imperio, belli studia deposuit, & velutisexum cum matre mutasset, raro à viris visus, in feminarum turba consenuit. Posteri quoque ejus, id exemplum sequuti, responsa gentibus per internuntios dabant. Imperium Assyrii, qui postea Syri dicti sunt, mille trecentis annis tenuere.

CAP. III. Postremus apud eos regnavit Sardanapalus, vir muliere corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini ante eum permissum fuerat) præfectus ipsius, Medis præpositus, nomine Arbactus, cum admitti magna ambitione ægre obtinuisset;

tinuisset; invenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu, mollitia corporis & oculorum lascivia omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Quibus visis, indignatus tali feminæ tantum virorum subjectum, tractantique lanam, ferrum & arma portantes parere; progressus ad socios, quid viderit refert: Negat se ei parere posse, qui se fœminam malit esse, quam virum. Fit igitur conjuratio, bellum Sardanapalo infertur quo ille audito, non ut vir regnum defensurus, sed ut metu mortis mulieres solent, primo latebras circumspicit, mox deinde cum paucis & incompositis in bellum propreditur. Victus, in regiam se recipit; & extructa incensaque pyra, & se & divitias suas in incendium mittit: hoc solo imitatus virum. Post hunc rex constituitur interfector ejus Arbactus, qui præfectus Medorum fuerat. Is imperium ab Assyriis ad Medos transfert.

CAP. IV. Post multos deinde reges, per ordinem successionis, regnum ad Astyagen descendit. Hic per somnum vidit ex naturalibus filiæ, quam unicam habebat, vitem enatam, cujus palmite omnis

omnis Asia obumbraretur. Consulti harioli, ex eadem filia nepotem ei futurum, cujus magnitudo prænuntietur, regniq; ei amissionem portendi, responderunt hoc responso exterritus, neq; claro viro, neque civi filiam, ne paterna maternaq; nobilitas nepoti animos extolleret; sed ex gente, obscura tunc temporis, Persaruũ, Cambysi mediocri viro in matrimonium tradidit. Ac ne sic quidem somni metu depositio, gravidam ad se filiam arcessit, ut sub avi potissimum oculis partus necaretur. Natus infans datur occidendus Harpago, regis arcanorum participi. Is veritus, si ad filiam mortuo rege venisset imperium, quia nullum Astyages virilis sexus genuerat, ne illa necati infantis ultionem, quam à patre non potuisset, à ministro exigeret; pastori regii pecoris puerum exponendum tradit. Forte eodem tempore & ipsi pastori filius natus erat. Ejus igitur uxor, audita regii infantis expositione, summis precibus rogat, sibi asferri ostendique puerum, cujus precibus fatigatus pastor, reversus in silvam, invenit juxta infantem canem fœminam, parvulo ubera præbentem, & à feris alitibusque defendentem. Motus

tus & ipse misericordia, qua motam etiam canem viderat, puerum defert ad stabula, eadem cane anxie prosequente, quem ubi in manum mulier accepit, veluti ad notam puer allusit: tantusque in illo vigor, & dulcis quidam blandientis infantis risus apparuit, ut pastorem uxor ultro rogaret, (quo suum partum pro illo exponeret) permitteret (que sibi sive fortunæ ipsius, sive spei suæ puerum nutrite. Atque ita permutata sorte parvulorum, hic pro filio pastoris educatur: ille pro nepote regis exponitur. Nutrici Spacos postea nomen fuit, quia canem Persæ sic vocant.

Cap. V. Puer deinde cum inter pastores esset, Cyri nomen accepit. Mox rex inter ludentes sorte delectus, cum per lasciviam contumaces flagellis cecidisset, à parentibus puerorum querela est regi delata, indignantibus, à servo regio ingenuos homines servilibus verberibus affectos. Ille arcessito pubero & interrogato, cum, cum nihil mutato vultu, feciisse se ut regem respondisset; admiratus constantiam, in memoriam somnii responsique revocatur. Atque ita cum & vultus similitudo, & expo-

positionis tempora, & pastoris confessio convenirent, nepotem agnovit. *Et* quoniam defunctus sibi somnio videretur, agitato inter pastores regno; animum minacem duntaxat in illo fregit. Cæterum Harpago amico suo infestus, in ultionem servati nepotis, filium ejus interfecit, epulandumque patri tradidit. *Sed* Harpagus ad præsens tempus dissimulato dolore, odium regis in vindictæ occasionem distulit. Interjecto deinde tempore, cum adoleviſſet Cyrus, dolore orbitatis admonitus, scribit ei, ut ablegatus in Persas ab avo fuerit: ut occidi eum parvulum avus jusserit: ut beneficio suo servatus sit: ut regem offenderit: ut filium amiserit. Hortatur, exercitum paret, & pronam ad regnum viam ingrediatur, Medorum transitionem pollicitus. Epistola, quia palam ferri nequibat, regis custodibus omnes aditus obsidentibus, exintérato lepori inseritur, lepusque in Persas Cyro ferendus, fido servo traditur: addita retia, ut sub specie venatoris dolus lateret.

CAP. VI. Lectis ille epistolis, eadem somnio aggredi jussus est: sed prænonitus, ut quem primum postera die ob-

vium

vium habuisset, socium cœptis assumeret. Igitur antelucano tempore ruri iter ingressus, obvium habuit servum de ergastulo cujusdam Medi nomine Sybarem. Hujus requisita origine, ut in Persis genitum audivit, demptis compedibus, assumptoque comite, Persepolim regreditur. Ibi convocato populo, jubet omnes præsto cum securibus adesse, & silvam viæ circumdatam exidere. Quod cum strenue fecissent, eosdem postera die apparatis epulis invitat: deinde cum alacriores ipso convivio factos videret, rogat, si conditio proponatur, utrius vitæ sortem legant, hesterni laboris, an præsentium epularum: præsentium, ut acclamavere omnes; ait, Hesterno simílem labori omnem vitam acturos, quo ad Medis pareant: se secutos, hodiernis epulis. Lætis omnibus, Medis bellum infert. Astyages meriti sui in Harpagum oblitus, summam belli eidem committit: qui exercitum acceptum statim Cyro per deditionem tradidit, regisque crudelitatem perfidia defectionis ulciscitur. Quod ubi Astyages audivit, contractis undique auxiliis, ipse in Persas profiscitur: & repetito alacritus certamine, pugnantibus

bus suis, partem exercitus à tergo ponit, & tergiversantes, ferro agi in hostes jubet: ac denuntiat suis, ni vincerent, non minus fortes etiam post terga inventuros, quam à frontibus viros: proinde videant, fugientibus hæc, an illa pugnantibus acies rumpenda sit. Ingens, post necessitatem pugnandi, animus exercitui ejus accessit. Pulsa itaque cum Persarum acies paulatim cederet; matres & uxores eorum obviam occurunt orant in prœlium revertantur: cunctantibus, sublatâ veste, obscœna corporis ostendunt, rogantes num in uteros matrum vel uxorum velint refugere. Hac repressâ castigatione, in prœlium redeunt: & facta impressione, quos fugiebant, fugere compellunt. In eo prœlio Astyages capitur: cui Cyrus nihil aliud quam regnum abstulit: nepotemque in illo magis, quam victorem egit: eumque maximæ genti Hyrcanorum præposuit. Nam in Medos reverti ipse noluit. Hic finis Medorum imperii fuit. Regnaverunt an. CCCL.

CAP. VII. Initio regni, Cyrus Sybarem cœptorum socium, quem juxta nocturnum visum ergastulo liberaverat, comitemque in omnibus rebus habuerat.

rat, Persis præposuit, sororemq; suam ei in matrimonium dedit. Sed civitates, quæ Medorum tributariæ fuerant, mutato imperio, etiam conditionem suam mutatam arbitrantes, à Cyro defecerunt; quæ res multorum bellorum Cyro causa & origo fuit. Domitis demum plerisque, cum adversus Babylonios bellum gereret, Babyloniis Rex Lydorum Crœsus, cujus opes & divitiæ insignes ea tempestate erant, in auxilium venit; victusque jam de sollicitus; in regnum refugit. Cyrus quoque post victoriam, compositis in Babylonia rebus, bellum transfert in Lydiam. Ibi fortuna prioris prœlii perculsum jam Crœsi exercitum, nullo negotio fundit: Crœsus ipse capitur. Sed quanto bellum minoris periculi, tanto & mitior victoria fuit, Crœso & vita, & patrimonii partes, & urbs Barce concessa sunt: in qua etsi non regiam vitam, proximam tamen majestati regiæ degeret. Hæc clementia non minus victori quam victo utilis fuit. Quippe ex universa Græcia, cognito quod illatum Crœso bellum esset, auxilia velut ad commune extinguendum incendium confluebant. Tantus Crœsi amor apud omnes urbes erat: pas-

furusq; Cyrus grave bellum Græcie fuit, si quid in Crœsum crudelius consuluisset. Interjecto deinde tempore, occupato in aliis bellis Cyro, Lydi rebellavere: quibus iterum victis, arma & equi adempti, jussique cauponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere. Et sic gens industria quondam potens, & manu strenua; effeminata mollicie luxuriaque, virtutem pristinam perdidit; & quos ante Cyrum invictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit. Fuere Lydis multi ante Crœsum reges, variis casibus memorabiles; nullus tamen fortunæ Candauli comparandus. Hic uxorem, quam propter formæ pulchritudinem deperibat, prædicare omnibus solebat, non contentus voluptatum suarum tacita conscientia, nisi etiam matrimonii reticenda publicaret: prorsus quasi silentium damnum pulchritudinis esset. Ad postremum ut affirmationi suæ fidem faceret, nudam sodali suo Gygi ostendit. Quo facto, & amicum in adulterium uxoris solicitatum, hostem sibi fecit: & uxorem, veluti tradito alii amore, à se alienavit. Namque brevi post tempore cædes Candauli, nuptiarum præmium fuit, & uxor mariti sanguine dotata,

dotata, regnum viri & se pariter adultero tradidit.

Cap. VIII. Cyrus, subacta Asia, & universo Oriente in potestatem redacto, Scythis bellum infert. Erat eo tempore Scytharum regina Tamyris, quæ non muliebriter adventu hostium territa, cum prohibere eos transitu Araxis fluminis posset, transire permisit, & sibi faciliorem pugnam intra regni sui terminos rata, & hostibus objectu fluminis fugam difficiliorem. Itaque Cyrus trajectis copiis, cum aliquantisper in Scythiam processisset, castrametatus est. Dein postera die, simulato metu, quasi refugiens castra deseruisset, ita vini affatim, & ea quæ epulis erant necessaria, reliquit. Quod cum nuntiatum regine esset, adolescentulum filium ad insequendum eum cum tertia parte copiarum mittit. Cum ventum ad Cyri castra esset, ignarus rei militaris adolescens, veluti ad epulas, non ad prælium venisset, omissis hostibus, insuetos barbaros vino se onerare patitur: priusque Scythæ ebrietate, quam bello vincuntur. Nam cognitis his, Cyrus reversus per noctem, saucios opprimit, omnesque Scythas cum reginæ filio interficit. Amisso tanto exercitu,

& quod gravius dolendum, unico filio, Tamyris orbitatis dolorem non in lacrymas effudit, sed in ultionis solatia intendit; hostesque recente victoria exultantes, pari insidiarum fraude circumvenit. Quippe simulata diffidentia propter vulnus acceptum, refugiens, Cyrum ad angustias usque perduxit. Ibi compositis in montibus insidiis, ducenta millia persarum cum ipso rege trucidavit. In qua victoria etiam illud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tantæ cladis superfuit. Caput Cyri amputatum, in utrem humano sanguine repletū conjici regina jubet, cum hac exprobatione crudelitatis: Satia te, inquit, sanguine, quem sitisti, cujusque insatiabilis semper fuisti. Cyrus regnavit annos XXX. non initio tantum regni, sed continuo totius temporis successu, admirabiliter insignis.

CAP. IX. Huic successit filius Cambyses, qui imperio patris Ægyptum adjecit: sed offensus superstitionibus Ægyptiorum, Apis, cæterorumque deorum ædes dirui jubet. Ad Ammonis quoque nobilissimum templum expugnandum, exercitum mittit: qui tempestatibus & harenarum molibus oppressus, interiit. Post hæc per quietem vidit fratrem

suum

ſuum Mergim regnaturum. Quo ſomnio exercitus, non dubitavit poſt ſacrilegia etiam parricidium facere. Erat enim difficile ut parceret ſuis qui cum contemptu religionis, graſſatus etiam adverſus deos fuerat. Ad hoc tam crudele miniſterium, magum quendam ex amicis delegit, nomine Cometem. Interim ipſe, gladio ſua ſponte evaginato, in femore graviter vulneratus, occubuit; pœnasque luit, ſeu imperati parricidii, ſeu ſacrilegii perpetrati. Quo nuntio accepto, magus ante famam amiſſi regis occupat facinus; proſtratoque Mergide, cui regnum debebatur, fratrem ſuum ſubjecit Oropaſten. Erat enim & oris, & corporis lineamentis perſimilis; ac nemine ſubeſſe dolum arbitrante, pro Mergide rex Oropaſta conſtituitur. Quæ res eo occultior fuit, quod apud Perſas perſona regis ſub ſpecie majeſtatis occulitur. Igitur magi, ad favorem populi conciliandum, tributa & militiæ vacationem in triennium permittunt: ut regnum, quod fraude quæſierant, indulgentia & largitionibus confirmarent. Quæ res ſuſpecta primo Oſtani viro nobili, & in conjecturis ſagaciſſimo, fuit. Itaque per internuntios quærit de filia,

quæ inter regias pellices erat, an Cyri regis filius rex esset. Illa nec seipsam scirc ait, nec ex alia posse cognoscere: quia singulæ separatim recludantur. Tum pertrectare dormienti caput jubet, nam mago Cambyses aures utrasque præciderat. Factus deinde per filiam certior, sine auribus esse regem, optimatibus Persarum rem indicat; & in cædem falsi regis impulsos, sacramenti religione obstringit. Septem tantum conscii fuere hujus conjurationis, qui ex continenti, ne dato in pœnitentiam spatio, res perquenquam narraretur, occultato sub veste ferro, ad regiam pergunt. Ibi obviis interfectis, ad Magos perveniunt: quibus ne ipsis quidem animus in auxilium sui defuit: siquidem stricto ferro duos de conjuratis interficiunt. Ipsi tamen corripiuntur à pluribus: quorum alterum Gobryas medium amplexus, cunctantibus sociis, ne ipsum pro mago transfoderent, quia res obscuro loco gerebatur, vel per suum corpus adigi mago ferrum jussit: fortuna tamen ita regente, illo incolumi Magus interficitur.

CAP. X. Occisis Magis, magna quidem gloria recepti regni principium fuit: sed multo major in eo, quod cum de

de regno ambigerent, concordare potuerunt. Erant enim virtute & nobilitate ita pares, ut difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret. Ipsi igitur viam invenerunt, qua de se judicium religioni & fortunæ committerent. Pactique inter se sunt, ut die statuta omnes, equos ante regiam primo mane perducerent: & cujus equus inter solis ortum hinnitum primus edidisset, is rex esset. Nam & Solem Persæ unum Deum esse credunt: & equos eidem Deo sacratos fuerunt. Erat inter conjuratos Darius Hystaspis filius: cui de regno solicito equi custos ait, si ea res victoriam moraretur, nihil negotii superesse: per noctem deinde equum pridie constitutam diem ad eundem locum ducit, ibiq; equę admittit, ratus ex voluptate veneris futurum quod evenit. Postera die itaque, cum ad statutam horam omnes convenissent, Darii equus, cognito loco, ex desiderio feminæ hinnitum statim edidit: & signibus aliis, felix auspicium domino primus emisit. Tanta moderatio cæteris fuit, audito auspicio, ut confestim equis desilierint, & Darium regem salutaverint. Populus quoque universus, secutus judicium principum,

eundem regem constituit. Sic regnum Persarum, septem nobilissimorum virorum virtute quæsitum, tam levi momento in unum collatum est. Incredibile prorsus, tanta patientia cessisse eo, quod ut eriperent Magis, mori non recusaverint. Quanquam præter formam, virtutemq; hoc imperio dignam, etiam cognatio Dario juncta cum pristinis regibus fuit. Principio igitur regni, Cyri regis filiam in matrimonium recepit, regalibus nuptiis regnum firmaturus: ut non tam in extraneum translatum, quam in familiam Cyri reversum videretur. Interjecto deinde tempore, cum Assyrii desciviissent, & Babyloniam occupassent, difficilisque urbis expugnatio esset; æstuante rege, unus de interfectoribus magorum, Zopyrus domi se verberibus lacerari toto corpore jubet: nasum, aures, & labia sibi præcidi: atque ita regi inopinanti se offert. Attonitum, & quærentem Darium causas, auctoremque tam fœdæ lacerationis, tacitus, quo proposito fecerit, edocet; formatoq; in futura consilio, transfugæ titulo Babiloniam profiscitur. Ibi ostendit populo laniatum corpus: queritur crudelitatem regis, à quo in regni peti-

petitione, non virtute, sed auspicio, non judicio hominum, sed hinnitu equi superatus sit: Jubet illos ex amicis exemplum capere, quid hostibus cavendum sit: Hortatur, non mœnibus magis quam armis confidant, patianturque se commune bellum recentiore ira gerrre. Nota nobilitas viri pariter & virtus omnibus erat: nec de fide timebant, cujus veluti pignora, vulnera corporis, & injuriæ notas habebant. Constituitur ergo dux omnium suffragio: & accepta parva manu, semel atque iterum cedentibus consulto Persis, secunda prœlia facit: At postremo universum sibi creditum exercitum Dario prodit, urbemq; ipsam in potestatem ejus redigit. Post hæc Darius bellum Scythis infert, quod sequenti volumine refertur.

LIBER II.

Breviarium Capitum.

1. *Scytharum origo & antiquitas, de qua tum Ægyptiis contendunt.*
2. *Descriptio Scythiæ, & morum gentis, quæ in plaustris degens justitiam colit & continentiam*
3. *Scytharum fortitudo bellica. Ægyptios fugant, Asiamque reddunt tributariam.*
4. *Amazonum a Scythis origo, reginæ, res gestæ.*

5. *Bellum Scytharum adversus servos, quos lepido strategemate reprimunt. Darius Scythis, deinde Sonibus & Athenienſibus arma infert.*

6. *Athenienſium origo, gloriatio, induſtria, artes, Reges.*

7. *Reſpublica Athenienſis Solonis legibus & politico ſtrategemate firmata.*

8. *Piſiſtratus poſt fortiter geſta in Megarenſes tyrannidem per 33 annos occupat.*

9. *Ejusdem filius Hippias patria pulſus Perſarum exercitum in Græciam adduxit. Inde nobilis illa Marathonia pugna, in qua victi Perſæ. Athenienſes victores Duce Miltiade.*

10. *Diſſidium fraternum de regno inter Darii filios. Xerxis bellum adverſus Græcos inſtaurat validiſſimo exercitu.*

11. *Fortitudine Spartanorum quorum Rex Leonidas, Perſa ad Thermopylas maxima clade afficiuntur.*

12. *Themiſtoclis induſtria Perſarum claſſis ad Solaminium fretum navali prælio victa, poſt multam ſtragem fuga ſibi conſulit.*

13. *Mardonio terreſtris exercitus commiſſus. Xerxes agrè evadit piſcatoria ſcapha: ejusdem pedeſtris exercitus fame obruitur: unde nova clades.*

14. *Mardonius in Bœotia ad plataas, cum Perſis à Græcorum copiis victus, cum paucis profugit. Eodem ferè momento adverſus Perſas in Aſia feliciter dimicatum eſt.*

15. *Athenienſes, Spartanis deluſis, urbem ex integro reſtaurant. Spartani Perſarum fines depopulantur. Pauſanias defectiones*

reus

reus damnatur. Aristides proditoris consilia discutit. Xerxes iterum arma movet infeliciter, à Cymone navali terrestrique prælio superatus.

CAP. I.

IN relatione rerum ab Scythis gestarum, quæ satis ampla magnificæque fuerunt, principium ab origine repetendum est. Non enim minus illustria initia, quam imperium habuere: nec virorum imperio magis, quam fœminarum virtutibus claruere. Quippe cum ipsi Parthos Bactrianosque, feminæ autem eorum Amazonum regna condiderint: prorsus ut res gestas virorum mulierumque considerantibus incertum sit, uter apud eos sexus illustrior fuerit. Scytharum gens antiquissima semper habita: quanquam inter Scythas & Ægyptios diu contentio de generis vetustate fuerit: Ægyptiis prædicantibus, initio rerum cum aliæ terræ nimio fervore solis arderent, aliæ rigerent frigoris immanitate, ita ut non modo primæ generare homines, sed ne advenas quidem recipere ac tueri possent, priusquam adversus calorem vel frigus velamenta corporis invenirentur, vel locorum vitia quæsitis arte remediis

mollirentur; Ægyptum ita temperatam semper fuisse, ut neque hyberna frigora, nec æstivi solis ardores incolas ejus premerent; solum ita fœcundum, ut alimentorum in usum hominum nulla terra feracior fuerit. Jure igitur ibi primum homines natos videri debere, ubi educari facilime possent. Contra Scythæ cœli temperamentum, nullum esse vetustatis argumentum putabant: quippe naturam, cum primum incrementa caloris ac frigoris, regionibus destinxit, statim ad locorum patientiam, animalia quoque generasse: sed & arborum atque frugum pro regionum conditione, apte genera variata. Et quanto Scythis sit cælum asperius quam Ægyptiis, tanto & corpora & ingenia esse duriora. Cæterum si mundi, quæ nunc partes sunt, aliquando unitas fuit; sive illuvies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit: sive ignis, qui & mundum genuit, cuncta possedit; utriusque primordii Scythas origine præstare. Nam si ignis prima possessio rerum fuit, qui paulatim extinctus, sedem terris dedit, nullam prius quam Septentrionalem partem, hyemis rigore ab igne secretam; adeo ut nunc quoque nulla magis rigeat frigoribus. Ægyptum vero,

vero, & totum Orientem, tardissime temperatum: quippe qui etiam nunc torrenti calore solis exæstuet. Quod si omnes quondam terræ submersæ profundo fuerunt; profecto editissimam quamque partem decurrentibus aquis primum detectam; humilimo autem solo eandem aquam diutissime immoratam: & quanto prior quæque pars terrarum siccata sit, tanto prius animalia generare cœpisse. Porro Scythiam adeo editiorem omnibus terris esse, ut cuncta flumina ibi nata in Mæotim, tum deinde in Ponticum & Ægypticum mare decurrant. Ægyptum autem, quæ tot regum, tot seculorum cura impensaque munita sit, & adversum vim incurrentium aquarum tantis structa mollibus, tot fossis consciſsa, ut cum his arceantur, illis recipiantur aquæ; nihilominus coli, nisi excluso Nilo, non potuerit, non posse videri hominum vetustate ultimam, quæ sive exaggerationibus regum, sive Nili trahentis limum, terrarum recentissima videatur. His igitur argumentis superatis Ægyptiis, antiquiores semper *Scy*thæ visi.

Cap. II. Scythia autem in Orientem porrecta, includitur ab uno latere

Ponto, & ab altero montibus Riphæis: à tergo Asia & Phasi flumine. Multum in longitudinem & latitudinem patet. Hominibus inter se nulli fines, neque enim agrum exercent: nec domus illis ulla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus, coriis, imbrium hyemisque causa tectis, pro domibus utuntur. Justitia gentis ingeniis culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto gravius: quippe sine tecti munimento pecora & armenta habentibus, quid salvum esset, si furari liceret? Aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt. Lacte & melle vescuntur. Lanæ iis usus ac vestium ignotus est: & quanquam continuis frigoribus urantur; pellibus tamen ferinis ac murinis utuntur. Hæc continentia illis morum quoque justitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus. Quippe ibidem divitiarum cupido est, ubi & usus. Atque utinam reliquis mortalibus similis moderatio, & abstinentia alieni foret: profecto non tantum bellorum per omnia secula terris omnibus continuaretur; neque plus hominum fer-

ferrum & arma, quam naturaliis fatorum conditio raperet. Prorsus ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Græci longa sapientium doctrina, præceptisq; philosophorum consequi nequeunt; cultosque mores incultæ barbariæ collationi superari. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in his cognitio virtutis.

CAP. III. Imperium Asiæ ter quæsivere, ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti, aut invicti mansere. Darium regem Persarum, turpi ab Scythia summoverunt fuga: Cyrum cum omni exercitu trucidaverunt: Alexandri Magni ducem Sopyrionа pari ratione cum copiis universis deleverunt: Romanorum audivere, non sensere arma. Parthicum & Bactrianum imperium ipsi condiderunt. Gens laboribus & bellis aspera: vires corporum immensæ: Nihil parare quod amittere timeant: nihil victores præter gloriam concupiscunt. Primus Scythis bellum indixit Vexoris rex Ægyptius, missis primo lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent. Sed Scythæ jam ante de adventu regis à finitimis certiores facti, legatis respondent: tam opulenti populi ducem stolidè adversus

versus inopes occupasse bellum, quod magis domi fuerit illi timendum: quod belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifesta sint. Igitur non expectaturos Scythas dum ad se veniatur, cum tanto sibi plura in hoste concupiscenda sint; utroque prædæ ituros obviam. Nec dicta, res morata: quos cum tanta celeritate venire rex addidicisset, in fugam vertitur, exercituque cum omni apparatu belli relicto, in regnum se recepit. Scythas ab Ægypto palludes prohibuere: inde reversi, Asiam perdomitam vectigalem fecere, modico tributo, magis in titulum imperii, quam in victoriæ præmium impositio. Quindecim annis pacandæ Asiæ immorati, uxorem flagitatione revocantur, per legatos denunciantibus, ni redeant, subolem se ex finitimis quæsituras, nec passuras ut in posteritatem, Scytharum genus per fœminas intercidat. His igitur Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi tributi finem Ninus rex Assyriorum imposuit.

CAP. IV. Sed apud Schytas medio tempore duo regii juvenes, Ylinos & Scolopitus, per factionem optimatum, domo pulsi, ingentem juventutem secum tra-

traxere ; & in Cappadociæ ora, juxta amnem Thermodonta consederunt, subjectosque Themiscyreos campos occupavere. Ibi permultos annos spoliare finitimos assueti, conspiratione populorum per insidias rrucidantur. Horum uxores, cum viderent exsilio additam orbitatem, arma sumunt : finesque suos, summoventes primo, mox etiam inferentes bella, defendunt. Nubendi quoque finitimis animum omisere ; servitutem, non matrimonium appellantes. Singulare omnium sæculorum exemplum ausæ, auxere rempublicam sine viris: jam etiam cum contemptu virorum se tuentur. Et ne feliciores aliæ aliis viderentur ; viros qui domi remanserant, interficiunt. Ultionem quoque cæsorum conjugum, excidio finitimorum consequuntur. Tum pace armis quæsita, ne genus interiret, concubitum finitimorum ineunt. Si qui mares nascerentur, interficiebant. Virgines in eundem ipsis morem, non otio, neque lanificio ; sed armis, equis, venationibus exercebant, inustis infantum dexterioribus mammis, ne sagittarum jactus impediretur : unde Amazones dictæ sunt. Duæ his reginæ fuere, Marthesia & Lampeto, quæ in duas

duas partes agmine divisō, inclytæ jam opibus, vicibus gerebant bella, solæ terminos alternis defendentes: & ne successibus deesset auctoritas, genitas se Marte prædicabant. Itaque majore parte Europæ subacta, Asiæ quoque nonnullas civitates occupavere. Ibi Ephesō, multisque aliis urbibus conditis, partem exercitus cum ingenti præda domum dimittunt. Reliquæ, quæ ad tuendum Asiæ imperium remanserant, concursu barbarorum cum Marthesia regina interficiuntur. In hujus locum filia ejus Orithya regno succedit: cui præter singularem belli scientiam, eximia servatæ in omne ævum virginitatis admiratio fuit. Hujus virtute tantum additum gloriæ & famæ Amazonum est, ut Herculi rex, cui XII. stipendia debebat, quasi imposibile, imperaverit, ut arma reginæ Amazonum sibi afferret. Eo igitur profectus longis novem navibus, comitante principum Græciæ juventute inopinantes aggreditur. Duæ tum sorores, Amazonum regna tractabant, Antiope & Orithya: sed Orithya foris bellum gerebat. Igitur cum Hercules ad littus Amazonum applicuit; infrequens multitudo cum Antiopa regina nihil hostile metu-

metuente, erat. Qua re effectum est, ut paucæ repentino tumulto excitæ, arma sumerent, facilemque victoriam hostibus darent. Multæ itaque cæsæ captæque. In his duæ Antiopæ sorores captæ sunt, Menalippe ab Hercule, Hippolytæ à Theseo. Sed Theseus obtenta in præmium captiva, eandem in matrimonium assumpsit, & ex ea genuit Hippolytum. Hercules post victoriam, Menalippen captivam sorori reddidit, & pretium arma reginæ accepit. Atque ita functus imperio, ad regem revertitur. Sed Orithya, ubi comperit bellum sororibus illatum, & raptorem esse Athenienſium principem; hortatur comites, frustraque & Ponti sinum, & Asiam Edomitam esse dicit, si Græcorum non tam bellis, quam rapinis pateant. Auxilium deinde à Sagillo rege Schytiæ petit, Genus se Scytharum esse: cladem virorum, necessitatem armorum, belli causas ostendit; assecutasque virtute, ne segniores viris fœminas habere Scythæ viderentur. Motus ille domestica gloria, mittit cum ingenti equitatu filium Panasagorum in auxilium. Sed ante prœlium dissensione orta, ab auxiliis desertæ, bello ab Athenienſibus vincuntur: rece-

receptaculum tamen habuere castra sociorum, quorum auxilio intactæ ab aliis gentibus, in regnum revertuntur. Post Orithyam, Penthesilea regno potita est, cujus Trojano bello inter fortissimos viros, cum auxilium adversus Græcos ferret, magna virtutis documenta extitere. Interfecta demum Penthsilia exercituq; ejus absumpto; paucæ, quæ in regno remanserant, ægre de adversus, finitimos defendentes, usque tempora Alexandri Magni duraverunt. Harum Minithya sive Thalestris regina, concubito Alexandri per dies XIII. ad subolem ex eo generandam obtento, reversa in regnum, brevi tempore cum omni Amazonum nomine intercidit.

CAP. V. Scythæ autem tertia expeditione Asiana, cum annis octo à conjugibus & liberis abfuissent, servili bello domi excipiuntur. Quippe conjuges eorum longa expectatione virorum fessæ, nec jam teneri bello, sed deletos ratæ, servis ad custodiam pecorum relictis nubunt: qui reversos cum victoria dominos, velut advenas, armati finibus prohibent. Quibus cum varia victoria fuisset, admonentur Scythæ mutare genus pugnæ, memores non cum hostibus,

sed

sed cum servis præliandum; nec armorum, sed dominorum jure vincendos: verbera in aciem, non arma adverenda; omissoque ferro, virgas ac flagella, ceteraque servilis metus paranda instrumenta. Probato omnes consilio, instructi sicut præceptum erat, postquam ad hostem accessere, inopinantibus verbera intentant: adeoque illos perculerunt, ut quos ferro non poterant, metu verberum vincerent: fugamque non ut hostis victi, sed ut fugitivi servi capesserent. Quicunque capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt. Mulieres quoque male sibi conscias, partim ferro, partim suspendio, vitam finierunt. Post hæc pax apud Scythas fuit, usque tempora Jancyri regis. Huic Darius rex Persarum sicut supra dictum est, cum filiæ ejus nuptias non obtinuisset, bellum intulit: & armatis septingentis millibus hominum Scythiam ingressus, non facientibus hostibus pugnæ potestatem, metuens, ne interrupto ponte Istri, reditus sibi intercluderetur, amissis octoginta millibus hominum trepidus refugit: quæ jactura, abundante multitudine, inter damna numerata non est. Inde Asiam & Macedoniam domuit; Jonas quoque navali prælio supe-

superat. Deinde cognito quod Athenienses Joniis auxilium contra se tulissent, omnem impetum belli in eos convertit.

CAP. VI. Nunc, quoniam ad bella Athenienſium ventum est, quæ non modo ultra spem gerendi, verum etiam ultra gesti fidem patrata sunt, operaque Athenienſium effectu majora quam voto fuere, paucis urbis origo repetenda est; quia non, ut ceteræ gentes, à sordidis initiis ad summa crevere. Soli enim, præterquam incremento, etiam origine gloriantur. Quippe nun advenæ, neque passim collecta populi colluvies originem urbi dedit: sed eodem innati solo, quod incolunt; & quæ illis sedes, eadem origo est. Primi, lanificii, & olei, & vini usum docuere. Arare quoque, & serere frumenta, glandem vescentibus monstrarunt. Litteræ certe ac facundia, & hic civilis ordo disciplinæ, veluti templum Athenas habent. Ante Deucalionis tempora regem habuere Cecropem: quem, ut omnis antiquitas fabulosa est, biformem tradidere, quia primus marē fœminæ matrimonio junxit. Hic succeſſit Cranaus, cujus filia Athis regioni nomen dedit. Post hunc Amphictyon regnavit, qui primus Minervæ urbem sacravit, & nomen civi-

civitati Athenas dedit. Hujus temporibus, aquarum illuvies majorem partem populorum Græciæ absumpsit. Superfuerunt quos refugia montium receperunt, aut ad regem Thessaliæ Deucalionem ratibus evecti sunt, à quo propterea genus hominum conditum dicitur. Per ordinem deinde successionis regnum ad Erichtheum descendit, sub quo frumenti satio apud Eleusin à Triptolemo reperta est; in cujus muneris honorem noctes initiorum sacratæ. Tenuit & Ægeus, Thesei pater, Athenis regnum, à quo per divortium decedens Medea, propter adultam privigni ætatem, Colchos cum Medio filio ex Ægeo suscepto, concessit. Post Ægeum Theseus, ac deinceps Thesei filius Demophoon, qui auxilium Græcis adversus Trojanos tulit, regnum possedit. Erant inter Athenienses & Dorienses simultatum veteres offensæ, quas vindicaturi bello Dorienses, de eventu prœlii oracula consuluerunt. Responsum, superiores fore, ni regem Athenienium occidissent. Cum ventum esset in bellum, militibus ante omnia, custodia regis præcipitur. Athenienfibus eo tempore rex Codrus erat; qui & responso Dei, & præceptis hostium cognitis, permuta-

mutato regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerens, castra hostium ingreditur: ibi in turba obsistentium, à milite, quem falce astu convulneraverat, interficitur. Cognito regis corpore, Dorienses sine prælio discedunt. Atque ita Athenienses virtute ducis, pro salute patriæ morti se offerentis, bello liberantur.

CAP. VII. Post Codrum nemo Athenis regnavit: quod memoriæ nominis ejus tributum est. Administratio reipublicæ annuis magistratibus permissa. Sed civitati nullæ tunc leges erant: quia libido regum pro legibus habebatur. Legitur itaque Solon vir justitiæ insignis, qui velut novam civitatem legibus conderet: qui tanto temperamento inter plebem senatumque egit (cum si quid pro altero ordine tulisset, alteri displiciturum videretur) ut ab utrisque parem gratiam traheret. Hujus viri inter multa egregia, illud memorabile fuit. Inter Athenienses & Megarenses de proprietate Saleminæ insulæ, prope usque interitum armis dimicatum fuerat. Post clades multas capitale esse apud Athenienses cœpit, si quis legem de vindicanda insula tulisset. Solicitus igitur Solon, ne aut tacendo, parum reipublicæ consuleret; aut censen-

censendo, sibi: subitam dementiam simulat, cujus venia non dicturus modo prohibita, sed & facturus erat. Deformis habitu, more vecordium in publicum evolat; factoque concursu hominum, quo magis consilium dissimularet, insolitis sibi versibus suadere populo cœpit, quod vetabatur: omniumque animos ita cœpit, ut extemplo bellum adversus Megarenses decerneretur, insulaque devictis hostibus Athenienſium fieret.

Cap. VIII. Interea Megarenses, memores illati Athenienſibus belli & deserti, ne frustra arma moviſſe viderentur, matronas Athenienſium in Eleusinis sacris noctu oppressuri naves conscendunt. Qua re cognita, dux Athenienſium Pisistratus juventutem in insidiis locat, jussis matronis solito clamore ac strepitu, etiam in accessu hostium, ne intellectos se sentiant, sacra celebrare: egressosq; navibus Megarenses inopinantes agressus, delevit: ac protinus classe captiva intermixtis mulieribus, ut speciem captarum matronarum præberent, Megaram contendit. Illi cum & navium formam, & petitam prædam cognoscerent, obvii ad portum procedunt, quibus cæsis, Pisistratus paulum à capien-

da urbe abfuit. Ita Megarenſes ſuis dolis hoſti victoriam dedere. Sed Piſiſtratus, quaſi ſibi, non patriæ viciſſet, tyrannidem per dolum occupat: quippe voluntariis verberibus domi affectus, laceratoque corpore, in publicum progreditur: advocata concione vulnera populo oſtendit: de crudelitate principum à quibus hæc ſe paſſum ſimulabat, queritur: adduntur vocibus lacrymæ, & invidioſa oratione multitudo credula accenditur: amore plebis inviſum ſe ſenatui affirmat: obtinet ad cuſtodiam corporis ſui ſatellitum auxilium; per quos occupata tyrannide per annos XXXIII. regnavit

CAP IX. Poſt ejus mortem Diocles, alter ex filiis, per vim ſtuprata virgine, a fratre puellæ interficitur. Alter, Hippias nomine; cum imperium paternum teneret, interfectorem fratris comprehendi jubet: qui cum per tormenta conſcios cædis nominare cogeretur, omnes amicos tyranni nominavit: quibus interfectis, quærenti tyranno, an adhuc aliqui conſcii eſſent; neminem ait ſupereſſe, quem amplius mori geſtiat, quam ipſum tyrannum, qua voce ejusdem ſe tyranni victorem, poſt vindictam pudicitiæ ſororis

ris ostendit. Hujus virtute cum admonita civitas libertatis esset, tandem Hippias regno pulsus, in exilium agitur: qui profectus in Persas, ducem de Dario, inferenti Athenienſibus bellum, ſicuti ſupra ſignificatum eſt, adverſus patriam ſuam offert. Igitur Athenienſes, audito Darii adventu, auxilium à Lacedæmoniis, ſocii tum civitate, petiverunt. Quos ubi viderunt quatridui teneri religione, non expectato auxilio, inſtructis decem millibus civium, & Platæenſibus auxiliaribus mille, adverſus ſexcenta millia hoſtium, in campos Marathonios in prœlium egrediuntur, Miltiades & dux belli erat, & auctor non expectandi auxilii; quem tanta fiducia ceperat, ut plus præſidii in celeritate, quam in ſociis duceret. Magna igitur in pugnam euntibus alacritas animorum fuit, adeo ut cum mille paſſus inter duas acies eſſent, citato curſu ante jactum ſagittarum ad hoſtem venerint. Nec audaciæ ejus eventus defuit. Pugnatum eſt enim tanta virtute, ut hinc viros, inde pecudes putares. Victi Perſæ in naves confugerunt; ex quibus multæ ſuppreſſæ, multæ captæ ſunt. In eo prœlio tanta virtus ſingulorum fuit, ut cujus laus prima eſſet, difficile ju-

dicium videretur. Inter cæteros tamen Themistoclis adolescentis gloria emicuit, in quo jam tunc indoles futuræ imperatoriæ dignitatis apparuit. Cynægiri quoque militis Athenienſis gloria magnis ſcriptorum laudibus celebrata eſt; qui poſt prælii innumeras cædes, cum fugientes hoſtes ad naves egiſſet, onuſtam navem dextra manu tenuit, nec prius dimiſit, quam (manum) amitteret: tum quoque amputata dextra, navem ſiniſtra comprehendit; quam & ipſam cum amiſiſſet, ad poſtremum morſu navem detinuit. Tantam in eo virtutem fuiſſe, ut non tot cædibus fagitatus; non duabus manibus amiſſis victus; truncus ad poſtremum, veluti & rabida fera, dentibus dimicaverit. Ducenta millia Perſæ eo prœlio, ſive naufragio, amiſere. Cecidit, & Hippias, tyrannus Athenienſis; auctor & concitor ejus belli, diis patriæ ultoribus pœnas repetentibus.

CAP. X. Interea & Darius, cum bellum reſtauraret, in ipſo apparatu decedit, relictis multis filiis, & in regno, & ante regnum ſuſceptis. Ex his Artemenes maximus natu, ætatis privilegio, regnum ſibi vendicabat; quod jus, & ordo naſcendi, & natura ipſa gentibus (dedit.)

dit.) Porro Xerxes controversiam non de ordine, sed de nascendi felicitate referebat. Namque Artemenem primum quidem Dario, sed privato provenisse: se regi primum natum. Fratres itaq; suos, qui ante geniti essent, privatum patrimonium, quod eo tempore Darius habuisset, non regnum sibi vindicare posse: se esse quem primum in regno jam rex pater sustulerit. Huc accedere, quod Artemenes non patre tantum, sed & matre privatæ adhuc fortunæ, avo quoque materno privato, procreatus sit: se vero & matre regina natum; & patrem non nisi regem vidisse; avum quoque maternum Cyrum se regem habuisse, non hæredem sed conditorem tanti regni: & si in æquo jure utrumque fratrem pater reliquisset, materno tamen se jure & avito vincere. Hoc certamen concordi animo ad patruum suum Artaphernem veluti ad domesticum judicem, deferunt; qui domi cognita causa, Xerxem præposuit: adeoque fraterna contentio fuit, ut nec victor insultaverit, nec victus doluerit; ipsoq; litis tempore invicem munera miserint; jucunda quoque inter se non solum, sed crudula convivia habuerint; judicium quoque ipsum sine arbitris sine convitio

fuerit. Tanto moderatius tum fratres inter se regna maxime dividebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur. Igitur Xerxes bellum à patre cæptum adversus Græciam quinquennium instruxit. Quod ubi primum didicit Demaratus rex Lacedæmoniorum, qui apud Xerxem exulabat, amicior patriæ post fugam, quam regi post beneficia, ne inopinato bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magistratui perscribit, easdemque cera superinducta delet: ne aut scriptura sine tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet: fido deinde servo præferendas tradit, jusso, magistratui Spartanorum tradere. Quibus perlatis, Lacedæmone quæstioni res diu fuit, quod neque scriptum aliquid viderent, nec frustra missas suspicarentur, tantoque rem majorem, quanto sit occultior, putabant. Hærentibus in conjectura viris, soror regis Leonidæ consilium scribentis invenit. Eraso igitur cera, belli consilia deteguntur. Jam Xerxes septingenta millia de regno armaverat, & trecenta millia de auxiliis: ut non immerito proditum sit, flumina ab exercitu ejus siccata, Græciamque omnem vix capere exercitum ejus potuisse. Naves

ves quoque mille ducentas numero habuisse dicitur. Huic tanto agmini dux defuit. Cæterum si regem spectes; divitias, non ducem laudes: quarum tanta copia in regno ejus fuit, ut cum flumina multitudine consumerentur, opes tamen regiæ supereſſet. Ipse autem primus in fuga, postremus in prœlio semper visus est; in periculis timidus; sicubi metus abesset, inflatus; denique ante experimentum belli, fiducia virium, veluti naturæ ipsius dominus, & montes in planum ducebat; & convexa vallium æquabat; & quædam maria pontibus sternebat: qnædam ad navigationis commodum per compendium ducebat.

Cap. XI. Cujus introitus in Græciam quam terribilis, quam turpis ac fœdus discessus fuit. Nam cum Leonida rex Spartanorum cum quatuor millibus militum angustias Thermopylarum occupasset, Xerxes contemptu paucitatis, eo pugnam capessere jubet, quorum cognati Marathonia pugna interfecti fuerant; qui dum ulcisci suos quærunt, principium cladis fuere: succedente deinde inutili turba, major cædes editur. Triduo ibi cum dolore & indignatione Persarum dimicatum: quarta die, quum

nunciatum Leonidæ, à XX. millibus hostium summum cacumen teneri, tunc hortatur socios, recedant, & se ad meliora patriæ tempora reservent: sibi cum Spartanis fortunam experiendam; plura se patriæ quam vitæ debere: cæteros ad præsidia Græciæ servandos. Audito reges imperio discesserе cæteri, soli Lacedæmonii remanserunt. Initio hujus belli sciscitantibus Delphis oracula responsum fuerat, aut regi Spartanorum, aut urbi cadendum. Et idcirco rex Leonida, cum in bellum proficisceretur, ita suos firmaverat, ut ire se parato ad moriendum animo scirent. Angustias propterea occupaverat, ut cum paucis aut majore gloria vinceret, aut minore damno reipublicæ caderet. Dimissis igitur sociis, hortatur Spartanos, Meminerint, qualitercunque præliantibus cadendum esse: caverent, ne fortius mansisse, quam dimicasse videantur; nec exspectandum ut ab hoste circumvenirentur, sed dum nox occasionem daret, securis & lætis superveniendum: nusquam victores honestius, quam in castris hostium perituros. Nihil erat difficile persuadere persuasis mori: statim arma capiunt; & sexcenti viri castra quingentorum

rum millium irrumpunt; statimque regis prætorium petunt, aut cum illo, aut si ipsi oppressi essent, in ipsius potissimum sede morituri. Tumultus totis castris oritur. Spartani, postea quam regem non inveniunt, per omnia castra victores vagantur; cædunt, sternuntque omnia: ut qui sciant se pugnare non spe victoriæ, sed in mortis ultionem. Prælium à principio noctis in majorem partem diei tractum. Ad postremum non victi, sed vincendo fatigati, inter ingentes stratorum hostium catervas occiderunt. Xerxes duobus vulneribus terrestri prœlio acceptis, experiri maris fortunam statuit.

CAP. XII. Sed Athenienſium dux Themistocles, cum animadvertisset, Jonas, propter quos bellum Persarum susceperat, in auxilium Regis classe venisse; sollicitare eos in partes suas statuit. Et cum colloquendi copiam non haberet, quo applicituri erant, symbolos proponi, & saxis proscribi curat: Quæ vos Jonas dementia tenet? quod facinus agitatis? bellum inferre olim conditoribus vestris, nuper etiam vindicibus, cogitatis? An ideo mœnia vestra condidimus, ut essent qui nostra delerent? quid si non

hæc & Dario prius, & nunc Xerxi, belli causa nobiscum foret, quod vos rebellantes non destituimus? Quin vos in hæc nostra castra ex ista obsidione transitis? Aut si hoc parum tutum extat, vos commisso prœlio ite cessim, inhibete remos, & à bello discedite. Ante navalis prœlii congressionem miserat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos, ad templum Apollinis diripiendum: prorsus quasi non cum Græcis tantum, sed & cum Diis immortalibus bellum gereret: quæ manus tota imbribus & fulminibus deleta est, ut intelligeret, quam nullæ essent hominum adversus deos vires. Post hæc Thespias, & Platæas, & Athenas vacuas hominibus incendit: & quoniam ferro in homines non poterat, in ædificia igne grassatur. Namque Athenienses post pugnam Marathoniam, prænonente Themistocle, victoriam illam de Persis, non finem, sed causam majoris belli fore, cc. naves fabricaverant. Adventante igitur Xerxe, consulentibus Delphis oraculum, responsum fuerat; salutem muris ligneis tuerentur. Themistocles navium præsidium demonstratum ratus, persuadet omnibus, Patriam municipes esse, non mœnia; civitatemque non in ædifi-

ædificiis, sed in civibus positam. Melius itaque salutem navibus, quam urbi commissuros. Hujus sententiæ etiam Deum auctorem esse. Probato consilio, conjuges liberosque cum pretiosissimis rebus, abditis insulis, relicta urbe, demandant: ipsi naves armati conscendunt. Exemplum Athenienſium & aliæ urbes imitatæ. Itaque cum adunata omnis sociorum classis, & intenta in bellum navale esset; angustiasque Salaminii freti, ne circumveniri à multitudine posset, occupassent; dissensio inter civitatum principes oritur: qui cum deserto bello ad sua tuenda delabi vellent, timens Themistocles, ne discessu sociorum vires minuerentur, per servum fidum Xerxi nuntiat, uno in loco eum contractam Græciam capere facilime posse. Quod si civitates, quæ jam abire vellent, dispentur; majore labore ei singulas consectandas. Hoc dolo impellit regem signum pugnæ dare. Græci quoq; adventu hostium occupari, prœlium collatis viribus capessunt. Interea rex, velut spectator pugnæ, cum parte navium in littore remanet. Artemisia autem regina Halicarnassi, quæ in auxilium Xerxi venerat, inter primos duces bellum acerrime

ciebat: Quippe ut in viro muliebrem timorem, ita in muliebre virilem audaciam cerneres. Cum anceps prœlium esset, Jones juxta præceptum Themistoclis, pugnæ se paulatim subtrahere cœperunt, quorum defectio animos cæterorum fregit. Itaque circumspicientes fugam pelluntur Persæ, & mox prœlio victi, in fugam vertuntur. In qua trepidatione multæ captæ naves, multæ mersæ; plures tamen non minus sævitiam regis, quam hostem timentes, domum dilabuntur.

CAP. XIII. Hac clade perculsum, & dubium consilii Xerxem Mardonius aggreditur. Hortatur in regnum abeat, ne quid seditionis moveat fama adversi belli, & in majus, sicuti mos est, omnia extollens: sibi ccc. millia armatorum lecta ex omnibus copiis relinquat; qua manu aut cum gloria ejus perdomiturum se Græciam: aut si aliter eventus ferat, sine ejusdem infamia hostibus cessurum. Probato consilio, Mardonio exercitus traditur: reliquas copias rex ipse reducere in regnum parat. Sed Græci audita regis fuga, consilium ineunt pontis interrumpendi, quem illi Abydo veluti victor maris fecerat; ut intercluso reditu, aut

aut cum exercitu deleretur : aut desperatione rerum, pacem victus petere cogeretur. Sed Themistocles, timens, Ne intercluſi hoſtes desperationem in virtutem verterent, & inter quod aliter non pateret, ferro patefacerent ; ſatis multos hoſtes in Græcia remanere dictitans, nec augeri numerum retinendo oportere; cum vincere conſilio cæteros non poſſet, eundem ſervum ad Xerxem mittit, certioremque conſilii facit; & occupare tranſitum maturata fuga jubet. Ille perculſus nuntio, tradit ducibus milites perducendos ; ipſe cum paucis Abydon contendit. Ubi cum ſolutum pontem hybernis tempeſtatibus offendiſſet, piſcatoria ſcapha trepidus trajecit. Erat res ſpectaculo digna, & æſtimatione fortis humanæ, rerum varietate miranda, in exiguo latentem videre navigio, quem paulo ante vix æquor omne capiebat; carentem etiam omni ſervorum miniſterio, cujus exercitus propter multitudinem terris graves erant. Nec pedeſtribus copiis, quas ducibus aſſignaverat, felicius iter fuit : ſiquidem quotidiano labori (neque enim ulla eſt metuentibus quies) etiam fames acceſſerat. Multorum deinde dierum inopia contraxerat

& peſtem; tantaq; fœditas morientium fuit, ut viæ cadaveribus implerentur, alitesq; & beſtiæ illecebris ſolicitatæ exercitum ſequerentur.

CAP. XIV. Interim Mardonius in Græcia Olynthum expugnat. Athenienſes quoque in ſpem pacis, amicitiamque regis ſollicitat, ſpondens incenſæ eorum urbis etiam in majus reſtitutionem. Poſteaquam nullo pretio libertatem videt his venalem, incenſis quæ ædificare cœperant, copias in Bœotiam transfert. Eo & Græcorum exercitus, qui centum millium fuit, ſequutus eſt: ibiq; prœlium commiſſum. Sed fortuna regis cum duce mutata non eſt. Nam victus Mardonius, veluti ex naufragio cum paucis profugit. Caſtra referta regalis opulentiæ capta. Unde primum Græcos, diviſo inter ſe auro Perſico, divitiarum luxuria cepit. Eodem forte die quo Mardonii copiæ deletæ ſunt, etiam navali prælio in Aſia ſub monte Mycale, adverſus Perſas dimicatum eſt. Ibi ante congreſſionem, cum claſſes ex adverſo ſtarent, fama ad utrumq; exercitum venit, viciſſe Græcos, & Mardonii copias occidione occidiſſe. Tantam famæ velocitatem fuiſſe, ut cum matutino tempore prœlium

lium in Bœotia commissum sit, meridianis horis in Asiam, per tot maria, & tantum spatii, tam brevi horarum momento, de victoria nunciatum sit. Confecto bello, cum de præmiis civitatium ageretur, omnium judicio, Athenienſium virtus cæteris prælata. Inter duces quoque Themistocles, princeps civitatum testimonio judicatus, gloriâ patrię suæ auxit.

CAP. XV. Igitur Athenienses aucti, & præmiis belli & gloria, urbem ex integro condere moliuntur. Cum mœnia majora complexi fuissent, suspecti esse Lacedæmoniis cœpere, recte reputantibus, quibus ruina urbis tantum incrementi dedisset, quantum sit datura munita civitas. Mittunt ergo legatos, qui monerent, ne munimenta hostibus & receptacula futuri belli exstruant. Themistocles, ut vidit spei urbis videri, non existimans abrupte agendum, respondit legatis, iturос Lacedæmonem, qui de ea re pariter cum illis consulant. Sic dimissis Spartanis, horatur suos, opus maturent. Dein ipse interjecto tempore in legationem proficiscitur, & nunc in itinere infirmitate simulata, nunc tarditatem collegarum accusans, sine quibus agi jure nihil posset, diem de die proferendo, spatium con-

consummando operi querebat; cum interim nunciatur Spartanis, opus Athenis maturari; propter quod denuo legatos mittunt ad inspiciendam rem. Tum Themistocles per servum magistratibus scribit Athenienſium, legatos vinciant, pignusque teneant, ne in se gravius consulatur. Adiit deinde concionem Lacedæmoniorum; indicat permunitas Athenas esse, & posse jam illatum bellum non armis tantum, sed etiam muris sustinere: Si quid ob eam rem de se crudelius statuerent, legatos eorum in hoc pignus Athenis retentos. Graviter deinde castigat eos, quod non virtute sed imbecilitate sociorum, potentiam quererent. Sic dimissus, veluti triumphatis Spartanis, à civibus excipitur. Post hæc Spartani, ne vires otio corrumperent, & ut bis illatum à Persis Græciæ bellum ulciscerentur, ulcro finis eorum depopulantur. Ducem suo, sociorumque exercitui diligunt Pausaniam, qui pro ducatu, regnum Græciæ effectans, proditionis præmium cum Xerxe, nuptias filiæ ejus paciscitur, redditis captivis, ut fides Regis aliquo beneficio obstringeretur. Scribit præterea Xerxi, quoscunque ad se nuntios misisset, interficeret; ne res loquacitate hominum pro-

procederetur. Sed Dux Athenienſium Ariſtides, belli ſocius, collegæ conatibus obviam eundo, ſimul & in rem ſapienter conſulendo, proditionis conſilia discuſſit. Nec multo poſt accuſatus Pauſanias, damnatur. Igitur Xerxes, cum proditionis dolum publicatum videret, ex integro bellum inſtituit. Græci quoque ducem conſtituunt Cimonem Athenienſem filium Miltiadis, quo duce apud Merathonem pugnatum eſt juvenem, cujus magnitudinem futuram pietatis documenta prodiderunt. Quippe patrem ob crimen peculatus in carcerem conjectum, ibique defunctum, tranſlatis in ſe vinculis ad ſepulturam redemit. Nec in bello judicium deligentium fefellit: ſiquidem non inferior virtutibus patris, Xerxem terreſtri navalique bello ſuperatum, trepidum recipere ſe in regnum coëgit.

LIBER III.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Xerxis & Artabani præfecti perfidi tragicus interitus.*
2. *Bellorum inter Lacedæmonios & Athenienſes origo. Sparta Reſpublica, & Legiſlator.*

3. *Le-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0069
DFG

3. *Leges à Lycurgo Spartanis latæ, quomodo ratæ fiant & habeantur?*
4. *Bellum Messeniis illatum ob stupratas virgines & spuriorum Spartanorum in Italiam migratio.*
5. *Messenii scelerum suorum luunt pœnas; & bellum instaurant ac tandem superantur.*
6. *Tertium bellum Messenium Peloponnesiacum item, in quo multæ eventuum varietatum facies.*
7. *Pacis sædis ruptum. Spartani præmuntur Periclis virtute, cujus egregia in rempublicam merita describuntur. Iterum pax sancita & violata: unde bellum Siculum.*

CAP. I.

XErxes rex Persarum, terror antea gentium, bello in Græciam infeliciter gesto, etiam suis contemptui esse cœpit. Quippe Artabanus præfectus ejus, deficiente quotidie regis majestate, in spem regni adductus, cum septem robustissimis filiis regiam vesperi ingreditur, (nam amicitiæ jure semper illi patebat) trucidatoque rege, voto suo obsistentes filios ejus, dolo aggreditur. Securior de Artaxerxe, pureo admodum, fingit regem à Dario, qui erat adolescens, quo maturius regno potiretur, occisum; impellit Artaxerxem parricidium parricidio vindicare. Cum

Cum ventum ad domum Darii esset, dormiens inventus, quasi somnum fingeret, interficitur. Dein cum ~~ventum ad domum Darii esset, dormiens inventus, quasi somnum~~ unum ex regis filiis sceleri suo superesse Artabanus videret, metueretque de regno certamina principum; assumit in societatem consilii Bacabasum, qui præsenti statu contentus, rem prodit Artaxerxi, ut pater ejus occisus; ut frater falsa parricidii suspicione opressus; ut denique ipsi pararentur insidiæ. His cognitis Artaxerxes, verens Artabani numerum filiorum, in posterum diem paratum esse armatum exercitum jubet, recogniturus & numerum militum, & in armis industriam singulorum. Itaque cum inter cæteros & ipse Artabanus armatus assisteret, rex simulat se Græviorum loricam habere: jubet Artabanum secũ commutare: exuentem se, ac nudatum, gladio trajicit: Tum & filios ejus corripi jubet. Atque ita egregius adolescens, & cædim patris, & se ab insidiis Artabani vindicavit.

CAP. II. Dum hæc in Persis geruntur, interea Græcia omnis, ducibus Lacedæmoniis & Athenienſibus, in duas divisa partes, ab externis bellis, velut in

viscera sua, arma convertit. Fiunt igitur de uno populo duo corpora; & eorundem castrorum homines, in duos hostiles exercitus dividuntur. Hinc Lacedæmonii communia quondam civitatium auxilia ad vires suas trahebant: inde Athenienses, & vetustate gentis, & gestis rebus illustres, propriis viribus confidebant. Atque ita duo potentissimi Græciæ populi, institutis Solonis, & Lycurgi legibus pares, ex emulatione virium in bellum ruebant. Namque Lycurgus cum fratri suo polybitæ Spartanorum regi successisset, regnumque sibi vendicare potuisset, Charillo, filio ejus qui natus postumus fuerat, cum ad ætatem adultam perveniisset, regnum summa fide restituit: ut intellegerent omnes, Quanto plus apud bonos pietatis jura, quam omnes opes valerent. Medio igitur tempore dum infans convalescit, tutelamque ejus administrat, non habentibus Spartanis leges instituit, non inventione earum magis, quam exemplo clarior: Si quidem nihil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documenta daret. Populum in obsequia principum, principes ad justitiam imperiorum formavit. Parcimoniam omnibus suasit,

suasit, existimans, laborem militiæ, assidua frugalitatis consuetudine faciliorem fore. Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium jussit. Auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam, sustulit.

CAP. III. Administrationem reipublicæ per ordines divisit: Regibus potestatem bellorum magistratibus judicia per annuas successiones; Senatui custodiam legum populo sublegendi Senatum, vel creandi quos vellet magistratus, potestatem permisit. Fundos omnium æqualiter inter omnes divisit, ut æquata patrimonia neminem potentiorem altero redderent. Convivari omnes publice jussit, ne cujus divitiæ vel luxuria in occulto essent. Juvenibus non amplius una veste uti toto anno permisit, nec quenquam cultius quam alterum progredi, nec epulari opulentius, ne imitatio in luxuriam verteretur. Pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci præcipit, ut primos annos non in luxuria, sed in opere, & laboribus agerent. Nihil eos somni causa substernere, & vitam sine pulmento debere, neque prius in urbem redire, quam viri facti essent, statuit. Virginis sine dote nubere jussit, ut uxores elige-

eligerentur, non pecuniæ; ſe viusque matrimonia ſua viri coërcerent, cum nullis dotis frænis tenerentur. Maximum honorem non divitum & potentium, ſed pro gradu ætatis ſenum eſſe voluit: Nec ſane usquam terrarum locum honoratiorem ſenectus habet. Hæc quoniam primo, ſolutis antea moribus, dura videbat eſſe, auctorem eorum Apollinem Delphicum fingit, & inde ſe ea ex præcepto numinis detuliſſe, ut conſueſcendi tædium metus religionis vincat. Dein ut æternitatem legibus ſuis daret, jure jurando obligat civitatem, nihil eos de ejus legibus mutaturos, priusquam reverteretur: & ſimulat ſe ad oraculum Delphicum proficiſci, conſulturum, quid addendum mutandumque legibus videretur. Proficiſcitur autem Cretam, ubiq; perpetuum exilium egit, abjiciq; in mare oſſa ſua moriens juſſit, ne relatis Lacedæmonem, ſolutos ſe Spartani religione jurisjurandi in diſſolvendis legibus arbitrarentur.

CAP. IV. His igitur moribus ita brevi civitas convaluit, ut cum Meſſeniis propter ſtupratas virgines ſuas, in ſolemni Meſſeniorum ſacrificio, bellum intuliſſent, graviſſima ſe exſecratione obſtrin-

strinxerint, non prius quam Messeniam expugnassent, reversuros; tantum sibi vel de viribus suis, vel de fortuna spondentes. Quæ res initium dissensionis Græciæ, & intestini belli causa & origo fuit. Itaque cum contra præsumptionem suam annis decem in obsidione urbis tenerentur, & querelis uxorum post tam longam viduitatem revocarentur: veriti, ne hac perseverantia belli, gravius sibi quam Messeniis nocerent: quippe illis quantum juventutis bello intercidat, mulierum fœcunditate suppleri; sibi & belli damna assidua, & fœcunditatem uxorum, absentibus viris, nullam esse: itaque legunt juvenes ex eo genere militum, qui post jusjurandum in supplementum venerant, quibus Spartam remissis promiscuos omnium fœminarum concubitus permisere: maturiorem futuram conceptionem rati, si eam singulæ per plures viros experientur. Ex his nati, ob notam materni pudoris, Partheniæ vocati, qui cum ad annos XXX. pervenissent, metu inopiæ (nulli enim pater existebat, cujus in patrimonium successio speratur) ducem Palantum assumunt, filium Araci, qui auctor Spartanis fuerat, juventutis ad generandam subolem domum remittendæ:

dæ: ut sicuti dudum patrem ejus nascendi auctorem habuissent, sic ipsum spei ac dignitatis suæ haberent. Itaq; nec salutaris matribus, è quarum adulterio infamiam collegisse videbantur, ad sedes inquirendas proficiscuntur; diuque & per varios casus jactari, tandem in Italiam deferuntur, & occupat arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, sedes ibi constituunt. Sed post annos plurimos dux eorum Palantus, per seditionem in exilium proturbatus, Brundusium se contulit, quo expulsi sedibus suis veteres Tarentini concesserant. His moriens persuadet, ut ossa sua, postremasque reliquias conterant, & tacite spargi in foro Tarentinorum curent. Hoc enim modo recuperare illos patriam suam posse, Apollinem Delphis ceciniisse. Illi arbitrantes eum in ultionem sui, civium fata prodidisse, præceptis paruere: sed oraculi diversa sententia fuerat. Perpetuitatem enim urbis, non amissionem hoc facto promiserat. Ita ducis exulis consilio, & hostium ministerio, possessio Tarentina Partheniis in æternum fundata, ob cujus beneficii memoriam Palanto divinos honores decrevere.

CAP. V. Interea Messenii, cum virtute

tute non possent, per insidias expugnantur. Dein cum per annos LXXX. gravia servitutis verbera, plerunque & vincula, cæteraq; captivitatis mala perpessi essent, post longam pœnarum patientiam, bellum restaurant. Lacedæmonii quoque eo conspiratius ad arma concurrunt, quo adversus servos dimicaturi videbantur. Itaque cum hinc injuria, inde indignitas animos acueret; Lacedæmonii de belli eventu oraculo Delphis consulto, jubentur ducem belli ab Athenienſibus petere. Porro Athenienses, cum responsum cognovissent, in contemptum Spartanorum Tyrtæum Poëtam claudum pede misere; qui tribus prœliis fusus, eo usque desperationis Spartanos adduxit, ut ad supplementum exercitus, servos suos manumitterent, hisque interfectorum matrimonia pollicerentur; ut non numero tantum amissorum civium, sed & dignitati succederent. Sed reges Lacedæmoniorum, ne contra fortunam pugnando, majora detrimenta civitati infligerent, reducere exercitum voluerunt; ni interveniſſet Tyrtæus; qui compoſita carmina exercitui pro concione recitavit; in quibus hortamenta virtutis, damnorum solatia, belli consi-

lia conscripserat. Itaque tantum ardorem militibus injecit, ut non de salute, sed de sepultura soliciti, tesseras, insculptis suis & patrum nominibus, dexto brachio deligarent; ut si omnes adversum prœlium consumsissent, & temporis spatio confusa corporum lineamenta essent, ex indicio titulorum, tradi sepulturæ possent. Cum sic animatum reges exercitum viderent, curant rem hostibus nunciari. Messeniis autem non timorem res, sed æmulationem mutuam dedit. Itaque tantis animis concursum est, ut raro unquam cruentius prœlium fuerit. Ad postremum tamen victoria Lacedæmoniorum fuit.

CAP. VI. Interjecto tempore tertium quoque bellum Messenii reparavere: in cujus auxilium Lacedæmonii inter reliquos socios etiam Athenienses adhibuere: quorum fidem cum suspectam haberent, supervacaneos simulantes, à bello eosdem dimiserunt. Hanc rem Athenienses graviter ferentes, pecuniam quæ erat in stipendium Persici belli ab universa Græcia collata, à Delo Athenas transferunt, ne deficientibus à fide societatis Lacedæmoniis, prædæ ac rapinæ esset. Sed nec Lacedæmonii quie-

vere:

vere: qui cum Messeniorum bello occupati essent, Peloponnenses immisere qui bellum Athenienſibus facerent. Parvæ tunc temporis, classum in Ægyptum missa, vires Athenienſibus erant: Itaq; navali prœlio dimicantes, facile superantur. Interjecto deinde tempore, post reditum suorum aucti & classis & militum robore, prœlium reparavere. Jam & Lacedæmonii, omisſis Messeniis, adverſus Athenienſes arma verterant. Diu varia victoria fuit: ad postremum æquo Marte utrinq; discessum. Inde revocati Lacedæmonii ad Messeniorum bellum, ne medium tempus otioſum Athenienſibus relinquerent, cum Thebanis paciſcuntur, ut Bœotiorum imperium his restituerent, quod temporibus Persici belli amiſerant, ut illi Athenienſium bella ſuſciperent. Tantus furor Spartanorum erat, ut duobus bellis impliciti ſuſcipere tertium non recuſarent, dummodo inimicis ſuis hoſtes acquirerent. Igitur Athenienſes, adverſus tantam tempeſtatem, belli duos duces diligunt, Periclem ſpectatæ virtutis virum, & Sophoclem ſcriptorem tragœdiarum: qui diviſo exercitu, & Spartanotum agros vaſtaverunt, & multas Achaja civitates Athenienſium imperio adjecerunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0079
DFG

CAP. VII. His malis fracti Lacedæmonii, in annos XXX. pepigerunt pacem; sed tam longum otium inimicitiæ non tulerunt. Ita quintodecimo anno, rupto fœdere, cum contemptu deorum hominumque, fines Atticos populantur: Et ne prædam potius, quam pugnam expetisse viderentur, hostes ad prœlium provocant. Sed Athenienses consilio Periclis ducis, populationis injuriam differunt in tempus ultionis; Supervacuam pugnam existimantes, cum ulcisci hostem sine periculo possent. Deinde interjectis diebus, naves conscendunt, & nihil sentientibus Lacedæmoniis, totam Spartam deprædantur, multoque plura auferunt, quam amiserant. Prorsus ut in comparatione damnorum, longe pluris fuerit ultio, quam injuria. Clara quidem hæc Periclis expeditio habita: sed multo clarior privati patrimonii contemptus fuit. Hujus agros, in populatione cæterorum, intactos, hostes reliquerant, sperantes acquirere se illi posse, aut periculum ex invidia, aut ex suspicione proditionis infamiam. Quod ante prospiciens Pericles, & futurum populo prædixerat; & ad invidiæ impetum declinandum, agros ipso dono reipublicæ dederat:

derat: Atq; ita, unde periculum quæsitum fuerat, ibi maximam gloriam invenit. Post hæc interjectis diebus, navali prœlio dimicatum est: victi Lacedæmonii fugerunt. Necessarium deinceps est, quin aut terra, aut mari, varia prœliorum fortuna invicem se trucidarent. Deniq; fessi tot malis, pacem in annos quinquaginta fecere, quam non nisi sex annos servaverunt. Nam inducias quas proprio nomine condixerant, ex sociorum persona rumpebant: quippe quasi minus perjuri contraherent, si ferentes sociis auxilia, potius quam si aperto prœlio dimicassent. Hinc bellum in Siciliam translatum: quod priusquam expono, de Siciliæ situ pauca dicenda sunt.

LIBER IV.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Siciliæ insulæ situs, soli natura. Ætna mons & Scillæ & Charybdis miraculum.*
2. *Nomina, incolæ veteres, Tyranni Siciliæ, cui Carthaginenses inhiant.*
3. *Rheginenses ab Himeranis oppressi, Athenienses imperium Siciliæ ambiunt, & prospere agunt initio.*
4. *Incepto pergentes, Syracusani Lacedæmonios accersunt. Græcorum concursus fit, & bellum in Siciliam transfertur.*
5. *Athenienses à Gylippo Lacedæmoniorum Duce terra marique franguntur: Ducibus Demosthene & Nicia indecoro fato sublatis.*

CAP. I.

SIciliam ferunt angustis quondam faucibus Italiæ adhæsisse; direptamque velut à corpore, majore impetu superi maris, quod toto undarum onere illuc vehitur. Est autem ipsa terra tenuis ac fragilis; & cavernis quibusdam fistulisque ita pene trabilis, ut ventorum tota ferme flatibus pateat; nec non & ignibus generandis nutriendisq; soli ipsius naturalis materia quippe intrensecus stratum sulphure & bitumine traditur: quæ res facit, ut spiritu cum igne inter interiora luctante, frequenter & compluribus locis nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet. Inde deniq; Ætnæ montis per tot secula durat incendium. Et ubi acrior per spiramenta cavernarum ventus incubuit, harenarum moles egeruntur. Proximum Italiæ promontorium, Rhegium dicitur, ideo quia Græce abrupta hoc nomine pronuntiantur. Nec mirum si fabulosa est loci hujus antiquitas, in quem res tot coiere miræ. Primum quod nusquam alias tam torrens fretum, nec solum citato impetu, verum etiam sævo; neq; experientibus modo terribile, verum etiam procul

procul videntibus. Undarum porro in se concurrentium tanta pugna est, ut alias veluti terga dantes in imum desidere, alias quasi victrices in sublime ferri videas: nunc hic fremitum ferventis æstus, nunc illic gemitum in voraginem desidentis exaudias Accedunt vicini, & perperui Ætnæ montis ignes, & insularum Æolidum, veluti ipsis undis alatur incendium. Neque enim in tam angustis terminis aliter durare tot seculis tantus ignis potuisset, nisi humoris nutrimentis aleretur. Hinc igitur fabulæ Scyllam & Charybdin peperere; hinc latratus auditus, hinc monstri credita simulacra, dum navigantes magnis vorticibus pelagi desidentis exterriti, latrare putant undas, quas scorbentis æstus vorago conlidit. Eadem causa etiam Ætnæ montis perpetuos ignes facit. Nam aquarum ille concursus, raptum secum spiritum in imum fundum trahit, atque ibi suffocatum tamdiu tenet, donec per spiramenta (terræ diffusus, nutrimenta) ignis incendat. Jam ipsa Italiæ Siciliæque vicinitas, (Jam) promontoriorum altitudo ipsa ita similis est, ut quantum nunc admirationis tantum antiquis terroris dederit; credentibus, coëuntibus in se promontoriis,

ac rursum discedentibus, solida intercipi absumique navigia. Neque hoc ab antiquis in duleedinem fabulæ compositum, sed metu & admiratione transeuntium. Ea est enim procul inspicientibus natura loci, ut sinum maris non transitum putes; quo cum accesseris, discedere ac sejungi promontoria, quæ antea juncta fuerant, arbitrere.

CAP. II. Siciliæ primo Trinacriæ nomen fuit; postea Sicania cognominata est. Hæc à principio patria Cyclopum fuit: quibus extinctis, Cocalus regnum insulæ occupavit: post quem singulæ civitates in tyrannorum imperium concesserunt, quorum nulla terra feracior fuit. Horum ex numero Anaxilaus justitia cum cæterorum crudelitate certabat; cujus moderationis haud mediocrem fructum tulit: Quippe decedens cum filios parvulos reliquisset, tutelamque eorum Micalo, spectatæ fidei servo, commisisset: tantus amor memoriæ ejus apud omnes fuit, ut parere servo, quam deferere regis filios mallent, principesque civitatis obliti dignitatis suæ, regni majestatem administrari per servum paterentur. Imperium Siciliæ etiam Carthaginenses tentavere, diuque varia victoria

victoria cum tyrannis dimicatum. Ad postremum, amisso Hamilcare imperatore cum exercitu, aliquantisper quievere victi.

Cap. III. Medio tempore cum Rheginis discordia laborarent, civitasque per dissensionem divisa in duas partes esset; veterani ex altera parte ab Himera in auxilium vocati, pulsis civitate, contra quos implorati fuerant, & mox cæsus, quibus tulerant auxilium, urbem cum conjugibus & liberis sociorum occupavere; ausi facinus nulli tyranno comparandum: quippe ut Rheginis melius fuerit vinci, quam vicisse. Nam sive victoribus captivitatis jure servissent, sive amissa patria exulare necesse habuissent; non tamen, inter aras & patrios lares trucidati, crudelissimis tyrannis patriam cum conjugibus ac liberis prædam reliquissent. Catinienses quoque cum Syracusanos graves paterentur, diffisi viribus suis, auxilium ab Athenienſibus petivere: quisve studio majoris imperii, quo Asiam Græciamque penitus occuparent, seu metu factæ pridem à Syracusanis classis, ne Lacedæmoniis illæ vires accederent; Lamponium ducem cum classe in Siciliam misere, ut sub spe-

cie ferendi Catinienſibus auxilii, tentarent Siciliæ imperium. Et quoniam prima initia, frequenter cæſis hoſtibus, proſpera fuerant; majore denuo claſſe, & robuſtiore exercitu. Lachete & Cariade ducibus, Siciliam petivere: ſed Catinienſes, ſive metu Athenienſium, ſive tædio belli, pacem cum Syracuſanis, remiſſis Athenienſium auxiliis, fecerunt.

CAP. IV. Interjecto deinde tempore, cum fides pacis à Syracuſanis non ſervaretur, denuo legatos Athenas mittunt, qui ſordida veſte, capillo barbaque promiſſis, & omni ſqualoris habitu ad miſericordiam commovendam acquiſito, conciones deformes adeunt: adduntur precibus lacrymæ: & ita miſericordem populum ſupplices movent, ut damnarentur duces, qui ab his auxilia deduxerant. Igitur claſſis ingens decernitur: creantur duces Nicias, & Alcibiades, & Lamachus, tantisque viribus Sicilia repetitur, ut ipſis terrori eſſent, in quorum auxilia mittebantur. Brevi poſt tempore, revocato ad reatum Alcibiade, duo prælia pedeſtria ſecunda Nicias & Lamachus faciunt: munitionibus deinde circumdatis, hoſtes etiam marinis commeatibus in urbe clauſos intercludunt.

dunt. Quibus rebus fracti Syracusani, auxilium à Lacedæmoniis petiverunt. Ab his mittitur Gylippus, solus, sed in quo instar omnium auxiliorum erat. Is audito genere belli, jam inclinato statu, auxiliis partim in Græcia, partim in Sicilia contractis, opportuna bello loca occupat. Duobus deinde prœliis victus, congressus tertio, occiso Lamacho, & hostes in fugam compulit, & socios obsidione liberavit. Sed cum Athenienses à bello terrestri in navale se transtulissent, Gylippus classem Lacedæmone cum auxiliis arcessit: quo cognito, & ipsi Athenienses in locum amissi ducis Demosthenem & Eurymedonta, cum supplemento copiarum miserunt: Peloponesii quoque communi civitatum decreto, ingentia Syracusanis auxilia misere: & quasi Græciæ bellum in Siciliam translatum esset, ita ex utraq; parte summis viribus dimicabatur.

Cap. V. Prima igitur congressione navalis certaminis, Athenienses vincuntur. Castra quoque cum omni publica ac privata pecunia amittunt. Super hæc mala, cum etiam terrestri prœlio victi essent, tunc Demosthenes censere cœpit, ut abirent Sicilia, dum res, quamvis af-

flictæ, nondum tamen perditæ forent: neque in bello male auſpicato amplius perſeverandum eſſe; domi gtaviora, & forſitan infeliciora bella, in quæ ſervare hos urbis apparatus oporteat. Nicias ſeu pudore male actæ rei, ſeu metu deſtitutæ ſpei civium, ſeu impellente fato, manere contendit. Reparatur igitur navale bellum, & animi à prioris fortunæ procella, ad ſpem certaminis revocantur: ſed inſcita ducum, qui inter anguſtias maris tuentes ſe Syracuſanos aggreſſi fuerant, facile incuntur. Eurymedon dux in prima acie fortiſſime dimicans, primus cadit: triginta naves quibus præfuerat, incenduntur. Demoſthenes & Nicias, & ipſi victi, exercitum in terram deponunt, tutiorem fugam rati itinere terreſtri. Ab his relictas centum triginta naves Gylippus invaſit: ipſos deinde inſequitur: fugientes partim capit, partim cædit. Demoſthenes amiſſo exercitu, à captivitate, gladio, & voluntaria morte ſe vindicat: Nicias autnm ne Demoſthenis quidem exemplo, ut ſibi conſuleret, admonitus, cladem ſuorum auxit dedecore captivitatis.

LIBER

LIBER V.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Alcibiades Siculi belli concitor in exilium conjectus, Lacedæmonios ad bellum Athenensibus inferendum impellit. Huic bello Darius Rex Persarum accedat socius Lacedæmoniis.*

2. *Alcibiades res gestæ in patriam. Lacedæmonius suspectus, negotium illis facisit Tissafernis opera.*

3. *Alcibiades statum reip. mutat deinde classe instructa in bellum pergit adversus Lacedæmonios.*

4. *Navalis pugna & præclara de Lacedæmoniis victis ab Alcibiade reportata victoria. Is desideratus civibus suis Athenas reversus summa cum omnium lætitia excipitur.*

5. *Lacedæmonii Persarum freti auxilio exercitum Athenensium in Asia sparsum opprimunt. Alcibiades ob rem male gestam veritus populi impetum denuo in voluntarium exilium proficiscitur.*

6. *Conon Alcibiadis successor invalidos & novos milites nactus infeliciter rem gerit, & navali prælio superatus concedit ad Euageram.*

7. *Athenienſium tot cladibus fractorum pusillanimitas.*

8. *Lacedæmonii victores urbe Athenarum deditione potiuntur. Lysander statum reip. mutat: inde XXX. tyranni, & cædes Alcibiadis.*

9. *Theramenes tyrannorum unus vir moderatus, a collegis trucidatur. Thrasybulus remp. collapsam restituit, & prælio commisso XXX tyrannorum saviſſimos Critiam & Hippolochum mactat.*

10. *Thrasybulus populares fugientes placide revocat: superstites tyrannos urbe pellit, qui dum bellum reparare studeant, comprehensi trucidantur ἀμνηστία, id est, discordiarum oblivione inter cives sancita.*

11. *Darii mors. Inter cujus filios Artaxerxem & Cyrum lis de regno. Quæ prius in occultum, deinde vero in apertum bellum erumpente, Artaxerxes demum fratre occiso, & victoria & regno potitur.*

CAP. I.

DUm Athenienſes in Sicilia bellum per biennium cupidius, quam felicius gerunt, interim concitor & dux ejus Alcibiades abſens Athenis inſimulatur, myſteria Cereris Initiorum ſacra, nullo magis quam ſilentio ſolemnia, enunciaviſſe. Revocatusq; à bello ad judicium, ſive conſcientiam, ſive indignitatem rei non ferens, tacitus in exilium Elidem profectus eſt. Inde ubi non damnatum ſe tantum, verum etiam diris per omnium ſacerdotum religiones de votum cognovit, Lacedæmonia ſe contulit, ibique regem Lacedæmoniorum impellit, turbatis Athenienſibus adverſo Siciliæ prœlio ultro bellū inferre. Quo facto, omnia Græciæ regna, velut ad extinguendum commune incendium, concurrunt. Tantum odium Athenienſes immoderati imperii crudelitate contraxerant. Darius quoque rex Perſarum, memor paterni avitique in hanc urbem odii, facta cum Lacedæmoniis per Tiſſafernem præfectum Lydiæ ſocietate, omnem ſumptum belli policetur. Et erat hic quidem titulus cum Græcis coëundi: re autem vera timebat, ne victis Athenienſibus ad ſe Lacedæmonii arma transferrent.

rent. Quis igitur miretur tam florentes Athenienſium opes ruiſſe, cum ad opprimendam unam urbem, totius Orientis vires concurrent. Non tamen inerti, neque incruento cecidere bello: ſed præliati ad ultimũ, victores etiam interdum, conſumpti magis fortunæ varietate, quam victi ſunt. Principio belli omnes ab his etiam ſocii deſciverant, ut fit: Quo ſe fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat.

CAP. II. Alcibiades quoque motum adverſus patriam bellum, non gregarii milites opera, ſed imperatoriis virtutibus adjuvat. Quippe acceptis quinque navibus in Aſiam contendit, & tributarias Athenienſium civitates, auctoritate nominis ſui, ad defectionẽ compellit. Sciebant enim domi clarum, nec exilio videbant factum minorem; nec tam ablatum Athenienſibus ducem, quam Lacedæmoniis traditum; partaque cum amiſſis imperia penſabant. Sed apud Lacedæmonios virtus Alcibiadis plus invidiæ quam gratiæ contraxit. Itaque cum principes velut æmulum gloriæ ſuæ interficiendum inſidiis mandaſſent, cognita re Alcibiades per uxorem Agidis regis, quam adulterio cognoverat, ad Tiſſafernem præfectum Darii regis profugit; cui ſe celeriter officii

officii comitate,& obsequendi gratia insinuavit. Erat enim & ætatis flore,& formæ veneratione, nec minus eloquentia, etiam inter Athenienses, insignis: sed in conciliandis amicitiarum studiis, quam in retinendis,vir melior: quia morum vitia sub umbra eloquentiæ primo latebant. Igitur persuadet Tissaferni,ne tanta stipendia classi Lacedæmoniorum præberet. Vocandos enim in portionem muneris Jonios, quorum pro libertate,cum tributa Athenienſibus penderent, bellum susceptum sit. Sed nec auxiliis nimis enixe Lacedæmonios juvandos; Quippe memorem esse debere,alienam se victoriam, non suam instruere: Et eatenus bellum sustinendum, ne inopia deseratur. Nam regem Persarum, dissentientibus Græcis, arbitrum pacis ac belli fore; & quos suis non posset, ipsorum armis victurum, perfecto autem bello, statim ei cum victoribus dimicandum. Domesticis itaque bellis Græciam obterendam,ne externis vacet; exæquandasque vires partium,& inferiores auxilio levandos. Non enim quieturos post hanc victoriam Spartanos, qui vindices se libertatis Græciæ professi sint. Grata oratio Tissaferni fuit. Itaq; com-

commeatus maligne præbere: classem regiam non totam mittere; ne aut victoriam totam daret, aut necessitatem deponendi belli imponeret.

CAP. III. Interea Alcibiades hanc operam civibus venditabat: ad quem cum legati Athenienſium veniſſent, pollicetur, his amicitiam regis, ſi reſpub. à populo translata ad ſenatum foret: ſperans, ut aut concordante civitate, dux belli ab omnibus legeretur: aut diſcordia inter ordines facta, ab altera parte in auxilium vocaretur. Sed Athenienſibus imminente periculo belli, major ſalutis quam dignitatis cura fuit. Itaque permittente populo imperium ad ſenatum transfertur. Qui cum inſita genti ſuperbia crudeliter in plebem conſuleret, ſingulis tyrannidis ſibi impotentiam vindicantibus, ab exercitu Alcibiades exul revocatur, duxque claſſi conſtituitur. Statim igitur Athenas mittit, ex continenti ſe cum exercitu venturum, recepturumque à quadringentis jura populi, ni ipſi redderent. Hac denuntiatione optimates territi, primo urbem prodere Lacedæmoniis tentavere: dein cum id nequiſſent, in exilium profecti ſunt. Igitur Alcibiades, inteſtino malo

patria

patria liberata, summa cura classem instruit; atque ita in bellum adversus Lacedæmonios pergit.

CAP. IV. Jam Mindarus & Pharnabazus, Lacedæmoniorum duces, instructis navibus expectabant. Prœlio commisso, victoria penes Athenienses fuit. In eo bello major pars exercitus, & omnes ferme hostium duces cæsi: naves LXXX captæ. Interjectis quoque diebus, cum bellum Lacedæmonii à mari in terram transtulissent, iterato vincuntur. His malis fracti, pacem petiere: Quam ne acciperent, opera eorum effectum est, quibus ea res quæstum præstabat. Interea & Syracusanorum auxilia, ob illatum à Carthaginiensibus Siciliæ bellum, domum revocavit: quibus rebus destitutis Lacedæmoniis, Alcibiades, cum classe victrici Asiam vastat: multis locis prœlia facit: ubique victor recipit civitates, quæ defecerant: nonnullas capit, & imperio Athenienſium adjicit: atque ita priſca navali gloria vindicata, adjecta etiam laude terrestris belli, desideratus civibus suis Athenas revertitur. His omnibus prœliis ducentæ naves hostium, & præda ingens capta. Ad hunc redeuntis exercitus triumphum, effusa omnis multitudo obviam procedit: & universos,

sos quidem milites, præcipue tamen Alcibiadem mirantur: in hunc oculos civitas universa, in hunc suspensa ora convertit: hunc quasi de cœlo missum, & ut ipsam victoriam contuc[illegible]tur: laudant quæ pro patria, nec minus admirantur quæ exul contra gesserit, excusantes ipsi, iratum provocatumque fecisse. Enim vero tantum in uno viro fuisse momenti, ut maximi imperii subversi, & rursum recepti auctor esset; & unde stetisset, eo se victoria transferret; fieretque cum eo mira quædam fortunæ inclinatio Igitur omnibus non humanis tantum, verum & divinis eum honoribus onerant: certant secum ipsi, utrum contumeliosius eum expulerint, an revocaverint honoratius. Ipsos illi deos gratulantes tulere obviã, quorum exsecrationibus erat devot9. Et cui paulo ante omnem humanam opem interdixerant, eum, si queant, in cœlo posuisse cupiunt. Explent contumelias honoribus, detrimenta muneribus, exsecrationes precibus. Non Siciliæ illis adversa pugna in ore est, sed Græciæ victoria: non classes per illum amissæ, sed acquisitæ: nec Syracusarũ, sed Joniæ, Helleſpontique meminerunt. Sic Alcibiades nunquam mediocribus, nec in offensa, nec in favore studiis suorum except9 est.

CAP.

CAP. V. Dum hæc aguntur à Lacedæmoniis Lysander classi belloque præficitur, & in locum Tissafernis, Darius rex Persarum filium suum Cyrum Joniæ Lydiæque præposuit: qui Lacedæmonios auxiliis opibusque ad spem fortunæ prioris erexit. Aucti igitur viribus, Alcibiadem cum centum navibus in Asiam profectum, dum agros longa pace divites, securius populatur, & prædæ dulcedine sine insidiarum metu sparsos milites habet, repentino adventu oppressere; tantaque cædes palantium fuit, ut plus vulneris eo prœlio Athenienses acciperent, quam superioribus dederant: & tanta desperatio apud Athenienses erat, ut ex continenti Alcibiademducem Conone mutarent; arbitrantes victos se non fortuna belli, sed fraude imperatoris: apud quem plus prior offensa valuisset, quam recentia beneficia. Vicisse autem eum priore bello ideo tantum, ut offenderet hostibus, quem ducem sprevissent, & ut carius eis ipsam victoriam venderet. Omnia enim credibilia in Alcibiade, vigor ingenii, & morum luxuria faciebat. Veritus itaque multitudinis impetum, denuo in voluntarium exilium proficiscitur.

CAP.

CAP. VI. Itaque Conon Alcibiadi suffectus, habens ante oculos cui duci succeſſiſſet, claſſem maxima induſtria exornat: ſed navibus exercitus deerat fortiſſimis quibusque in Aſiæ populatione amiſſis. Armantur tamen ſenes, aut impuberes pueri, & numerus militum ſine exercitus robore expletur. Sed non magnam bello moram ætas fecit imbellis: cæduntur paſſim, aut fugientes capiuntur: tantaque ſtrages, aut occiſorum, aut captivorum fuit, ut Athenienſium deletum non imperium tantum, verum etiam nomen videretur. Quo prœlio perditis & deſperatis rebus, ad tantam inopiam redguntur, ut conſumpta militari ætate, peregrinis civitatem, ſervis libertatem, damnatis impunitatem darent. Ex qua colluvione hominum, conſcripto exercitu, domini antea Græciæ, vix libertatem tuebantur. Iterum tamen fortunam maris experiendam decernunt, tanta virtus animorum erat, ut cum paulo ante ſalutem deſperaverint, nunc non deſperent victoriam. Sed neque is miles erat, qui nomen Athenienſium tueretur; neque eæ vires, quibus vincere conſueranr; neque ea ſcientia militaris in his, quos vincula, non caſtra con-

continuerant. Itaque omnes aut capti aut occisi. Cum dux Conon ex prœlio superfuisset solus, crudelitatem civium metuens, cum octo navibus ad regem Cyprium concedit Euagoram.

CAP. VII. At dux Lacedæmoniorum rebus feliciter gestis, fortunæ hostium insultat; captivas naves cum præda bellica in triumphi modum ornatas, mittit Lacedæmonia: ac tributarias Athenienſium civitates, quas metus dubiæ belli fortunæ in fide tenuerat, voluntarias recepit; nec aliud ditionis Athenienſium præter urbem ipſam reliquit. Quæ cuncta cum Athenis nunciata essent, omnes relictis domibus, per urbem discurrere pavidi: alius alium ſciſcitari; auctorem nuncii requirere: non pueros imprudentia; non ſenes debilitas; non mulieres ſexus imbecillitas domi tenet: adeo ad omnem ætatem tanti mali ſenſus penetraverat. In foro deinde coëunt, atque ibi perpeti nocte fortunam publicam queſtibus iterant. Alii fratres, aut filios, aut parentes deflent, cognatos alii, alii amicos cognatis cariores, & cum privatis caſibus querelam publicam miſcent: jam ſe ipſos, jam ipſam patriam perituram, miſerioremque incolumium, quam

quam amissorum fortunam judicantes: sibi quisque ante oculos obsidionem, famem, & superbum victoremque hostem proponentes: jam ruinam urbis & incendia, jam omnium captivitatem & miserrimam servitutem recordantes: feliciores prorsus priores urbis ruinas ducentes, quæ incolumibus filiis parentibusque, tectorum tantum ruina taxatæ sint. Nunc autem non classem, in quam sicuti pridem, confugiant, superesse; non exercitum, cujus virtute servati pulchriora possent mœnia extruere.

CAP. VIII. Sic defletæ ac prope perditæ urbi hostes superveniūt, & obsidione circumdata obsessos fame urgent. Sciebat enim neque ex advectis copiis multum supersse; & ne novæ advehi possent, providerant: quibus malis Athenienses fracti, post longam famem, & assidua suorum funera, pacem petivere: quæ an dari deberet, diu inter Spartanos, sociosque deliberatum. Cum multi delendum Athenienſium nomen urbemque incendio consumendam censerent; negarunt se Spartani ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos: pacem politici, si demissa Pyræum versus muri brachia dejicerent, navesque quæ reli-

relique forent, traderent; resque publica ex semet ipsis XXX rectores acciperet. In has leges traditam sibi urbem, Lacedæmonii formandam Lysandro tradiderunt. Insignis his annus & expugnatione Athenarum, & morte Darii regis Persarum, & exilio Dionysii Siciliæ tyranni fuit. Mutato statu Athenarum, etiam civium conditio mutatur. Triginta rectores reipublicæ constituuntur, qui fiunt, tyranni: quippe à principio tria milla sibi satellitum statuunt, quantum ex tot cladibus propè nec civium superfuerat: & quasi parvus hic ad continendam civitatem exercitus esset, septingendos milites à victoribus accipiunt. Cædes deinde civium ab Alcibiade auspicantur, ne iterum rempublicam sub obtentu liberationis invaderet. Quem cum profectum ad Artaxerxem Persarum regem comperissent, citato itinere miserunt, qui eum interciperent: à quibus occupatus, cum occidi aperte non posset, vivus in cubiculo in quo dormiebat, crematus est.

CAP. IX. Liberati hoc ultoris metu tyranni, miseras urbis reliquias cædibus & rapinis exhauriunt. Quod cum displiçere uni ex numero suo Therameni

didi-

didiciſſent, ipſum quoque ad terrorem omnium interficiunt. Fit igitur ex urbe paſſim omnium fuga; repleturque Græcia Athenienſium exulibus: quod etiam ipſum auxilium cum miſeris eriperetur, (nam Lacedæmoniorum edicto, civitates, exules recipere prohibebantur) omnes ſe Argos & Thebas contulere: ibi non ſolum tutum exilium egerunt, verum etiam ſpem recuperandæ patriæ receperunt. Erat inter exules Thraſybulus, vir ſtrenuus, & domi nobilis, qui audendum aliquid pro patria & pro ſalute communi, etiam cum periculo ratus; adunatis exulibus, caſtellum Phylen Atticorum finium occupat: nec deerat quarundam civitatium tam crudeles caſus miſerantium favor. Itaque Ismenias Thebanorum princeps, etſi publicis non poterat, privatis tamen viribus adjuvabat: & Lyſias Syracuſanus orator, exul tunc, quingentos milites ſtipendio ſuo inſtructos, in auxilium patriæ communis eloquentiæ miſit. Fit itaque aſperum prœlium: ſed cum hinc pro patria ſummis viribus, inde pro aliena dominatione ſecurius pugnaretur, tyranni vincuntur: victi in urbem refugerunt, quam exhauſtam cædibus ſuis, etiam armis

mis spoliant. Deinde cum omnes Athenienses proditionis suspectos haberent, demigrare eos ex urbe jubent, & in brachiis muri quæ diruta fuerant, habitare, extraneis militibus imperium tuentes. Post hæc Trasybulum corrumpere, imperii societatem pollicentes, conantur: quod cum non contigisset, auxilia à Lacedæmoniis petivere: quibus accitis, iterato prælianturs. In eo bello Critias & Hippolochus, omnium tyrannorum sævissimi, cadunt.

CAP. X. Cæteris victis, cum exercitus eorum, ex quibus major pars Athenienſium erat, fugeret, magna voce Thrasybulus exclamat: Cur se victorem fugiant, potius quam ut vindicem communis libertatis adjuvent? Civium illam meminerint aciem, non hostium esse; nec se ideo arma cepisse, ut aliqua victis adimat, sed ut adempta restituat: XXX, se dominis, non civitati bellum inferre. Admonet deinde cognationis, legum, sacrorum communium; tum vetusti per tot bella commilitii: orat misereantur exulum civium, si tam patienter ipsi serviant: reddant sibi patriam, accipiant libertatem. His vocibus tantum promotum est, ut reversus in urbem

bem exercitus, XXX. tyrannos emigrare Eleusina juberet, substitutis decem qui rempubl. regerent: qui, nihil exemplo prioris dominationis territi, eandem viam crudelitatis aggressi sunt. Dum hæc aguntur, nuntiatur Lacedæmone, in bellum Athenienses exarsisse: ad quod comprimendum, Pausanias rex mittitur: qui misericordia exulis populi permotus, patriam miseris civibus restituit, & decem tyrannos ex urbe Eleusina migrare ad cæteros jubet. Quibus rebus cum pax statuta esset, interjectis diebus, repente tyranni non minus restitutos exules, quam se in exilium actos indignantes, quasi vero aliorum libertas, sua servitus esset; bellum Athenienſibus inferunt: sed ad colloquium, veluti dominationem recepturi, progressi, per insidias comprehensi, ut pacis victimæ trucidantur: populos quem emigrare jusserant, in urbem revocatur. Atque ita per multa membra civitas dissipata, in unum tantum corpus redigitur; & ne qua dissensio ex ante actis nasceretur, omnes jurejurando obstringuntur, discordiarum oblivionem fore. Interea Thebani Corinthiiq; legatos ad Lacedæmonios mittunt; qui ex manubiis portionem

præde communis belli periculique peterent, quibus negatis, non quidem aperte bellum adversus Lacedæmonios decernunt: sed tacitis animis tantam iram concipiunt, ut subesse bellum intelligi posset.

CAP. XI. Eodem fere tempore Darius rex Persarum moritur, Artaxerxe & Cyro filiis relictis. Regnum Artaxerxi, Cyro civitates, quarum præfectus erat, testamento legavit. Sed Cyro judicium patris, injuria videbatur Itaque occulte adversus fratrem bellum parabat, quod cum nunciatum Artaxerxi esset, accersitum ad se fratrem, & innocentiam dissimulatione belli simulantem, compedibus aureis vinxit; interfeciſſetque, ni mater prohibuisset. Dimissus igitur Cyrus, jam non occulte bellum, sed palam; nec per dissimulationem, sed aperta professione parare cœpit: auxilia undique contrahit. Lacedæmonii memores, Athenienſi bello enixe se ejus opera adjutos, velut ignorantes contra quem bellum pararetur, decernunt auxixilia Cyro mittenda, ubi res ejus exegisset: quærentes apud Cyrum gratiam, & apud Artaxerxē, si vicisset, veniæ patrocinia cum nihil adversus eum aperte decrevissent. Sed cum in bello fors præ-

lii

lii utrunque fratrem pugnæ obtulisset, prior Artaxerxes à fratre vulneratur; quem cum equi fuga periculo subtraxisset, Cyrus à Cohorte regia oppressus, interficitur. Sic victor Artaxerxes, & præda fraterni belli, & exercitu potitur. In eo prœlio decem millia Græcorum in auxilio Cyri fuere, quæ & in cornu, in quo steterant, vicerunt; & Post mortem Cyri, neq; armis à tanto exercitu vinci, neq; dolo capi potuerunt; reverentesq; inter tot indomitas nationes, & barbaras gentes, per tanta itineris spatia virtute se usque terminos patriæ defenderunt.

LIBER VI.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Lacedæmonii Asiæ imperium affectantes bellum movent. Rex Persarum Athenienſibus per Cononen auxilium concedit.*
2. *Lacedæmonii Ducem exercitus Ageſilaum præficiunt, Cononis prudenter & fortiter geſta.*
3. *Piſandri & Cononis pugna in qua Lacedæmonii victi,*
4. *Ineluctabio fortunæ Lacedæmoniorum, quam Ageſilai fortitudo ſuſtentat.*
5. *Athenienſes Iphicratem & Cononem Lacedæmoniis oppönunt. Athenæ ex Lacedæmoniorum ſpoliis inſtaurantur.*
6. *Græciæ pax à Rege Perſarum indicta, quam Lacedæmonii magno ſuo malo turbant.*
7. *Thebani Lacedæmonios laceſſunt, unde dubia Martis alea, & pugna ad Mantineam.*

8. *Epaminondæ fortissimi Thebanorum Ducis interitus, & elogium.*
9. *Totius Græciæ labes post Epaminondæ excessum.*

CAP. I.

LAcedæmonii more ingenii humani, quo plura habent, eo ampliora cupientes, non contenti accessione Athenienſium opum vires ſibi duplicatas: totius Aſiæ imperium affectare cœperunt; ſed major pars ſub regno Perſarum erat. Itaque Hercyllides dux in hanc militiam electus, cum videret ſibi adverſus ducis præfectos Artaxerxis regis, Pharnabazum & Tiſſaphernem, maximarum gentium viribus ſuccinctos, dimicandum, pacificari cum altero ſtatuit. Aprior viſus Tiſſaphernes, vir & induſtria potior, & militibus Cyri quondam regis inſtructior, in colloquium vocatur, & ſtatutis conditionibus, ab armis dimittitur. Hanc rem Pharnabazus apud communem regem criminatur, ut Lacedæmonios Aſiam ingreſſos non repulerit armis, ſed impenſis regiis aluerit; merceturque ab his ut differant bella, quam gerant, tanquam non ad unius ſummam imperii detrimentum omne perveniat. Indignum ait bella non perfici, ſed redimi; hoſtem precio, non armis

armis ſummoveri. His vocibus regem Tiſſaferni alienatum hortatur, ut in locum ejus, navalis belli ducem eligat Conona Athenienſem, qui amiſſa bello patria Cypri exulabat: quippe Athenienſibus, etſi fractæ ſint opes, manere tamen navalem uſum, nec ſi eligendus ſit ex univerſis, meliorem alium eſſe. Acceptis igitur quingentis talentis, juſſus eſt Conona claſſi præficere.

Cap. II. His cognitis, Lacedæmonii & ipſi à rege Ægypti Hercynione auxilia navalis belli per legatos petunt, à quo centum triremes, & ſexcenta millia modiorum frumenti miſſa: à ceteris quoq; ſociis ingentia auxilia contracta ſunt. Sed tanto exercitui, & contra tantum ducem, deerat dignus imperator. Itaque poſtulantibus ſociis Ageſilaum ducem, regem tunc Lacedæmoniorum: propter reſponſum oraculi Delphici, diu Lacedæmonii, an eum ſummæ rei præponerent, deliberaverunt: quibus futurus imperii finis denuntiabatur, cum regium claudicaſſet imperium: erat enim pede claudus. Ad poſtremum ſtatuerunt, melius eſſe inceſſu regem, quam imperio regnum claudicare. Poſteaquam Ageſilaum cum ingentibus copiis in

Asiam misere: non facile dixerim quod aliud par ducum tam bene comparatum fuerit: quippe ætas virtus, consilium, sapientia utrique prope una: gloria quoque rerum gestarum eadem: quibus cum patria omnia fortuna dederit invictum tamen ab altero utrumque servavit. Magnus igitur amborum apparatus belli, magnæ res gestæ fuerunt. Sed Cononem seditio militum invadit, quos præfecti regis fraudare stipendio soliti erant, eo instantius debita poscentibus, quo graviorem sub magno duce militiam præsumebant. Itaq; Conem diu rege per epistolas frustra fatigato, ad postremum ipse ad eum pergit, à cujus aspectu & colloquio prohibitus est, quod eum more Persarum adorare nollet: agit tamen cum eo per internuntios, & queritur, opulentissime regis bella inopia dilabi, & qui exercitum parem hostibus habeat, pecunia vinci, qua præstet; inferioremque eum ea parte virium inveniri, qua longe superior sit. Postulat dari sibi ministrum impensæ, quia pluribus id mandare pernicioso sit. Dato stipendio, ad classem remittitur: nec moram agendis rebus facit: multa fortiter, multa feliciter agit: agros hostiles vastat: urbes

expu-

pugnat, & quasi tempestas quædam cuncta prosternit. Quibus rebus territi Lacedæmonii, ad patriæ subsidium, revocandum ab Asia Agesilaum decernunt.

Cap. III. Interim Pisandrus ab Agesilao proficiscente dux patriæ relictus, ingentem classem summis viribus instruit, fortunam belli tentaturus. Nec non & Conon tunc primum cum hostium exercitu concursurus, magna cura ordinat suos. Summa igitur non tam ducum in eo prœlio, quam militum æmulatio fuit. Nam ipse dux Conon non tam Persis, quam patriæ studebat: & sicut afflictis Athenienſium rebus, auctor amissæ dominationis fuerat; sic volebat idem haberi redditæ, patriamq; vincendo recipere, quam victus amiserat: eo speciosius, quod ne ipsorum quidem Athenienſium, sed alieni imperiii viribus dimicet, pugnaturus periculo regis, victurus præmio patriæ: gloriamque diversus artibus, quam priores civitatis suæ duces consecuturus: quippe illos vincendo Persas, patriam defendisse: se Persas victores faciendo, restituturum patriam esse. Porro Pisandrus pro conjunctione Agesilai, etiam virtutum æmulator erat; contendebatque ne à rebus gestis

ejus, & gloriæ splendore decederet; neve tot bellis ac seculis quæsitum imperium, brevis momenti culpa subverteret. Eadem militum & omnium regum cura erat, quos major sollicitudo cruciabat, non tam ne ipsi quæsitas opes amitterent, quam ne pristinas Athenienses reciperent. Sed quanto majus prœlium fuit, tanto & clarior victoria Cononis. Victi Lacedæmonii fugam capessunt, præsidia hostium Athenis deducuntur; populo restituta dignitate conditio servilis eripitur: multæ quoque civitates recipiuntur.

CAP. IV. Hoc initium Atheniensibus resumendæ potentiæ, & Lacedæmoniis habendæ finis fuit. Namque velut cum imperio etiam virtutem perdidissent, contemni à finitimis cœpere. Primi igitur Thebani auxiliantibus Atheniensibus, bellum his intulere: quæ civitas ex infimis incrementis, virtute Epaminondæ ducis, ad spem imperii Græciæ erecta est. Fit itaque terrestre prœlium, eadem Lacedæmoniorum fortuna, qua pugnatum adversus Conona navali prœlio fuerat. In eo bello Lysander, quo duce Athenienses victi à Lacedæmoniis fuerant, interficitur. Pausanias quo-

quoq; alter dux Lacedæmoniorum proditionis accusatus, in exilium abiit. Igitur Thebani potiti victoriam, universum exercitium ad urbem Lacedæmoniorum ducunt, facilem expugnationem rati, quoniam deserti à sociis omnibus erant: quod metuentes Lacedæmonii, regem suum Agesilaum ex Asia, qui ibi magnas res gerebat, ad defensionem patriæ arcessunt. Occiso enim Lysandro nullius alterius fiduciam ducis habebant. Cujus quoniam serus adventus erat, conscripto exercitu, obviam hosti procedunt. Sed victis, adversus paulo ante victores, nec animus, neque vires pares fuere. Prima igitur congressione funduntur. Deletis jam suorum copiis supervenit rex Agesilaus, qui restituto prœlio, non difficulter, recenti & multis expeditionibus indurato milite, hostibus victoriam eripuit; ipse tamen graviter sauciatur.

CAP. V. Quibus rebus cognitis, Athenienses verentes, ne iterum Lacedæmoniis victoribus, in pristinam sortem servitutis redigerentur, exercitum contrahunt, eumque in auxilium Bœotiorum per Iphicratem, viginti quidem annos natum, sed magnæ indolis juve-

nem, duci jubent. Hujus adolescentis supra ætatem virtus admirabilis fuit, nec unquam ante eum Athenienses, inter tot tantosque duces, aut spei majoris, aut indolis maturioris imperatorem habuerunt; in quo non imperatoriæ tantum, verum & oratoriæ artes fuere. Conon quoque, audito reditu Agesilai, & ipse ex Asia ad depopulandos Lacedæmoniorum agros revertitur: atque ita, undique belli formidine circumstrepente, clausi Spartani ad summam desperationem rediguntur. Sed Conon vastatis hostium terris, Athenas pergit: ubi magno civium gaudio exceptus, plus tamen tristitiæ ipse ex incensa, & diruta à Lacedæmoniis patria, quam lætitiæ ex recuperata post tantum temporis, cepit. Itaque quæ incensa fuerant, prædarum sumptu & exercitu Persarum restituit: quæ diruta, reficit. Fatum illud Athenarum fuit, ut ante à Persis crematæ, manibus eorum: & nunc à Lacedæmoniis dirutæ, ex spoliis Lacedæmoniorum restituerentur: versa quoque vice, nunc haberent socios, quos tunc hostes habuerant; & hostes nunc paterentur, cum quibus juncti tunc arctissimis societatis vinculis fuerant.

CAP.

CAP. VI. Dum hæc geruntur, Artaxerxes rex Persarum, legatos in Græciam mittit, per quos jubet omnes ad armis discedere; qui aliter fecisset, eum se pro hoste habiturum: civitatibus libertatem suaque omnia restituit: quod non Græciæ laboribus, assiduisque bellorum internecinis odiis consulens fecit, sed ne occupato sibi Ægyptio bello, quod propter auxilia, adversus præfectos suos Lacedæmoniis missa, susceperat, exercitus sui in Græcia detinerentur. Fessi igitur tot bellis Græci, cupide paruere. Hic annus, non eo tantum insignis fuit, quod repente pax tota Græcia facta est: sed etiam eo quod eodem tempore urbs Romana à Gallis capta est. Sed Lacedæmonii securis insidiantes, absentiam Arcadum speculati, castellum eorum expugnant, occupatoque præsidium imponunt. Itaque armato instructoque exercitu Arcades adhibitis in auxilium Thebanis, amissa bello repetunt. In eo prœlio Archidamus dux Lacedæmoniorum vulneratur: qui cum cædi suos jam ut victos videret, per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poscit. Hoc est enim signum apud Græcos victoriæ traditæ. Qua confessione contenti Thebani, signum parcendi dedere.

CAP. VII. Paucis deinde post diebus, neutris quicquam hostile facientibus, cum quasi tacito consensu induciæ essent, Lacedæmoniis alia bella adversus finitimos gerentibus, Thebani Epaminonda duce, occupandæ urbis, eorum spem ceperunt. Igitur principio noctis, taciti Lacedæmona proficiscuntur: Non tamen aggredi incautos potuerunt. Quippe senes, & cetera imbellis ætas, cum adventum hostium præsensissent in ipsis portarum angustiis armati occurrunt; & adversus quindecim millia militum, non amplius centum jam effectæ ætatis viri, pugnæ se offerunt. Tantum animorum viriumq;, patriæ & penatium conspectus subministrat; tantoque præsentia, quam recordatione sui majores, spiritus largiuntur. Nam ut videre, inter quæ, & pro quibus starent, aut vincendum sibi, aut moriendum censuerunt. Pauci igitur sustinuere senes aciem, cui par ante diem universa juventus esse non potuit. In eo prœlio duo duces hostium cecidere. Cum interim, Agesilai adventu nunciato, Thebani recessere: nec bellum diu dilatum: siquidem Spartanorum juventus, senum virtute & gloria incensa, teneri non potuit, quin ex continenti,

nenti, acie decerneret. Cum victoria Thebanorum esset, Epaminondas, dum non ducis tantum, verum etiam fortissimi militis officio fungitur, graviter vulneratur. Quo audito, his ex dolore metus, & illis ex gaudio stupor injicitur; atque ita veluti ex placito consensu à prœlio discceditur.

Cap. VIII. Post paucos deinde dies Epaminondas decedit, cum quo vires quoque reipubl. ceciderunt. Nam sicuti telo si primam aciem præfregeris, reliquo ferro vim cædendi sustuleris: sic illo velut mucrone teli ablato duce Thebanorum, rei quoque publicæ vires hebetatæ sunt: ut non tam illum amisisse, quam cum illo interiisse omnes viderentur. Nam neque hunc ante ducem ullum memorabile bellum gessere; nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere: ut manifestum sit, patriæ gloriam & natam, & extinctam cum eo fuisse. Fuit autem incertum, vir melior, an dux esset. Nam & imperium non sibi semper, sed patriæ quæsivit: & pecuniæ adeo parcus fuit, ut sumptus funeri defuerit. Gloriæ quoque non cupidior quam pecuniæ: quippe recusanti, omnia imperia ingesta sunt; honoresque ita gessit, ut ornamentum

mentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Jam litterarum studium, jam philosophiæ doctrina tanta, ut mirabile videretur, unde tam insignis militiæ scientia homini inter literas nato. Neque ab hoc vitæ proposito mortis ratio dissensit. Nam ut relatus in castra semianimis, vocem spiritumque collegit, id unum à circumstantibus requisivit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis. Quod ut servatum audivit, allatumque, velut laborum gloriæque socium osculatus est. Iterum quæsivit; utri vicissent. Ut audivit Thebanos, Bene habere se rem, dixit: atque ita velut gratulabundus patriæ, expiravit.

CAP. IX. Hujus morte etiam Athenienſium virtus intercidit. Siquidem amisso cui æmulari consueverant, in segnitiam temporemque resoluti, non ut olim inclassem exercitusque, sed in dies festos apparatusque ludorum, reditus publicos effundunt; & cum auctoribus nobilissimis poëtisque theatra celebrant, frequentius scenam quam castra visentes; verificatoresque meliores, quam duces landantes. Tunc vectigal publicum quo antea milites & remiges alebantur, cum urbano populo dividi cœptum est. Quibus

bus rebus effectum est, ut inter otia Græcorum sordidum & obscurum antea, Macedonum nomen emergeret: & Philippus obses triennio Thebis habitus, Epaminondæ & Pelopidæ virtutibus eruditus regnum Macedoniæ, Græciæ & Asiæ cervicibus, velut jugum servitutis imponeret.

LIBER VII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Macedoniæ vetus nomen, populus, primi Reges.*
2. *Perdiccæ Regis familia illustris, & infantis Europi nobile fatum.*
3. *Legati Persarum ad Amyntam petulantia sua dant pœnas.*
4. *Pax Macedoniæ Bubaris Regulî Persæ opera conciliatur. Tragœdia in familia Amyntæ, Alexandri Macedonis avi.*
5. *Philippi Macedonis varii casus, fratribus dolo materno vita jublatis à populo compulsus regnum suscepit.*
6. *Initia regni Philippici laude & observatione dignissima, bella, conjugium, vitia & virtutes ejusdem.*

CAP. I.

MAcedoniæ ante nomine Emathionis regis, cujus prima virtutis experimenta in illis locis extant, Emathia cognominata est. Hujus sicuti incrementa modica, ita termini perangusti fuere. Populus Pelasgi, regio Bœotia dicebatur. Sed postea virtute regum,

regum, & gentis industria, subactis primo finitimis mox populis nationibusq;, imperium usque extremos Orientis terminos prolatum. In regione Pæonia, quæ nunc portio est Macedoniæ, regnasse fertur Pelegon pater Asteropæi cujus Trojano bello, inter clarissimos vindices urbis, nomen accipimus. Ex alio latere in Europa regnum Europus nomine tenuit. Sed & Caranus cum magna multitudine Græcorum, sedes in Macedonia responso oraculi jussas quærere, cum in Emathiam venisset, urbem Edessam, non sentientibus oppidanis, propter imbrium & nebulæ magnitudinem, gregem caprarum, imbrem fugientium, secutus occupavit; revocatusque in memoriam oraculi, quo jussus erat, ducibus capris imperium quærere, regni sedem statuit; religioseque postea observavit, quocunque agmen moveret, ante signa easdem capras habere, cœptorum duces habiturus, quas regni habuerat auctores. Urbem Ædessam ob memoriam muneris Ægeas, populum Ægeatas, vocavit. Pulso deinde Mida (nam is quoque portionem Macedoniæ tenuit) aliisque regibus pulsis, in locum omnium solus successit; primusque adunatis

natis gentibus variorum populorum, veluti unum corpus Macedoniæ fecit; crescentique regno, valida incrementorum fundamenta constituit.

CAP. II. Post hunc Perdicca regnavit, cujus & vita illustris, & mortis postrema, veluti ex oraculo præcepta, memorabilia fuere: siquidem senex moriens, Argæo filio monstravit locum, quo condi vellet; ibique non sua tantum, sed & succedentium sibi regum ossa poni jussit; præfatus, quoad ibi conditæ posterorum reliquiæ forent, regnum in familia mansurum: creduntque hanc superstitione extinctam in Alexandro stirpem, quia locum sepulturæ mutaverit. Argæus moderate, & cum amore popularium administrato regno, successorem filium Philippum reliquit: qui immatura morte raptus, Europum parvulum admodum instituit hæredem. Sed Macedonibus assidua certamine cum Thracibus & Illyriis fuere: quorum armis veluti quotidiano exercitio indurati, gloria bellicæ laudis finitimos terrebant. Igitur Illyrii infantiam regis pupilli contemnentes, bello Macedonas aggrediuntur: qui prœlio pulsi, rege suo in cunis prolato, & pone aciem posito, acrius certamen

tamen repetivere : tanquam ideo victi fuissent antea, quod bellantibus sibi regis sui auspicia defuissent ; futuri vel propterea victores, quod ex superstitione animum vincendi ceperant : simul & miseratio eos infantis tenebat, quem, si victi forent, captivum de rege facturi videbantur. Conserto itaque prœlio, magna cæde Illyrios fudere, ostenderuntq; hostibus suis, priore bello regem, Macedonibus, non virtutem defuisse. Huic Amyntas succedit, & propria virtute, & Alexandri filii egregia indole insigniter clarus : cui Alexandro tanta omnium virtutum natura ornamenta extitere, ut etiam Olympico certamine, vario ludicrorum genere contenderit.

CAP. III. Cum interim Darius rex Persarum, turpi ab Scythia fuga summotus, ne ibique deformis militiæ damnis haberetur, mittit cum parte copiarum Megabazum ad subigendam Thraciam, ceteraque ejus tractus regna : quibus pro ignobili momento erat accessura Macedonia. Qui brevi tempore exsecuto regis imperio, legatis ad Amyntam regem Macedoniæ missis, obsides in pignus futuræ pacis dari sibi postulabat. Sed legati benigne excepti inter epulas ebrie-

ebrietate crescente, rogant Amyntam, ut apparatui epularum adjiciat jus familiaritatis, adhibitis in convivium suis ac filii uxoribus: id apud Persas haberi pignus ac fœdus hospitii. Quæ ut venerunt, petulantius Persis eas contrectantibus, filius Amyntæ Alexander rogat patrem, respectu ætatis ac gravitatis suæ abiret convivio, pollicitus se hospitum temperaturum jocos. Quo digresso, mulieres quoque paululum è convivio evocat, cultius exornaturus, gratioresque reducturus. Harum locum matronali habitu exornatos juvenes supponit; eosque petulantiam legatorum, ferro, quod sub veste gerebant, compescere jubet. Atque ita interfectis omnibus, ignarus rei Megabazus, cum legati non reddirent, mittit eo cum exercitus parte Bubarem, ut in bellum facile & mediocre: dedignatus ipse ire, ne dehonestaretur prœlio tam fœdæ gentis. Sed Bubares ante bellum, amore filiæ Amyntæ captus, omisso bello nuptias facit, depositisque hostilibus animis, in affinitatis jura succedit.

CAP. IV. Post discessum à Macedonia Bubaris, Amyntas rex decedit, cujus filio & successori Alexandro, cognatio

tio Bubaris non Darii tantum temporibus pacem præstitit: verum etiam Xerxem adeo conciliavit, ut cum Græciam veluti tempestas quædam occupasset inter Olympum Hæmumque montes totius regionis eum imperio donaverit, Sed nec virtute minus, quam Persarum liberalitate regnum ampliavit. Per ordinem deinde successionis, regnum Macedoniæ ad Amyntam fratris ejus Menelai filium pervenit. Hic quoque insignis industria; & omnibus imperatoris virtutibus instructus fuit: qui ex Eurydice tres filios sustulit, Alexandrum, Perdiccam, & Philippum Alexandri Magni Macedonis patrem, & filiam Eurionem: Ex Cygnæa autem Archelaum Archideum, Menelaum. Cum Illyriis deinde, & cum Olynthiis gravia bella gessit. Insidiis autem Eurydices uxoris, quæ nuptias generi pacta, occidendum virum, regnumque adultero tradendum susceperat, occupatus fuisset, ni filia pellicatum matris, & sceleris consilia prodidisset. Functus itaque tot periculis, senex decessit, regno, maximo ex filiis Alexandro, tradito.

CAP. V. Igitur Alexander inter prima initia regni, bellum ab Illyris pacta

merce-

mercede,& Philippo fratre dato obside, redemit. Interjecto quoq; tempore per eundem obsidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat : quæ res Philippo maxima incrementa egregiæ indolis dedit. Siquidem Thebis triennio obses habitus prima pueritiæ rudimenta , in urbe severitatis antiquæ , & in domo Epaminondæ , summi & Philosophi & Imperatoris, deposuit. Nec multo post Alexander insidiis Eurydicis matris appetitus occumbit : cui Amyntas in scelere deprehensæ propter communes liberos, ignarus eisdem quandoque exitiosam fore , pepercerat. Frater quoq; ejus Perdicca pari insidiarum fraude decipitur. Indignum prorsus, libidinis causa liberos à matre vita privatos,quam scelerum suorum suppliciis liberorum contemplatio vindicaverat. Perdiccę hoc indignior cædes videbatur, quod ei apud matrem misericordiam nec parvulus quidem filius conciliaverat. Itaque Philippus diu non regem , sed tutorem pupilli egit. At ubi graviora bella imminebant , serumque auxilium in expectatione infantis erat , compulsus à populo regnum suscepit.

CAP. VI. Ut est ingressus imperium, magna

magna de illo spes omnibus fuit; & propter ipsius ingenium, quod magnum spondebat virum; & propter vetera Macedoniæ fata: quæ cecinerant, uno ex Amyntæ filiis regnante, florentissimum fore Macedoniæ statum; cui spei scelus matris hunc residuum fecerat. Principio regni, cum hinc cædes fratrum indigne peremptorum, inde hostium multitudo: hinc insidiarum metus, inde inopia continuis bellis exhausti regni, immaturam ætatem tironis urgerent; bella, quæ velut conspiratione quadam ad opprimendam Macedoniam, multarum gentium ex diversis locis uno tempore confluebant, quoniam omnibus par esse non poterat, dispensanda ratus; alia interposita pactione componit alia redimit, facilimis quibusque aggressis, quorum victoria & militum trepidos animos firmaret, & contemptum sibi hostium demeret. Primum illi cum Athenienſibus certamen fuit: quibus per insidias victis, metu belli gravioris; cum interficere omnes posset, incolumes sine pretio dimisit. Post hæc bello in illyrios translato, multa millia hostium cædit. Urbem nobilissimam Larissam capit. Hinc Thessaliam, non prædæ cupidate,

sed

sed quod exercitui suo robur Thessalorũ equitum adjungere gestiebat, nihil minus quam bellum metuentem, improvisus expugnat: unumque corpus equitum pedestriumque copiarum invicti exercitus fecit. Quibus rebus feliciter provenientibus, Olympiadem, Neoptolomei regis Molossorum filiam uxorem ducit; conciliante nuptias fratre patruele, altore virginis Arruba rege Molossorum; qui sororem Olympiadis Troadam in matrimonium habebat: quæ causa illi exitii, malorumque omnium initium fuit. Nam dum regni incrementa affinitate Philippi acquisiturum sperat, proprio regno ab eodem privatus, in exilio consenuit. His ita gestis, Philippus jam non contentus summovere bella, ultro etiam quietos lacesit. Cum Methonam urbem oppugnaret, in prætereuntem de muris sagitta jacta, dextrum oculum regis effodit. Quo vulnere nec segnior in bellum, nec iracundior adversus hostes factus est; adeo ut interjectis diebus pacem deprecantibus dederit; nec moderatus tantum, verum etiam mitis adversus victos fuerit.

LIBER VIII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Græciæ clades sub Philippo Macedone Thebani & Phocenses civilis belli faces.*
2. *Thebani Philippum accersunt, qui Phocenses opprimit. Athenienses salutipublicæ pro viribus consulunt.*
3. *Contra Philippus Græciam lacerat, Cappadociam Macedoniæ adjungit, Olynthios delet. Latrocinium exercet variis modis.*
4. *Athenienſibus, Theſſalis, Bœotis & Phocenſibus callidè imponit.*
5. *Phocenſes ad deditionem, reliquos Græcos cogit ad ſervile obſequium.*
6. *Monarhiam cum ſumma injuſtitia conſtituit.*

CAP. I.

GRæciæ civitates dum imperare ſingulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt: quippe in mutuum exitium ſine modo ruentes, omnibus perire quod ſingulæ amitterent, non niſi oppreſſæ ſenſerunt. Siquidem Philippus rex Macedoniæ, velut è ſpecula quadam, libertati omnium inſidiatus, dum contentiones civitatium alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresque ſubire regiam ſervitutem coëgit. Cauſa & origo hujus mali Thebani fuere: qui cum rerum potirentur, ſecundam fortunam imbecillo animo ferentes, victos armis Lacedæmonios & Phocenſes, quaſi parva ſupplicia cædi-

cædibus & rapinis luissent, apud commune Græciæ consilium superbe accusaverunt. Lacedæmoniis crimini datum, quod arcem Thebanam induciarum tempore occupassent: Phocensibus, quod Bœotiam depopulati essent: prorsus quasi post arma & bellum, locum legibus reliquissent. Cum judicium arbitrio victorum exerceretur, tanta pecunia damnantur, quanta exsolvi non posset. Igitur Phocenses, cum agris, liberis, conjugibusque privarentur, desperatis rebus, Philomelo quodam duce, velut deo irascentes, templum ipsum Apollinis Delphis occupavere. Inde auro, & pecunia divites, conducto mercenario milite, bellum Thebanis intulerunt. Factum Phocensium, tametsi omnes execrarentur propter sacrilegium, plus tamen invidiæ Thebanis à quibus ad hanc necessitatem compulsi fuerant, quam ipsis intulit. Itaque auxilia his & ab Athenienſibus, & à Lacedæmoniis missa. Prima igitur congressione Philomelus Thebanos castris exuit. Sequenti prœlio primus inter fortissimos dimicans cecidit, & sacrilegii pœnas impio sanguine luit. In hujus locum dux Onomarchus creatur.

CAP. II. Adversus quem Thebani Thessalique non ex civibus suis, nec victores potentiam ferre non possent, sed Philippum Macedoniæ regem ducem eligunt; & externæ dominationi, quam in suis timuerunt, sponte succedunt. Igitur Philippus, quasi sacrilegii, non Thebanorum ultor esset, omnes milites coronas laureas sumere jubet, atque ita veluti deo duce in prœlium pergit. Phocenses insignibus dei conspectis, conscientia delictorum territi, abjectis armis fugam capessunt; pœnasque violatæ religionis sanguine & cædibus suis pendunt. Incredibile, quantum ea res apud omnes nationes Philippo gloriæ dedit. Illum vindicem sacrilegii, illum ultorem religionum: quod orbis viribus expiare debuit, solum qui piacula exigeret extitisse dignum. Itaque diis proximus habetur, per quem diorum majestas vindicata sit. Sed Athenienses audito belli eventu, ne in Græciam Philippus transiret, angustias Thermopylarum pari ratione sicuti antea advenientibus Persis occupavere; sed nequaquam simili aut virtute, aut causa: siquidem tunc pro libertate Græciæ nunc pro sacrilegio publico; tunc à rapina hostium

hostium templa vindicaturi, nunc adversus vindices, templorum raptores defensuri: aguntque propugnatores sceleris, cujus turpe erat alios vindices fuisse: immemores prorsus, quod in dubiis rebus suis, illo deo etiam consiliorum auctore usi fuerant: quod illo duce tot bella victores inierant: tot urbes auspicato condiderant: tantum imperium terra marique quæsierant: quod nihil sine majestate numinis ejus aut privatæ unquam, aut publicæ rei gesserant. Tantum facinus admisisse ingenia omni doctrina exculta, pulcherrimis legibus institutisque formata, ut quid posthac succensere jure barbaris possent, non haberent.

CAP. III. Sed nec Philippus melioris fidei adversus socios fuit: quippe veluti timens, ne et ab hostibus sacrilegii scelere vinceretur, civitates quarum paulo ante dux fuerat, quæ sub auspiciis ejus militaverant, quæ gratulatæ illi sibique victoriam fuerant, hostiliter occupatas diripuit: conjuges liberosque omnium sub corona vendidit: non deorum immortalium templis, non ædibus sacris non diis penatibus publicis privatisque, ad quos paulo ante ingressus hospitaliter fuerat, pepercit: prorsus ut non

tam sacrilegii ultor extitisse, quam sacrilegiorum licentiam quæsisse videretur. Inde veluti rebus egregie gestis, in Cappadociam trajicit: ubi bello pari perfidia gesto, captisque per dolum & occisis finitimus regibus, universam provinciam imperio Macedoniæ adjungit. Deinde ad abolendam invidiæ famam, qua insignis præter cæteros tunc temporis habebatur per regna mittit, & opulentissimas civitates, qui opinionem sererent, regem Philippum magna pecunia locare, & muros per civitates, & fana, & templa facienda; & ut per præmiones susceptores sollicitarent: Qui cum in Macedoniam venissent, variis dilationibus frustrati, vim regiæ majestatis timentes, taciti proficiscebantur. Post hæc Olynthios aggreditur receperant enim per misericordiam, post cædem unius, duos fratres ejus, quos Philippus ex noverca genitos, veluti participes regni interficere gestiebat. Ob hanc igitur causam urbem antiquam & nobilem exscindit, & fratres olim destinato supplicio tradit: prædaque ingenti pariter & parricidii voto fruitur. Inde quasi omnia, quæ agitasset animo, ei licerent, auraria in Thessalia, argenti metalla in Thracia occupat. Et

ne

ne quod jus vel fas inviolatum prætermitteret, piraticam quoque exercere instituit. His ita gestis forte evenit, ut eum fratres duo, reges Traciæ, non contemplatione justitiæ ejus, sed invicem metuentes ne alterius viribus accederet, disceptationum suarum judicem eligerent. Sed Philippus, more ingenii sui, ad judicium veluti ad bellum, inopiantibus fratribus, instructo exercitu supervenit: & regno utrunque non judicis more, sed fraude latronis ac scelere spoliavit.

CAP. IV. Dum hæc aguntur, legati Athenienſium petentes pacem ad eum venerunt. Quibus auditis, & ipse legatos Athenas cum pacis conditionibus misit: ibique ex commodo utrorumque pax facta. Ex cæteris quoque Græciæ civitatibus, non pacis amore, sed belli metu legationes venere. Siquidem crudescente ira, Thessali, Bœotiique orant, ut professum adversum Phocenses ducem Græciæ exhibeat: tanto odio Phocensium ardentes, ut obliti cladium suarum, perire ipsi, quam non perdere eos præoptarent; expertamque Philippi crudelitatem pati, quam parcere hostibus suis mallent. Contra Phocensium legati,

adhibitis Lacedæmoniis & Athenienſibus, bellum deprecabantur, cujus ab eo dilationem ter jam emerant. Fœdum prorſus miſerandumque ſpectaculum, Græciam etiam nunc & viribus, & dignitate orbis terrarum principem; regum certe gentiumque ſemper victricem, & multarum adhuc urbem dominam, alienis excubare ſedibus, aut rogantem bellum, aut deprecantem: in alterius ope omnem ſpem poſuiſſe orbis terrarum vindices; eoq; diſcordia ſua, civilibusque bellis redactos, ut adulentur ultro ſordidam paulo ante clientelæ ſuæ partem; & hæc potiſſimum facere Thebanos Lacedæmoniosque, antea inter ſe imperii, nunc Græciæ imperantis æmulos. Philippus, vendicatione gloriæ ſuæ, tantarum urbium faſtidium agitat; atque utros potius dignetur, æſtimat. Secreto igitur auditis utrisque legationibus, his veniam belli pollicetur, jurejurando adactis, reſponſum nemini prodituros: illis contra venturum ſe, auxiliumque laturum. Utrosque vetat parare bellum, aut metuere. Sic variato reſponſo ſecuris omnibus, Thermophylarum anguſtias occupat.

CAP. V. Tunc primum Phocenſes captos

captos se fraude Philippi animadvertentes, trepidi ad arma confugiunt. Sed neque spatium erat instruendi belli, nec tempus ad contrahenda auxilia: & Philippus excidium minabatur, ni fieret deditio Victi igitur necessitate, pacta salute se dediderunt. Sed pactio ejus fidei fuit, cujus antea fuerat deprecati belli promissio. Igitur cæduntur passim, rapianturque; non liberi parentibus, non conjuges maritis, non deorum simulacra templis suis reliquuntur. Unum tantum miseris solatium fuit, quod, cum Philippus portione prædæ socios fraudasset, nihil rerum suarum apud inimicos viderunt. Reversus in regnum, ut pecora pastores nunc in hybernos, nunc in æstivos saltus trajiciunt, sic ille populos & urbes, ut illi vel replenda, vel deinquenda quæque loca videbantur, ad libidinem suam transfert. Miseranda ubique facies, & excidio similis erat: Non quidem pavor ille hostilis, nec discursus per urbem militum erat: non tumultus armorum; non bonorum atque hominum rapina: sed tacitus mœror & luctus, verentibus ne ipsæ lacrymæ pro contumacia haberentur. Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus

profiteri licet. Nunc sepulchra majorum, nunc veteres penates, nunc tecta, in quibus geniti erant, in quibusque genuerant, considerabant: miserantes nunc vicem suam, quod in eam diem vixissent; nunc filiorum, quod non post eam diem nati essent.

CAP. VI. Alios populos in finibus ipsis, hostibus opponit: alios in extremis (regni terminis) statuit: quosdam bello captos in supplementis urbium dividit. Atque ita ex multis gentibus nationibusque unum regnum populumque constituit. Compositis ordinatisque Macedoniæ rebus, Dardanios, cæterosque finitimos fraude captos expugnat. Sed nec à proximis manus abstinet. Siquidem Arrybam regem Epiri, uxori suæ Olympiadi arctissima cognatione junctum, pellere regno statuit: atque Alexandrum privignum ejus, uxoris Olympiadis fratrem, puerum honestæ pulchritudinis, in Macedoniam nomine sororis arcessit, omnique studio solicitatum spe regni, simulato amore ad stupri consuetudinem perpulit, majora in eo obsequia habiturus, sive conscientiæ pudore, sive regni beneficio. Cum igitur ad viginti annos perveniisset, ereptum

Arry-

Arrybæ regnum puero admodum tradit, sceleſtus in utroque. Nam nec in eo jus cognationis ſervavit, cui ademit regnum; & eum cui dedit, impudicum fecit antequam regem.

LIBER IX.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Philippus cogitat de Græcia ſubjuganda; ideo Byzantium, ſed fruſtra, obſidet.*
2. *A Scytharum rege variis modis deluditur, unde pugna & præda abducta.*
3. *Triballi Philippum præ- ſpoliant. Athenienſes & Thebanos Philippus prælio atterit.*
4. *Victoria moderatè utitur: ſævit in Thebanos, qui fortiter ſe gerunt.*
5. *Græciam pacare ſtudet, ut Perſas bello adoriatur.*
6. *Pauſaniæ Philippum obtruncat, ultionem ab impio judice exigens.*
7. *Philippus Olympiade & Alexandro conſciis interficitur.*
8. *Philippi elogium ejusdemque cum Alexandro filio & ſucceſſore comparatio.*

CAP. I.

IN Græciam Philippus cum veniſſet, ſolicitatus paucarum civitatium direptione; & ex præda modicarum urbium, quantæ opes univerſarum eſſent, animo proſpiciens; bellum toti Græciæ inferre ſtatuit. Ad cujus emolumentum egregiæ pertinere ratus, ſi Byzantium, nobilem & maritimam urbem, receptaculum terra mariq;

copiis suis futuram, in potestatem redigisset, eandem claudentem sibi portas, obsidione cinxit. Hæc namq; urbs condita primo à Pausania rege Spartanorum, & per VII. annos possessa fuit: deinde variante victoria nunc Lacedæmoniorum, nunc Athenienſium juris habita est. Quæ incerta possessio effecit, ut nemine quasi suam auxiliis juvante, libertatem constantius tueretur. Igitur Philippus longa obsidionis mora exhaustus, pecuniæ commercium de piratica mutuatur. Captis itaq; centum septuaginta navibus, mercibusq; distractis, anhelatum inopiam paululum relevavit. Deinde, ne unius urbis oppugnatione tantus exercitus tereretur, profectus cum fortissimis, multas Chersonensium urbes expugnat. Filiumque Alexandrum decem & octo annos natum, ut sub militia patris tirocinii rudimenta deponeret, ad se arcessit. In Scythiam quoque prædandi causa profectus est, more negotiantium, impensas belli alio bello refecturus.

CAP. II. Erat eo tempore rex Scytharum Atheas, qui cum bello Istrianorum premeretur, auxilium à Philippo per Apollonienses petit, in successionem eum regni Scythiæ adoptaturus.

Cum

Cum interim Istrianorum rex decedens, & metu belli, & auxiliorum necessitate Scythas solvit. Itaque Atheas remissis Macedonibus renuntiari Philippo jubet, neque auxilium eius se petisse, neque adoptionem mandasse. Nam neque vindicta Macedonum egere Scythas, quibus meliores forent : neque heredem sibi incolumi filio deesse. His auditis Philippus legatos ad Atheam mittit, impensæ obsidionis portionem petentes, ne inopia deserere bellū cogatur. Quod eo promptius eum facere debere, quod missis à se in auxilium ejus militibus, ne sumptum quidem vitæ, non modo officii pretia dederit. Atheas inclementiam cœli & terræ sterilitatem causatus, quæ non patrimoniis ditet Scythas, sed vix alimenta exhibeat, respondit nullas sibi opes esse quibus tantum regem expleat ; Et turpius putare parvo defungi quam totum abnuere : Scythas autem virtute animi, & duritia corporis, non opibus censeri. Quibus derisus Philippus, soluta obsidione Byzantii, Scythica bella aggreditur, præmissis legatis, quo securiores faceret, qui nuntient Atheæ, dum Byzantium obsidet, voviſse se statuam Herculi, ad quam in ostio

Istri ponendam se venire, pacatum accessum ad religionem dei petens, amicus ipse Scythis venturus. Ille si voto fungi vellet, statuam sibi mitti jubet; non modo ut ponatur, verum etiam ut inviolata maneat, pollicetur: Exercitum autem fines ingredi negat se passurum. Ac si invitis Scythis statuam ponat; eo digresso sublaturum, versurumque æs statuæ in aculeos sagittarum. His utrinque irritatis animis, prœlium committitur. Cum virtute & numero præstarent Scythæ, astu Philippi vincuntur. Viginti millia puerorum ac fœminarum capta, pecoris magna vis, auri argentique nihil. Ea primum fides, inopiæ Scythicæ fuit. Viginti millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa.

CAP. III. Sed revertenti ab Scythia, Triballi Philippo occurrunt: negant se transitum daturos, ni portionem accipiant prædæ. Hinc jurgium, & mox prœlium; in quo ita in femore vulneratus est Philippus, ut per corpus ejus equus interficeretur. Cum omnes occisum putarent, præda amissa est. Ita Scythica, velut de vota, spolia pene luctuosa Macedonibus fuere. Ubi vero ex vulnere primum convaluit, diu dissimulatum

latum bellum Athenienſibus infert: quorum cauſæ Thebani ſe junxere, metuentes, ne victis Athenienſibus, veluti vicinum incendium belli ad ſe tranſiret. Facta igitur inter duas paulo ante infeſtiſſimas civitates ſocietate, legationibus Græciam fatigans; communem hoſtem putant communibus viribus ſummovendum: neque enim ceſſaturum Philippum, ſi proſpere prima ſucceſſerint, niſi omnem Græciam domuerit. Motæ quædam civitates Athenienſibus ſe jungunt: quasdam autem ad Philippum belli metus traxit. Prœlio comiſſo, cum Athenienſes longe majore militum numero præſtarent, aſſiduis bellis indurata virtute Macedonum vincuntur: non tamen immemores priſtinæ gloriæ cecidere: quippe adverſus vulneribus omnes loca quæ tuenda à ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Hic dies univerſæ Græciæ & gloriam dominationis, & vetuſtiſſimam libertatem finivit.

CAP. IV. Hujus victoriæ callide diſſimulata letitia eſt. Denique non ſolita ſacra Philippus illa die fecit: non in convivio riſit: non ludos inter epulas adhibuit; non coronas aut unguenta ſumpſit

pſit; & quantum in illo fuit ita vicit, ut victorem nemo ſentiret. Sed nec regem ſe Græciæ; ſed ducem apellari juſſit. Atque ita inter tacitam lætitiam & dolorem hoſtium temperavit, ut neque apud ſuos exultaſſe, neque apud victos inſultaſſe videretur. Athenienſibus, quos paſſus infeſtiſſimos fuerat, & captivos gratis remiſit; & bello conſumptorum corpora ſepulturæ reddidit; reliquiasque funerum ut ad ſepulchra majorum deferrent, ultro hortatus eſt. Super hæc Alexandrum filium cum amico Antipatro, qui pacem cum his amicitiamque jungerent, Athenas miſit. Thebanorum porro non ſolum captivos, verum etiam interfectorum ſepulturam vendidit. Principes civitatis alios ſecuri percuſſit: alios in exilium redegit, bonaq; omnia occupavit. Pulſos deinde per injuriam, in patriam reſtituit; ex horum numero CCC. exules, judices rectoresq; civitati dedit: apud quos cum potentiſſimi quique rei ejus ipſius criminis poſtularentur, quod per injuriam ſe in exilium egiſſent, hujus conſtantiæ fuerunt, ut omnes ſe auctores faterentur, meliusque cum republica actum cum damnati eſſent, quam cum reſtituti, con-

ten-

tenderent. Mira prorsus audacia : de judicibus vitæ necisque suæ, quemadmodum possunt, sententiam ferunt; contemnuntque absoltionem quam dare inimici possunt : & quoniam rebus nequeunt ulcisci, verbis usurpant libertatem.

CAP. V. Compositis in Græcia rebus, Philippus omnium civitatum legatos ad formandum rerum præsentium statum evocari Corinthum jubet. Ibi pacis legem universæ Græciæ pro meritis singularum civitatium statuit; concilioque omnium, veluti unum senatum, ex omnibus legit. Soli Lacedæmonii, & legem, & regem contempserunt : servitutem non pacem rati, quæ non ipsis civitatibus conveniret, sed à victore ferretur. Auxilia deinde singularum civitatium describuntur, sive adjuvandos ea manu rex oppugnante aliquo foret, seu duce illo bellum inferendum. Neque enim dubium erat, imperium Persarum his apparatibus peti Summa auxiliorum ducenta millia peditum fuere, & equitum quindecim millia. Extra hanc summam & Macedoniæ exercitus erat, & confinis domitarum gentium barbaries. Initio veris tres duces in Asiam Persarum juris præmittit, Parmenionem, Amyntam, & Atta-

Attalum, cujus sororem nuper expulsa Alexandri matre Olympiade, propter stupri suspicionem, in matrimonium receperat.

CAP. VI. Interea dum auxilia à Græciæ coëunt, nuptias Cleopatræ filiæ, & Alexandri, quem regem Epiri fecerat, celebrat. Dies erat pro magnitudine deorum regum, & collocantis filiam, & uxorem ducentis apparatus insignis. Sed nec ludorum magnificentia deerat: ad quorum spectaculum Philippus dum sine custodibus, medius inter duos Alexandros, filium generumque contenderet, Pausanias nobilis ex Macedonibus adolescens, nemini suspectus, occupatis angustiis, Philippum in transitu obtruncat: diemque lætitiæ destinatum, fœdum luctu funeris facit. Hic Pausanias primis pubertatis annis stupro per injuriam passus ab Attulo fuerat: cujus indignitati hæc etiam fœditas accesserat: nam perductum in convivium, solutumque mero Attulus, non suæ tantum verum & convivarum libidini, velut scortum vile subjecerat, ludibriumque omnium inter æquales rediderat. Hanc rem ægre ferens Pausanias, querelam Philippo sæpe detulerat. Cum variis frustratio-

strationibus non sine risu differetur, & honoratum insuper ducatu adversarium cerneret; iram in ipsum Philippum vertit; ultionemque quam ab adversario non poterat, ab iniquo judice exegit.

CAP. VII. Creditum est etiam immissum ab Olympiade matre Alexandri fuisse; nec ipsum Alexandrum ignarum paternæ cædis extitisse: quippe non minus Olympiadem repudium, & prælatam sibi Cleopatram, quam stuprum Pausaniam doluisse Alexandrum quoque, regni æmulum fratrem & noverca susceptum timuisse: eoque actum, ut in convivio antea primum cum Attalo, mox cum ipso patre jurgaret: adeo ut etiam stricto gladio eum Philippus consectatus sit, ægreque à filii cæde amicorum precibus exoratus. Quamobrem Alexander ad avunculum se in Epirum cum matre, inde ad regem Illyriorum contulerat: vixque revocanti mitigatus est patri, precibusque cognatorum ægre redire compulsus. Olympias quoque fratrem suum Alexandrum Epiri regem in bellum subornabat, perviciisetque ni filiæ nuptiis pater generum occupasset. His stimulis irarum utrique Pausaniam de impunitate stupri sui querentem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0143
DFG

tem ad tantum facinus impulisse creduntur. Olympias certe fugienti percussori equos quoque præparatos habuit. Ipsa deinde, audita regis nece, cum titulo officii ad exequias cucurrisset, in cruce pendentis Pausaniæ capiti, eadem nocte qua venit, coronam auream imposuit: quod nemo alius audere, nisi hæc, superstite Philippi filio, potuisset. Paucos deinde post dies, refixum corpus interfectoris super reliquias mariti cremavit; & tumulum ei eodem fecit in loco, parentarique eidem quotannis, incussa populo superstitione, curavit. Post hæc Cleopatram, à qua pulsa Philippi matrimonio fuerat, in gremio ejus prius filia interfecta, finire vitam suspendio coëgit, spectaculoque pendentis ultionem potita est, ad quam per parricidium festinaverat. Novissime gladium quo rex percussus est, Apollini sub nomine Myrtalis consecravit: hoc enim nomen ante Olympiadis parvulæ fuit. Quæ omnia ita palam facta sunt, ut timuisse videatur ne facinus ab ea commissū non probaretur.

CAP. VIII. Decessit Philippus XL. & VII. annorum, cum annis XXV. regnasset. Genuit ex Lariss̄a saltatrice filium Aridæum, qui post Alexandrum regna-

regnavit. Habuit & alios multos ex variis matrimoniis regio more susceptos, qui partim facto, partim ferro periere. Fuit rex armorum quam conviviorum apparatibus studiosior; cui maximæ opes erant instrumente bellorum: divitiarum quæstu quam custodia solertior: itaque inter quotidianas rapina semper inops erat. Misericordia in eo & perfidia pari jure dilectæ. Nulla apud eum turpis ratio vincendi. Blandus pariter, & insidiosius alloquio; qui plura promitteret, quam præstaret: in seria & jocos artifex. Amicitias utilitate, non fide colebat. Gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quærere, solemnis illi consuetudo. Inter hæc eloquentia, & insignis oratio, accuminis & solertiæ plena: ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum deesset ornatus. Huic Alexander filius successit, & virtute & vitiis patre major. Itaque vicendi ratio utrique diversa Hic aperte, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fusis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere: hic ubi exarsisset, nec dilatio ultionis nec modus erat.

Vini

Vini nimis uterque avidus: sed Ebrietatis diversa vitia. Patri mos erat etiam de convivio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temere offerre Alexander non in hostem, sed in suos sæviebat. Quamobrem Philippum sæpe vulneratum prœlia remisere: hic amicorum interfector convivio frequenter excessit. Regnare ille cum amicis nolebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Literarum cultus utrique similis. Solertiæ pater majoris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus & promptior, & honestior. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius consummavit.

LIBER X.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Artaxerxis filii in patrem conspirant. Sed conspiratione detecta, parricidii pœnas dant.*
2. *Causa parricidii ex multiplici libidine nata.*
3. *Ochus Artaxerxis successor cognatorum Principum strage regnum replet. Persicæ Monarchiæ finis.*

CAP.

CAP. X.

ARtaxerxi regi Persarum ex pellicibus cxv. filii fuere, sed tres tantum justo matrimonio susceptI: Darium Ariarates, & Ochus. Ex his Darius contra morem Persarum, apud quos rex non nisi morte mutantur, per indulgentiam pater regem vivus fecit; Nihil sibi ablatum existimans quod in filium contulisset, sinceriusque gaudium ex procreatione capturus, si insignia majestatis suæ vivus in filio conspexisset. Sed Darius post nova paternæ pietatis exempla, interficendi patris consilium cepit. Sceleratus, si solus parricidium cogitasset; tanto sceleratior, quod in societatem facinoris assumptos, quinquaginta fratres fecit parricidas. Ostenti prorsus genus, ubi in tanto populo non solum sociari, verumetiam sileri parricidium potuit; ut ex quinquaginta liberis nemo inventus sit, quem aut paterna majestas, aut veneratio senis, aut indulgentia patris, à tanta immanitate revocaret. Adeone vile paternum nomen apud tot numero filios fuit, ut quorum præsidio tutus etiam adversus hostes esse debuerat, eorum insidiis circumventus, tutior ab hostibus quam à filiis fuerit? CAP.

CAP. II. Causa parricidii sceleratior ipso parricidio fuit. Occiso quippe Cyro fraterno bello, cujus mentio supra habita est, Aspasiam pellicem ejus rex Artaxerxes in matrimonium receperat. Hanc patrem cedere sibi, sicuti regnum, Darius postulavarat: qui pro indulgentia sua in liberos primo facturum se dixerat: mox pœnitentia ductus, ut honeste negaret, quod temere promiserat, Solis eam sacerdotio præfecit, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur. Hinc exacerbatus juvenis, in jurgia primo patri erupit; mox facta cum fratribus conjuratione, dum patri insidias parat, deprehensus cum sociis, pœnas parricidii diis paternæ majestatis ultoribus dedit. Conjuges quoque omnium cum liberis, ne quod vestigium tanti sceleris extaret, interfectæ. Post hæc Artaxerxes morbo & dolore contracto decedit, rex quam pater felicior.

CAP. III. Hereditas regni Ocho tradita, qui timens parem conjurationem, regiam cognatorum cæde & strage principum replet, nulla non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus: scilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur. Atque ita veluti

luti purificato regno, bellum Caduſiis infert. In eo cum adverſus provocatorem hoſtium Codomannus quidam, omnium favore proceſſiſſet, hoſte cæſo, victoriam ſuis pariter, & prope amiſſam gloriam reſtituit. Ob hæc decora idem Codomannus præficitur Armeniis. Interjecto deinde tempore, poſt mortem Ochi regis, ob memoriam priſtinæ virtutis, rex à populo conſtituitur, Darii nomine, ne quid regiæ majeſtati deeſſet, honoratus; bellumque cum Alexandro Magno, diu variante fortuna, magna virtute geſſit. Poſtremo victus ab Alexandro, & à cognatis occiſus, vitam pariter cum Perſarum regno finivit.

LIBER XI.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Occiſo Philippo Alexander Macedones in officio continet.*
2. *Initia principatus Alexandri. Perſas bello aggreditur conſtituit.*
3. *Græcos defectionem cogitantes coërcit.*
4. *Thebas vicinis incolis evertit. Athenienſibus infeſtus,*
5. *Sævit in Novercæ ſuæ cognatos, & in conſanguineos ſuos, deinde bellum Perſicum aggreditur.*
6. *Diſciplinam militarem ordinat. Parva manu ingentia molitur. Perſas prælio ſuperat.*
7. *Inſidiis vitatis Gordium nodum fatalem calide ſolvit.*
8. *Tauro monte tranſcenſo in graviſſimum morbum incidit, & ſanitati reſtituitur.*
9. *Ad alterum prælium apparatus. Atrox pugna. Strages Perſarum, & fuga Darii, cujus Uxor, Mater, filia, captiva ab Alexandro regie excipiuntur.*

10. *Persis superatis à Persarum luxu Alexander superatur. Novæ in Orientem victoriæ. Tyrus expugnatur:*
11. *Provinciis non paucis receptis pergit ad Hammonis oraculum.*
12. *Darii regnum ambit, & pacem petenti recusat.*
13. *Tertii prælii inter Alexandrum & Darium circumstantia quædam.*
14. *Ejusdem prælii descriptio. Persæ fugantur, victores præda ingenti potiuntur.*
15. *Darius à suis victus & multis vulneribus confossus, salutem dixit Alexandro, & in morte regium animum prodit. Alexander Darii obitum fletu & regia sepultura decorat.*

CAP. I.

IN exercitu Philippi sicuti, variæ gentes erant, ita eo occiso diversi motus animorum fuere. Alii quippe injusta servitute oppressi, ad spem se libertatis erigebant: alii tædio longinquæ militiæ, remissam sibi expeditionem gaudebant: nonnulli facem, nuptiis filiæ accensam, rogo patris subditam dolebant. Amicos quoque, tam subita mutatione rerum haud mediocris metus ceperat, reputantes nunc provocatam Asiam: nunc Europam nondum perdomitam; nunc Illyrios & Thracas, & Dardanos, ceterasque barbaras gentes fidei dubiæ, & mentis invidæ, qui omnes populi si pariter deficiant, resisti nullo modo posse. Queis rebus veluti medela quædam interventus Alexandri fuit;

fuit; qui pro concione, ita vulgus omne consulatus, hortatusque pro tempore est, ut & metum timentibus demeret, & spe omnes impleret. Erat hic annos xx natus: in qua ætate ita moderate de se multa pollicitus est, ut appareret plura eum experimentis reservare. Macedonibus immunitatem cunctarum rerum, præter militiæ vacationem dedit: quo facto tantum sibi favorem omnium conciliavit, ut corpus hominis, non virtutem regis mutasse se dicerent.

CAP. II. Prima illi cura paternarum exequiarum fuit, in quibus ante omnia, cædis conscios ad tumulum patris occidi jussit: soli Alexandro Lyncistarum fratri pepercit, servans in eo auspicium dignitatis suæ: nam regem ejum primus salutaverat. Æmulum quoque imperii Caranum fratrem ex noverca susceptum, interfici curavit. Inter initia multas gentes rebellantes compescuit: orientes nonnullas seditiones extinxit. Quibus rebus erectus, citato gradu in Græciam contendit, ubi exemplo patris Corinthum evocatis civitatibus dux in locum ejus substituitur. Inchoatum deinde à patre Persicum bellum aggreditur, in cujus apparatu occupato nuntiatur,

Athenienſes, & Lacedæmonios ab eo Perſas defeciſſe, auctoremque ejus defectionis magno auri pondere a Perſis corruptum, Demoſthenem oratorem extitiſſe; qui Macedonum deletas omnes cum rege copias à Triballis affirmaverit, producto in concionem auctore, qui in eo prœlio, in quo rex ceciderit, ſe quoque vulneratum diceret. Qua opinione mutatos omnium ferme civitatium animos eſſe: præſidia Macedonum obſideri. Quibus motibus occurſurus, tanta celeritate inſtructo paratoq; exercitu Græciam oppreſſit, ut quē venire non ſenſerant, videre ſe vix crederent

CAP. III. In tranſitu hortatus Theſſalos fuerat; beneficiorumque Philippi patris, maternæque ſuæ cum his ſub Æacidarum gente neceſſitudinis admonuerat. Cupide hæc Theſſalis audientibus, exemplo patris dux univerſæ gentis creatus erat, & vectigalia omnia, reditusq; ſuos ei tradiderant. Sed Athenienſes, ſicuti primi defecerant, ita primi pœnitere cœperunt: contemptum hoſtis in admirationem vertentes, pueritiamq; Alexandri ſprctā antea, ſupra virtutem veterum ducum extollentes. Miſſis itaque legatis, bellum deprecantur: quibus audi-

aūditis & graviter increpatis, Alexander bellum remisit. Inde Thebas exercitum convertit, eadem indulgentia usurus, si parem pœnitentiam invenisset. Sed Thebani armis, non precibus nec deprecatione usi sunt. Itaq; victi, gravissima quæq; supplicia miserrimæ captivitatis experti sunt. In consilio cum de excidio urbis deliberaretur, Phocenses, & Platæenses, & Thespienses, & Orchomenii, Alexandri socii, victoriæque participes, excidia urbium suarum, crudelitatemque Thebanorum referebant: studia in Persas non præsentia tantum, verum & vetera adversus Græciæ libertatem increpantes. Quamobrem odium eos omnium populorum esse: quod vel ex eo manifestari, quod jurejurando se omnes obstrinxerint, ut victis Persis Thebas diruerent. Adjiciunt & scelerum priorum fabulas, quibus omnes scenas repleverint, ut non præsenti tantum perfidia, verū & vetere infamia invisi forent.

CAP. IV. Tunc Cleadas unus ex captivis, data potestate dicendi, non à rege defecisse, quem interfectum audierint, sed à regis heredibus: quicquid in eo sit admissum, credulitatis non perfidiæ culpam esse; cujus tamen jam magna

se supplicia pependisse, deleta juventute: nunc senum seminarumque sicuti infirmum, ita innoxium restare vulgus quod ipsum stupris contumeliisque ita vexatum esse, ut nihil amarius unquam sint passi: nec jam pro civibus se, qui tam pauci remanserint, orare; sed pro innoxio patriæ solo, & pro urbe, quæ non viros tantum, verum & deos genuerit. Privata etiam regem superstitione deprecatur, geniti apud ipsos Herculis, unde originem gens Æacidarum trahat; actaq; Thebis à patre ejus Philippo pueritia: rogat urbi parcat, quæ majores ejus partim apud se genitos, deos adoret: partim educatos, summæ majestatis reges viderit. Sed potentior fuit ira, quam preces. Itaque urbs diruitur: agri inter victores dividuntur: captivi sub corona venduntur, quorum pretium non ex mentiū commodo, sed ex inimicorum odio extenditur. Miseranda res Atheniensibus visa. Itaque portas refugiis profugorum contra interdictum regis aperuere. Quam rem ita graviter tulit Alexander, ut secunda legatione denuo bellum deprecantibus, ita demum remiserit, ut oratores & duces, quorum fiducia toties rebellent, sibi dedantur:

para-

paratisque Athenienſibus, ne cogantur ſubire bellum, eo res reducta eſt, ut retentis oratoribus, duces in exilium agerentur: qui ex continenti ad Darium profecti, non mediocre momentum Perſarum viribus acceſſere.

CAP. V. Proficiſcens ad Perſicum bellum, omnes novercæ ſuæ cognatos, quos Philippus in excelſiorem dignitatis locum provehens, imperiis præfecerat, interfecit. Sed nec ſuis, qui apti regno videbantur, pepercit, ne qua materia ſeditionis, procul ſe agente, in Macedonia remaneret: & reges ſtipendiarios conſpectionis ingenii, ad commilitium ſecum trahit: ſegniores ad tutelam regni relinquit. Adunato deinde exercitu naves onerant: unde conſpecta Aſia, incredibili ardore mentis accenſus, duodecim aras deorum in belli vota ſtatuit. Patrimonium omne ſuum, quod in Macedonia, Europaque habebat, amicis dividit, ſibi Aſiam ſufficere præfatus. Priusquam ulla navis littore excederet, hoſtias cædit, petit victoriam bello, quo toties à Perſis petitæ Græciæ ultor electus ſit: quibus longa jam ſatis, & matura imperia contigiſſe, quorumque tempus eſſe vices excipere melius acturos.

Sed nec exercitus ejus alia, quam regis animorum præsumptio fuit: quippe obliti omnes conjugum, liberorumque, & longinquæ domo militiæ, Persicum aurum, & totius Orienti opes, jam quasi suam prædam ducebant: nec belli periculorumque, sed divitiarum meminerant. Cum delati in continentam essent, primus Alexander jaculum velut in hostilem terram jecit; armatusque de navi tripudianti similis prosiluit; atque ita hostias cædit; præcatur ne se regem illæ terræ invitæ accipiant. In illo quoque ad tumulos heroum, qui Trojano bello ceciderant, parentavit.

CAP. VI. Inde hostem petens, milites, à populatione Asiæ prohibuit, parcendum suis rebus præfatis, nec perdenda ea quæ possessuri venerint. In exercitu ejus fuere peditum XXX. duo millia, equitum quatuor millia quingenti, naves centum LXXXII. Hac tam parva manu universum terrarum orbem utrum sit admirabilius, vicerit, an aggredi ausus fuerit, incertum est: cum ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non juvenes robustos, nec primum florem ætatis, sed veteranos, plerosque eriam emeritæ militiæ, qui cum patre patruis-

patruisque militaverant, elegit: ut non tam milites, quam magistratos militiæ electos putares. Ordines quoque nemo nisi sexaganarius duxit: ut si principia castrorum cerneres, senatum te alicujus priscæ reipub. videre diceres. Itaq; nemo in prælio fugam, sed victoriam cogitavit: nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit. Contra Rex Persarum Darius, fiducia virium, nil astu agere, affirmans suis, occulta consilia victoriæ furtivæ convenire; nec hostem regni finibus arcere, sed in intimum regnum accipere: glorioſius ratus repellere bellum quam non admittere. Prima igitur congressio in campis Adrastiis fuit. In acie Persarum sexcenta millia millitum fuere, quæ non minus arte Alexandri, quam virtute Macedonum superata, terga verterunt. Magna itaque cædes Persarum fuit. De exercitu Alexandri novem pedites, centum viginti equites cecidere; quos rex impensæ, ad cæterorum exemplum humatos, statuis equestribus donavit, cognatisque eorum immunitates dedit. Post victoriam major pars Asiæ ad eum defecit. Gessit & plura bella cum præfectis Darii, quos jam non tam armis, quam terrore nominis sui vicit.

CAP. VII. Dum hæc aguntur, interim indicio captivi ad eum defertur, insidias ei ab Alexandro Lynciſtarum, genero Antipatri, qui præpoſitus Macedoniæ erat, parari. Ob quam cauſam timens, ne quis interfecto eo in Macedonia motus oriretur, in vinculis eum habuit. Poſt hæc Gordien urbem petit, quæ poſita eſt inter Phrygiam majorem & minorem: cujus urbis potiundæ non tam propter prædam cupido eum cepit, ſed quod audierat in ea urbe, in templo Jovis jugum Gordii poſitum; cujus nexum ſi quis ſolviſſet, eum tota Aſia regnaturum, antiqua oracula ceciniſſe. Hujus rei cauſa & origo illa fuit. Gordius cum in his regionibus bubus conductis araret, aves eum omnis generis circumvolare cœperunt. Profectus ad conſulendos augures vicinæ urbis, obviam in porta habuit virginem eximiæ pulchritudinis: percontatus eam, quem potiſſimum augurum conſuleret: illa audita cauſa conſulendi, gnara artis ex diſciplina parentum, regnum ei portendi, reſpondit: polliceturq; ſe & matrimonii, & ſpei ſociam. Tam pulchra conditio, prima regni felicitas videbatur. Poſt nuptias, inter Phrydas orta ſeditio eſt.

Con-

Consulentibus de fine discordiarum, oracula responderunt, regem discordiis opus esse. Iterato quærentibus de persona regis, jubentur eum regem observare, quem reversi primum in templum Jovis euntem plaustro reperissent. Obvius illis Gordius fuit, statimque eum regem consalutant. Ille plaustrum, quo vehenti regnum delatum fuerat, in templo Jovis positum, majestati regiæ consecravit. Post hunc filius Mida regnavit, qui ab Orpheo sacrorum solemnibus initiatus, Phrygiam Religionis implevit: quibus tutior omni vita, quam armis fuit. Igitur Alexander capta urbe cum in templum Jovis venisset, jugum plaustri requisivit: quo exhibito, cum capita loramentorum intra nodos abscondita reperire non posset, violentius oraculo usus, gladio loramenta cædit: atque ita resolutis nexibus, latentia in nodis capita invenit.

CAP. VIII. Hæc illi agenti, nuntiatur, Darium cum ingenti exercitu adventare. Itaque timens angustias, magna celeritate Taurum transcendit: in qua festinatione quingenta stadia cursu fecit. Cum Tarsum venisset, captus Cydni fluminis amœnitate, per mediam

urbem influentis, projectis armis, plenus pulveris ac sudoris, in præfrigidam undam se projecit. Tum repente tantus nervos ejus occupavit rigor, ut intercluſa voce non ſpes modo remedii, ſed nec dilatio periculi inveniretur. Unus erat ex medicis, nomine Philippus, qui ſolus remedium policeretur: ſed & ipſum, Parmenionis pridie à Cappadocia miſſæ epiſtolæ ſuſpectum faciebant: qui ignarus infirmitatis Alexandri ſcripſerat, à Philippo medico caveret: nam corruptum illum à Dario ingenti pecunia eſſe. Tutius tamen eſt ratus, dubiæ ſe fidei medici credere, quam indubitato morbo perire. Accepto igitur poculo, epiſtolas medico tradidit; atque ita inter bibendum oculos in vultum legentis intendit. Ut ſecurum conſpexit, lætior factus eſt, ſanitatemque quarta die recepit.

CAP. IX. Interea Darius cum quadringentis millibus peditum, ac centum millibus equitum in aciem procedit. Movebat hæc multitudo hoſtium, reſpectu paucitatis ſuæ, Alexandrum: ſed interdum reputabat, quantas res cum iſta paucitate geſſiſſet: quantoq; populos fudiſſet. Itaque cum ſpes metum vince-

vinceret, periculosius differre bellum ratus, ne desperatio suis cresceret, circumvectus suos, singulas gentes diversa oratione alloquitur : Illyrios & Thracas opum ac divitiarum ostentatione, Græcos veterum bellorum memoria, internecinique cum Persis odii accendebat: Macedones autem nunc Europæ victæ admonet, nunc Asiæ expetitæ : nec inventos illis toto orbe pares viros gloriatur. Cæterum & laborum finem hunc, & gloriæ cumulum fore. Atq; inter hæc identidem consistere aciem jubet, ut hac mora consuescant oculis turbam hostium sustinere. Nec Darii regis opera in ordinanda acie defuit. Quippe omissis ducum officiis ipse omnia circumire, singulos hortari, veteris gloriæ Persarum, imperuiq; perpetuæ à diis immortalibus datæ possessionis admonere. Post hæc prœlium ingentibus animis committitur. In eo uterque rex vulneratur. Tam diu certamen anceps fuit, quoad fugeret Darius. Exinde cædes Persarum secuta est. Cæsa sunt peditum unum & sexaginta millia, equitum decem millia : capta quadraginta millia. Ex Macedonibus cecidere pedestres CXXX. equites CL. In castris Persarum multum auri, cete-

rarumque opum inventum. Inter captivos castrorum, mater, & uxor eademque soror, & filiæ duæ, Darii fuere. Ad quas visendas hortandasque cum Alexander venisset, conspectis armatis invicem se amplexæ, velut statim morituræ complorationem ediderunt. Provolutæ deinde genibus Alexandri, non mortem, sed dum Darii corpus sepeliant, dilationem mortis, deprecantur. Motus tanta mulierum pietate Alexander, & Darium vivere dixit: & timentibus mortis metum dempsit: easque haberi ut reginas præcepit. Filias quoque non sordidus dignitate patris sperare matrimonium jussit.

CAP. X. Post hæc opes Darii, divitiarumque apparatum contemplatus, admiratione tantarum rerum capitur. Tunc primum luxoriosa convivia, & magnificentiam epularum sectari: tunc Barsenen captivam diligere propter formæ pulchritudinem cœpit. A qua postea susceptum puerum Herculem vocavit. Memor tamen adhuc Darium vivere, Parmenionem ad occupandam Persicam classem, aliosque amicos ad recipiendas Asiæ civitates misit: quæ statim audita fama victoriæ, ipsis Darii præfectis cum auri magno pondere tradentibus se, in pote-

potestatem victorum venerunt. Tunc in Syriam proficiscitur: ubi obvios cum insulis multos Orientes reges habuit. Ex his pro meritis singulorum alios in societatem recepit: aliis regnum ademit, suffectis in loca eorum novis regibus. Insignis præter cæteros fuit Abdalonimus, rex ab Alexandro Sidoniæ constitutus. Quem Alexander, cum operam oblocare ad puteos exhauriendos, hortosque irrigandos solitus esset, misere vitam exhibentem, regem fecerat, spretis nobilibus, ne generis id, non dantis beneficium putarent. Tyriorum civitas cum coronam auream magni ponderis, per legatos in titulum gratulationis Alexandro misisset, grate munere accepto, Tyrum se ire velle ad vota Herculi reddenda, dixit. Cum legati rectius id eum in Tyro vetere & antiquiore templo facturum dicerent, in deprecantes ejus introitum ita exarsit, ut urbi excidium minaretur: confestimque exercitu insulæ applicato, non minus animosis Tyriis fiducia Carthaginiensium, bello excipitur. Augebat enim Tyriis animos Didonis exemplum, quæ Carthagine condita, tertiam partem orbis quæsisset; turpe ducentes, si fœminis suis plus animi fuis-

fuisset in imperio quærendo, quam sibi intuenda libertate. Amota igitur imbelli ætati Carthaginem, & arcessitis mox auxiliis, non magno post tempore per proditionem capientur.

CAP. XI. Inde Rhodum Alexander, Ægyptum, Ciliciamque sine certamine recipit. Ad Jovem deinde Hammonem pergit, consulturus & de eventu futurorum, & de origine sua. Namque mater ejus Olympias confessa viro suo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo se, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse. Denique Philippus ultimo prope vitæ suæ tempore, filium suum non esse palam prædicaverat. Qua ex causa Olympiadem, velut stupri compertam, repudio dimiserat Igitur Alexander cupiens originem divinitatis acquirere, simul & matrem infamia liberare, per præmissos subornat antistites, quid sibi responderi velit. Ingredientem templum, statim antistites ut Hammonis filium salutant. Ille lætus dei adoptione, hoc se patre censeri jubet. Rogat deinde, an omnes interfectores parentis sui sit ultus: respondetur patrem ejus nec posse interfici, nec mori: regis Philippi peractam plene ultionem esse. Tertiam

inter-

interrogationem poscenti, victoriam omnium bellorum, possessionemque terrarum dari respondetur. Comitibus quoque suis responsum, ut Alexandrum pro deo, non pro rege colerent. Hinc illi aucta insolentia, mirusque animo increvit tumor, exemta comitate, quam & Græcorum literis, & Macedonum institutis didicerat. Reversus ab Hammone Alexandriam condidit, & coloniam Macedonam caput esse Ægypti jubet.

Cap. XII. Darius cum Babyloniam profugisset, per Epistolas Alexandrum deprecatur, redimendarum sibi captivarum potestatem faciat, inque eam rem, magnam pecuniam pollicetur, sed Alexander in pretium captivarum regnum omne, non pecuniam petit. Interjecto tempore, aliæ epistolæ Darii Alexandro redduntur, quibus filiæ matrimonium & regni portio offertur. Sed Alexander sua sibi dari rescripsit; justitque supplicem venire, & regni arbitria victori permittere. Tum spe pacis amissa bellum Darius reparat: cum quadringentis millibus peditum, & centum millibus equitum obviam vadit Alexandro. In itinere nuntiatur, uxorem ejus ex collisione abjecti partus decessisse, ejusq; mor-

mortem illacrymatum Alexandrum, exequiasque benigne prosecuturum, idque eum non amoris, sed humanitatis causa fecisse. Nam semel tantum eam Alexandro visam esse, cum matrem filiasque ejus parvulas frequenter consolaretur. Tunc Darius se ratus vere victum, cum post tot prœlia, etiam beneficiis ab hoste superaretur, gratumque sibi esse, si vincere nequeat, quod à tali potissimum vinceretur. Scribit itaque & tertias epistolas, & gratias agit, quod nihil in suos hostile fecerit. Offert deinde majorem partem regni usque flumen Euphratem, & alteram filiam uxorem, pro reliquis captivis triginta millia talentum. Ad hæc Alexander, Gratiarum actionem ab hoste supervacaneam esse respondit; nec à se quicquam factum in hostis adulationem, nec quod in dubios belli exitus, aut in leges pacis sibi lenocinia quæreret: sed animi magnitudine, qua didicerit adversus vires hostium, non adversus calamitates contendere; polliceturque præstaturum se ea Dario, si secundus sibi, non par haberi velit. Cæterum neq; mundum posse duobus solibus regi: neque orbem summa duo regna salvo statu terrarum habere:

bere: proinde aut deditionem ea die, aut in posterum aciem paret: nec polliceatur sibi aliam, quam sit expertus, victoriam.

CAP. XIII. Postera die aciem producunt: cum repente ante prœlium, confectum curis Alexandrum somnus arripuit. Cum ad pugnam solus rex deesset, à Parmenione ægre exercitatus, quærentibus somni causas omnibus inter pericula, cum etiam in otio semper parcior fuerit: Magno se æstu liberatum ait, somnumque sibi à repentina securitate datum, quod liceat cum omnibus Darii copiis confligere: veritum se longam belli moram, si Persæ exercitum divisissent. Ante prœlium utraq; acies hostibus spectaculo fuit. Macedones multitudinem hominum, corporum magnitudinem, armorumque pulchritudinem mirabantur: Persæ, à tam paucis victa suorum tot millia stupebant. Sed nec duces circumire suos cessebant. Darius vix denis armatis singulos hostes, si diviso fieret, evenire dicebat. Alexender Macedonas monebat, ne multitudine hostium, nec corporis magnitudine, vel coloris novitate moverentur: tantum meminisse jubet, cum iisdem se tertio pugnare;

gnare; nec meliores factos putarent fuga cum in aciem secum tam tristem memoriam cædium suarum, & tantum sanguinis duobus prœliis fusi ferrent: & quemadmodum Dario majorem turbam hominum esse, sic virorum sibi. Hortatur spernant illam aciem auro & argento fulgentem in qua plus prædæ, quam periculi sit; cum victoria non armorum decore, sed ferri virtutæ quæratur.

CAP. XIV. Post hæc prœlium committitur. Macedones in ferrum cum contemptu toties à se victi hostis ruebant: contra Persæ mori, quam vinci præoptabant. Raro ullo prœlio tantum sanguinis fusum est. Darius cum vinci suos videret, mori voluit & ipse; sed à proximis fugere compulsus est. Suadentibus deinde quibusdam ut pons Cydni fluminis, ad iter hostium impediendum, intercluderetur; Non ita se saluti suæ velle consultum ait, ut tot millia sociorum hosti objiciat: debere & aliis fugæ viam patere, quæ patuerit sibi Alexander autem periculosissima quæq; aggrediebatur; & ubi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper ingerebat, periculaque sua esse, non militum volebat. Hoc prœlio Asiæ impe-

imperium rapuit, quinto post acceptum regnum anno; cujus tanta felicitas fuit, ut post hoc nemo rebellare ausus sit: patienterque Persæ post imperium tot annorum, jugum servitutis acceperint. Donatis refectisque militibus XXXIV. diebus prædam recognovit. In urbe deinde Susa XL. millia talentum invenit. Expugnat & Persepolim, caput Persici regni, urbem multis annis illustrem, refertamque orbis terrarum spoliis, quæ interitu ejus primum apparuere. Inter hæc DCCC admodum Græci occurrunt Alexandro, qui poenam captivitatis truncata corporis parte tulerant; rogantes, ut sicuti Græciam, se quoque ab hostium crudelitate vindicaret. Data potestate redeundi, agros accipere maluerunt, ne non tam gaudium parentibus, quam detestandum sui conspectum reportarent.

CAP. XV. Interea Darius in gratiam victoris à cognatis suis, aureis compedibus catenisque in vico Parthorum Thara vincitur. Credo ita diis immortalibus judicantibus, ut in terra eorum, qui successuri imperio erant, Persarum regnum finiretur. Alexander quoque citato cursu postera die supervenit: ibique cognovit Darium clauso vehiculo per noctem

noctem exportatum. Jusso itaque exercitu subsequi, cum sex millibus equitum, fugientem insequitur: in itinere multa & periculosa prœlia facit. Emensus deinde multa millia passuum, cum nullum Darii incidium reperisset, respirandi equis data potestate unus ex militibus, dum ad fontem proximum pergit, in vehiculo Darium, multis quidem vulneribus confossum, sed spirantem adhuc invenit: qui applicito captivo cum civem ex voce cognovisset, id saltem præsentis fortunæ solatium habere se dixit, quod apud intellecturum loquturus esset, nec incassum postremas voces emissurus. Perferri hæc Alexandro jubet, se nullis in eum meritorum officiis, maximorum illi debitorem mori, quod in matre liberisque suis, regium ejus, non hostilem animum expertus, felicius hostem quam cognatos sortitus sit: quippe matri & liberis suis ab eodem hoste vitam datam: sibi à cognatis ereptam, quibus & vitam, & regna dederit: Quamobrem gratiam illis eam futuram, quam ipse victor volet. Alexandro referre se, quam solam moriens potest, gratiam: precari superûm inferumque numina, & regales deos, ut illi terrarum omnium victori

ctori contingat imperium. Pro se justam magis, quam gravem sepulturæ veniam orare. Quod ad ultionem pertineat, jam non suam, sed exempli, communemque omnium regum esse causam, quam negligere, illi & indecorum & periculosum esse: quippe cum in altero justitiæ ejus, in altero etiam utilitatis causa versetur. In quam rem unicum pignus fidei regiæ, dexteram se ferendam Alexandro dare. Post hæc porrecta manu exspiravit. Quæ ubi Alexandro nuntiata sunt, viso corpore defuncti, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus est; corpusque regio more sepeliri, & reliquias ejus, majorum tumulis inferri jussit.

LIBER XII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Alexandri in retinendo milite solertia. Græci bellum absente Alexandro reparant.*
2. *Alexander rex Epiri Italiam turbat, & tandem in pugna cadit; Scythæ Alexandri præfectum & exercitum internecione delent.*
3. *Alexandri simulatio, ambitio, cum Thalestri concubitus, luxus & profusiones.*
4. *Qua ratione Macedones tumultuantes in officio continuerit.*
5. *In domesticos suos ferrum stringit & nova ratione adversarios ulciscitur, populos multos subigit, & Bessum Darii interfectorem de medio tolli curat.*
6. *In convivio mactat Clitum amicum, quem frustra desiderat peccati sera pœnitentia ductus.*

7. *Ad*

7. *Ad ingentem reversus in prudentes consiliarios sævit: ad Orientem statuit imperii limites. Bacchi vestigia delectatur: Herculi sque gesta superare contendit.*
8. *Porum prælio superatum regie excepit & dimittit: multis populis expugnatis quietem exercitui concedere velle videtur.*
9. *Bellum instaurat. In Sugambrorum urbe de vita certat & periclitatur.*
10. *Ab amicis periculo ereptus, Oceanum lustrat: terminos imperii statuit: præfectos vita privat, & ad nuptias applicat animum.*
11. *Liberalitas, munificentia & severitas ejusdem.*
12. *Qua ratione Macedones seditiosos ad officium revocaverit. Hephæstionis obitus & tumulus.*
13. *Dum Occidentales Provincias manus porrigunt, Alexander in lethalem morbum incidit Babylonem pergens.*
14. *Alexander Antipatri dictis veneno extinguitur.*
15. *Alexanderi moribundi novissima verba.*
16. *Ejusdem Alexandri Magni elogium.*

CAP. I.

ALexander in prosequendo Dario amissos milites, magnis funerum impensis extulit; reliquis expeditionis ejus sociis, tredecim millia talentum divisit. Equorum major pars æstu amissa inutilesque etiam qui superfuerant, facti. Pecunia omnis centum nonaginta millia talentum Ecbatana congesta, eique Parmenio præpositus. Dum hæc aguntur, epistolæ Antipatri è Macedonia ei redduntur, quibus bellum Agidis regis Spartanorum in Græcia; bellum Alexandri

regis

regis Epiri in Italia; bellum Sopyrionis præfecti ejus in Scythia, continebatur. Quibus varie affectus, plus tamen lætitiæ cognitis mortibus duorum æmulorum regum, quam doloris amissi cum Sopyrione exercitus, suscepit. Namq; post profectionem Alexandri, Græcia ferme omnis in occasionem recuperandæ libertatis, ad arma concurrerat, auctoritatem Lacedæmoniorum secuta, qui Philippi Alexandrique pacem soli spreverant & leges respuerant. Dux hujus belli Agis rex Lacedæmoniorum fuit, quem motum Antipater contractis militibus in ipso ortu oppressit. Magna tamen utrinque cædes fuit. Agis rex cum suos terga dantes videret, dimissis satellitibus, ut Alexandro felicitate, non virtute inferior videretur, tantam stragem hostium edidit, ut agmina interdum fugaret. Ad postremum, etsi à multitudine victus, gloria tamen omnes vicit.

CAP. II. Porro Alexander rex Epiri, in Italiam à Tarentinis, auxilia adversus Brutios deprecantibus, solicitatus, ita cupide profectus fuerat, veluti in divisione orbis terrarum, Alexandro Olympiadis sororis suæ filio Oriens, sibi Occidens sorte contigisset; non minorem

rerum materiam in Italia, Africa, Siciliaque, quam ille in Asia, & in Persis habiturus. Huc accedebat, quod sicut Alexandro Magno Delphica oracula insidias in Macedonia, ita huic responsum Dodonæi Jovis urbem Pandosiam, amnemque Acherusium prædixerat. Quæ utraque cum in Epiro essent, ignarus eadem & in Italia esse, ad declinanda fatorum pericula, peregrinam militiam cupidius elegerat. Igitur, cum in Italiam venisset, primum illi bellum cum Appulis fuit: quorum cognito urbis fato, brevi post tempore pacem & amicitiam cum rege eorum fecit. Erat namque tunc temporis urbs Appulis Brundusium, quam Ætoli, sequuti tum fama rerum in Troja gustarum clarissimum ac nobilissimum ducem Diomedem, condiderant, sed pulsi ab Appulis, consulentes oracula responsum acceperant, locum quem repetissent, perpetuo possessuros. Hac igitur ex causa, perlegatos cũ belli comminatione, restituti sibi ab Appulis urbem postulaverant. Sed ubi Appulis oraculum innotuit, interfectos legatus in urbe sepelierant, perpetuam ibi sedem habituros. Atque ita defuncti responso, diu urbem possederunt. Quod

factum

factum cum cognovisset Alexander, antiquitatis fata veneratus, bello Appulorum abstinuit. Gessit & cum Brutiis Lucanisque bellum; multasque urbes cepit: tum & cum Metapontinis, & Pedieulis, & Romanis, fœdus amicitiamque fecit. Sed Brutii Lucanique, cum auxilia à finitimis contraxissent, acrius bellum repetivere. Ibi rex juxta urbem Pandosiam, & flumen Acheronta, non prius fatalis loci cognito nomine quam occideret, interficitur; moriensque non in patria fuisse sibi periculosam mortem, propter quam patriam fugerat, intellexit. Corpus ejus Thurii publice redemptum sepulturæ tradiderunt. Dum hæc aguntur in Italia, Sopyrion quoque Præfectus Ponti ab Alexandro Magno relictus, ociosum se ratus, si nihil & ipse gessisset, adunato XXX. millium exercitu, Scythis bellum intulit: cæsusque cum omnibus copiis, pœnas temere illati belli genti innoxiæ luit.

CAP. III. Hæc cum nuntiata in Parthis Alexandro essent, simulato mœrore, propter Alexandri cognationem, exercitui suo triduum luctum indixit. Omnibus deinde, velut perpetrato bello, reditum in patriam exspectantibus,

conjugesque ac liberos suos animo jam quodammodo complectentibus, ad concionem exercitum vocat, ibi nihil actum tot egregiis prœliis ait, si incolumis Orientalis barbaria relinquatur: nec se corpus, sed regnum Darii petisse; persequendosque esse eos, qui à regno defecerint. Hac oratione velut ex integro incitatis militum animis, Hyrcaniam, Mardosq; subegit. Ibi ei occurrit Thalestris sive Minithæa Amazonum regina cum CCC. mulieribus, XXV. dierum inter confertissimas gentes itinere confecto, ex rege liberos quæsitura: cujus conspectus adventusque admirationi omnibus fuit, & propter insolitum fœminis habitum, & propter expeditum concubitum. Ob hoc tredecim diebus otio à rege datis, ut visa est uterum implesse, discessit. Post hæc Alexander habitum regum Persarum, & diadema insolitum antea regibus Macedonicis, velut in leges eorum quos vicerat transiret, assumit. Quæ ne invidiosius in se uno conspicerentur, amicos quoq; suos longam vestem auratam purpureamque sumere jubet. Ut luxum quoque sicuti cultum Persarum imitaretur, inter pellicum regiarum greges electæ pulchritudinis nobili-

bilitatisque, noctium vices dividit. His rebus ingentes epularum apparatus adjicit, ne jejuna & destructa luxuria videretur, conviviumque juxta regiam magnificentiam ludis exornat: immemor prorsus, tantas opes amitti his moribus, non quæri solere.

CAP. IV. Inter hæc indignatio omnium totis castris erat, à Phillippo illum patre tantum degeneravisse, ut etiam patriæ nomen ejuraret, moresque Persarum assumeret, quos propter tales mores vicerat. Sed ne solus vitiis eorum, quos armis subegerat, succubuisse videretur; militibus quoque suis præmisit, si quarum captivarum consuetudine tenerentur, ducere uxores: existimans minorem in patriam reditus cupiditatem futuram, habentibus in castris imaginem quandam larium, ac domesticæ sedis: simul & laborem militiæ molliorem fore dulcedine uxorum. In supplementa quoque militum, minus exhaurire posse Macedoniam, si veteranis patribus tirones filii succederent, militaturi in vallo, in quo essent nati; constantioresque futuri, si non solum tirocinia, verum & incunabula in ipsis castris posuissent. Quę consuetudo in successores quo-

que Alexandri manſit. Igitur & alimenta pueris ſtatuta; & inſtrumenta armorum equorumque juvenibus data; & patribus, pro numero filiorum, præmia ſtatuta. Si quorum patres occidiſſent, nihilominus pupilli ſtipendia patrum trahebant; quorum pueritia inter varias expeditiones, militia erat. Itaque à parvula ætate periculis laboribusque indurati, invictus exercitus fuere: neq; caſtra aliter quam patriam, neque pugnam aliud unquam quam victoriam duxere. Hæc ſoboles nomen habuit Epigoni. Parthis deinde domitis, præfectus his ſtatuitur ex nobilibus Perſarum Andragoras: unde poſtea originem Parthorum reges habuere.

CAP. V. Interea Alexander non regio, ſed hoſtili odio ſævire in ſuos cœpit. Maxime indignabatur, carpi ſe ſermonibus ſuorum, Philippi patris, patriæque mores ſubvertiſſe. Propter quæ crimina, Parmenion quoque ſenex, dignitate regi proximus, cum Philota filio, de utroq; prius quæſtionibus habitis, interficitur. Fremere itaque omnes univerſis caſtris cœpere, innoxii ſenis filiiq; caſum miſerantes; interdum ſe quoque non debere melius ſperare dicentes.

Quæ

Quæ cum nuntiata Alexandro essent, verens ne hæc opinio etiam in Macedoniam divulgaretur, & ne victoriæ gloria sævitiæ macula infuscaretur, simulat se ex amicis quosdam in patriam victoriæ nuntios missurum. Hortatur milites suis scribere, rariorem habituros occasionem, proprer militiam remotiorem. Datos fasces epistolarum tacite ad se deferri jubet: ex quibus cognito de se singulorum judicio, in unam cohortem eos qui de rege durius opinati fuerant, contribuit, aut consumpturus eos, aut in ultimis terris in coloniam distributurus. Inde Drancas, Evergetes, Parymas, Parapammenos, Adaspios, cæterosque populos, qui in radice Caucasi morabantur, subegit. Interea unus ex amicis Darii, Bessus, victus perducitur, qui regem non solum prodiderat, verum & interfecerat. Quem in ultionem perfidiæ excruciandum fratri Darii tradidit; reputans non tam hostem suum fuisse Darium, quam amicum ejus, à quo esset occisus. Et ut his terris nomen relinqueret, urbem, Alexandriam super amnem Tanaim condidit, intra diem septimum decimum muro VI. millium passuum consummato, translatis eo trium civitatium populis, quas

Cyrus condiderat. In Bactrianis quo que Sogdianisque XII. urbes condidit, distributis his, quoscunque in exercitu seditiosos habebat.

CAP. VI. His ita gestis solemni die amicos in convivium vocat; Ubi orta inter ebrios rerum à Philippo gestarum mentione, præferre se patri ipse, rerumque suarum magnitudinem extollere cœlo tenus cæpit, assentante majore convivarum parte. Itaque cum unus è senibus Clitus, fiducia amicitiæ regiæ, cujus palmam tenebat, memoriam Philippi tueretur, laudaretque ejus res gestas; adeo regem offendit, ut telo à latellite rapto, eundem in convivio trucidaverit. Qua cæde exultans, mortuo patrocinium Philippi, laudemque paternæ militiæ objectabat. Postquam satiatus cæde animus conquievit, & in iræ locum successit æstimatio, modo personam occisi, modo causam occidendi considerans, pigere eum facti cœpit: quippe paternas laudes tam iracunde accepisse se, quam nec convitia debuisset; amicumq; senem & innoxium à se occisum inter epulas & pocula, dolebat. Eodem igitur furore in pœnitentiam, quo pridem in iram versus, mori voluit. Primum in fletus

fletus progressus, amplecti mortuum, vulnera tractare, & quasi audienti confiteri dementiam; arreptum telum in se vertit: peregisset que facinus, nisi amici interveniissent. Mansit haec voluntas moriendi etiam sequentibus diebus. Accesserat enim poenitentiae, nutricis suae & sororis Cliti recordatio, cujus absentis eum maxime pudebat: tam foedam illi alimentorum suorum mercedem redditam, ut in cujus manibus pueritiam egerat, huic juvenis, & victor, pro beneficiis funera remitteret. Reputabat deinde, quantum in exercitu suo, quantum apud devictas gentes fabularum atque invidiae, quantum apud caeteros amicos metum & odium sui fecerit: quam amarum & triste reddiderit convivium suum; non armatus in acie, quam in convivio terribilior. Tunc Parmenion & Philotas, tunc Amyntas consobrinus, tunc noverca fratresque interfecti: tunc Attalus, Eurylochus, Pausanias aliique Macedoniae extincti principes, occurrebant. Ob haec illi quatriduo perseverata inedia est, donec exercitus universi precibus exornatus est, precantis ne ita mortem unius doleat, ut universos perdat, quos in ultimam deductos Bar-

bariam, inter infestas, & irritatas bello gentes, destituat. Multum profuere Callisthenis philosophi preces, condiscipulatu apud Aristotelem familiaris illi, & tunc ab ipso rege ad prodenda memoriæ acta ejus accitus. Revocato igitur ad bellum animo, Chorasmos & Dahas in deditionem accepit.

CAP. VII. Deinde, quod primo ex Persico superbiæ regiæ more distulerat, ne omnia pariter invidiosiora essent, non salutari, sed adorari se jubet. Acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit. Quæ res & illi, & multis principibus Macedonum exitio fuit: siquidem sub specie insidiarum omnes interfecti. Retentus tamen est à Macedonibus mos salutandi regis, explosa adoratione. Post hæc Indiam petit, ut Oceano, ultimoque Oriente finiret imperium. Cui gloriæ, ut etiam exercitus ornamenta convenirent, phaleras equorum, & arma militum, argento inducit; exercitumque suum, ab argenteis clypeis, Argyraspidas appellavit. Cum ad Nysam urbem venisset, oppidanis non repugnantibus fiducia religionis Liberi patris, à quo condita urbs erat, parci jussit: lætus non militiam tantum, verum & vestigia

stigia se dei sequuntum. Tunc ad spectaculum sacri montis duxit exercitum, naturalibus bonis, vite hederaq; non aliter vestiti, quam si manu cultus, colentiumq: industria exornatus esset. Sed exercitus ejus, ubi ad montem accessit, repentino impetu mentis, in sacros dei ululatus instinctus, cum stupore regis, sine noxa discurrit: ut intelligeret, non tam oppido se parcendo, quam exercitui suo consuluisse. Inde montes Dædalos, regnaq; Cleofidis reginæ petit. Quæ cum se dedisset ei, concubitu redemptum regnum ab Alexandro recepit; illecebris consecuta, quod virtute non potuerat: filiumque ab eo genitum, Alexandrum nominavit, qui postea regnum Indorum potitus est. Cleofis regina, propter prostratam pudicitiam, scortum regium ab Indis exinde appellata est. Peragrata india, cum ad saxum miræ asperitatis & altitudinis, in quod multi populi confugerant, pervenisset, cognoscit Herculem ab expugnatione ejusdem saxi terræmotu prohibitum: Captus itaq; cupidine, Herculis acta superare, cum summo labore ac periculo potius saxo, omnes ejus loci gentes in deditionem accipit.

Cap. VIII. Unus ex regibus Indo-

rum fuit, Porus nomine, viribus corporis, & animi magnitudine pariter insignis, qui bellum jampridem, audita Alexandri opinione, in adventum ejus parabat. Commisso itaque prœlio, exercitum suum Macedonas invadere jubet; sibi regem eorum privatum hostem deposcit. Nec Alexander pugnæ moram fecit: sed prima congressione vulnerato equo, cum præceps ad terram decidisset, concursu satellitum servatur. Porus multis vulneribus obrutus capitur. Qui victum se adeo doluit, ut cum veniam ab hoste accepisset, neq: cibum sumere voluerit; neque vulnera curari passus sit; ægreque sit ab eo obtentum, ut vellet vivere. Quem Alexander ob honorem virtutis, incolumen in regnum remisit. Duas ibi urbes condidit: unam Nicæam, alteram ex nomine equi Bucephalen vocavit. Inde Adrestas, Gesteanos, Præsidas, Gangaridas, cæsis eorum exercitibus, expugnat. Cum ad Cuphites veniisset, ubi eum hostium ducenta millia equitum opperiebantur, exercitus omnis, non minus victoriarum numero, quam laboribus fessus, lachrymis eum deprecatur, finem tandem belli faceret: aliquando patriæ, reditusque meminisset;

nisset; respiceret militum annos, quibus vix ætas ad reditum sufficeret: ostendere alius caniciem, alius vulnera, alius ætate consumpta corpora, alius cicatricibus exhausta: solos se esse qui duorum regum, Philippi Alexandrique, continuam militiam pertulerint. Tandem orare, ut reliquias saltem suas paternis sepulchris reddat, quorum non studiis deficiatur, quam annis: Ac si non militibus, vel ipse sibi parcat, ne futuram suam nimis onerando fatiget. Motus his tam justis precibus, velut in finem victoriæ, castra solito magnificentiora fieri jussit, quorum molitionibus & hostis terreretur, & posteris admiratio sui relinqueretur. Nullum opus milites lætius fecere. Itaq; cæsis hostibus, cum gratulatione in eadem reverterunt.

CAP. IX. Inde Alexander ad amnem Acesinem pergit: per hunc in Oceanum devehitur. Ibi Hiacensanas Sileosque quos Hercules condidit, in deditionem accipit. Hinc in Ambros & Sugambros navigat. Quæ gentes eum armatis LXXX. millibus peditum, & LX. millibus equitū excipiunt. Cum prœlio victor esset, exercitum ad urbem eorum ducit. Quam desertam à defensoribus, cum de

muro quem primus ceperat, animadvertisset, in urbis planitiem sine ullo satellite desiliit. Itaque cum eum hostes solum conspexissent, clamore edito, undique concurrunt, si possint in uno capite orbis bella finire, & ultionem tot gentibus dare. Nec minus Alexander constanter restitit, & unus adversus tot millia præliatur. Incredibile dictu est, ut eum non multitudo hostium, non vis magna telorum, non tantus lacessentium clamor terruerit; solus tot millia ceciderit ac fugaverit. Ubi vero obrui multitudine se vidit, trunco se, qui tum propter murum stabat, applicuit, cujus auxilio tutus, cum diu agmen sustinuisset, tandem cognito periculo ejus, amici ad eum desiliunt; ex quibus multi cæsi: prœliumque tamdiu anceps fuit; quoad omnis exercitus, muris dejectis, in auxilium veniret. In eo prœlio sagitta sub mamma trajactus, cum sanguinis fluxu deficeret, genu posito tam diu præliatus est, donec eum, à quo vulneratus fuerat, occiderat. Curatio vulneris gravior ipso fulnere fuit.

CAP. X. Itaque ex magna desperatione tandem saluti redditus, Polyperchonta cum exercitu Babyloniam mittit. Ipse

Ipse cum lectissima manu navibus conscensis, Oceani littora peragrat. Cum venisset ad urbem Ambigeri regis, oppidani invictum ferro audientes, sagittas veneno armant: atque ita gemino mortis vulnere, hostem à muris summoventes, plurimos interficiunt. Cum inter multos vulneratus etiam Ptolomæus esset, moriturusque jamjam videretur, per quietem regi monstrata in remedia veneni herba est, qua in potu accepta statim periculo liberatus est; majorque pars exercitus hoc remedio servata. Expugnata deinde urbe, reversus in naves, Oceano libamenta dedit, prosperum in patriam reditum precatus: ac veluti curru circa metam acto, positis imperii terminis, quatenus aut terrarum solitudines prodire passæ sunt, aut mare navigabile fuit, secundo æstu ostio fluminis Indi invehitur. Ibi in monumenta rerum à se gestarum, urbem Barcen condidit; arasque statuit, relicto ex numero amicorum, littoralibus Indis præfecto. Inde iter terrestre facturus, cum arida loca medii itineris dicerentur, puteos opportunis locis fieri præcipit, quibus ingenti dulci aqua inventa, Babyloniam redit. Ibi multæ devictæ gentes præfe-

præfectos suos accusaverunt; quos sine respectu amicitiæ, Alexander in conspectu legatorum necari jussit. Filiam post hæc Darii regis, Statiram in matrimonium recepit: sed & optimatibus Macedonum lectas ex omnibus gentibus nobilissimas virgines tradidit, ut communi facto crimen regis levaretur.

CAP. XI. Hinc ad concionem exercitum vocat; & promittit se æs alienum omnium propria impensa soluturum, ut prædam præmiaque integra domos ferant. Insignis hæc munificentia non summa tantum, verum etiam titulo muneris fuit, nec à debitoribus magis, quam à creditoribus gratius excepta; quoniam utrisque exactio pariter ac solutio difficilis erat. XX. millia talentum in hos sumptus expensa. Dimissis veteranis, exercitum junioribus supplet. Sed retenti veteranorum discessum ægrè ferentes, missionem & ipsi flagitabant: nec annos, sed stipendia sua numerari jubebant: pariter in militiam lectos, pariter sacramento solvi, æquum censentes: nec jam precibus, sed convitio agebant, jubentes eum solum cum patre suo Hammone inire bella, quatenus milites suos fastidiat. Contra ille nunc castigare mili-

milites; nunc lenibus verbis monere, ne glorioſam militiam ſeditionibus infuſcarent. Ad poſtremum cum verbis nihil proficeret; ad corripiendos ſeditionis auctores, è tribunali in concionem armatam inermis ipſe deſiliit, & nemine prohibente, XIII. correptos, manu ſua ipſe ad ſupplicia duxit: tantam vel illis moriendi patientiam metus regis, vel huic exigendi ſupplicii conſtantiam diſciplina militaris dabat.

CAP. XII. Inde ſeparatim auxilia Perſarum in concione alloquitur. Laudat perpetuam illorum, tum in ſe, tum in priſtinos reges fidem; ſua in illos beneficia commemorat; ut nunquam quaſi victos, ſed veluti victoriæ ſocios habuerit: denique ſe in illorum, non illos in gentis ſuæ morem tranſiſſe: affinitatibus connubiorum victos victoribus miſcuiſſe: Nunc quoque, ait, cuſtodiam corporis ſui non Macedonibus tantum ſe, verum & illis crediturum. Atque ita mille ex his juvenes in numerum ſatellitum legit: auxiliorum quoque portionem, formatam in diſciplinam Macedonum, exercitui ſuo miſcet. Quam rem ægre Macedones tulerunt, jactantes hoſtes ſuos in officiũ ſuum à rege ſubjectos.

Tunc

Tunc universi flentes, regem adeunt: orant suppliciis suis potius saturet se, quam contumeliis. Qua modestia obtinuerunt, ut undecim millia militum veteranorum exactoraret. Sed & ex amicis dimissi senes, Polyperchon, Clytus, Gorgias, Polydamus, Amadas, Antigenes. Dimissis his, Craterus præponitur, jussus præesse Macedonibus in Antipatri locum; Antipatrumq; cum supplemento tironum in locum ejus evocat: stipendia revertentibus, veluti militantibus data. Dum hæc aguntur, unus ex amicis ejus Ephæstion decedit, cui totibus primo formæ pueritiæq; mox obsequiis regi percarus: quem contra decus regium Alexander diu luxit: tumulumq; ei XII. millium talentorum fecit; eumq; post mortem coli ut deum jussit.

CAP. XIII. Ab ultimis littoribus Oceani Babyloniam revertenti nuntiatur, legationes Chartaginiensium, ceterarumque Africæ civitatium, sed & Hispaniarum, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ, nonnullas quoque ex Italia ejus adventum Babyloniæ operiri. Adeo universam terrarum orbem nominis ejus terror invaserat, ut cunctæ gentes, veluti destinato sibi regi adularentur. Hac igitur

ex

ex causa Babyloniam festinanti veluti conventum terrarum orbis acturo, quidam ex Magis prædixit, ne urbem introiret, testatus hunc locum ei fatalem fore. Ob hoc omissa Babylonia, in Bursiam urbem trans Euphratem, desertam olim, concessit. Ibi ab Anaxarcho philosopho compulsus est rursum Magorum prædicta contemnere, ut falsa & incerta; & si fatis constent, ignota mortalibus: at si naturæ debeantur, immutabilia. Reversus igitur Babyloniam, multis diebus otio datis, intermissum olim convivium solemniter instituit: totusq; in lætitiam effusus, cum diei noctem pervigilem junxisset, recedentem jam è convivio medicus Thessalus, instaurata comessatione, & ipsum & sodales ejus invitat. Accepto poculo, media potione repente veluti telo confixus, ingemuit: elatusque è convivio semianimis, tanto dolore cruciatus est, ut ferrum in remedia poscceret, tactumque hominum velut vulnera indolesceret. Amici causam morbi, intemperiem ebrietatis dissemînaverunt: re autem vera insidiæ fuerunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit.

CAP. XIV. Auctor insidiarum Antipater

tipater fuit, qui cum cariſſimos amicos ejꝰ interfectos videret: Alexandrũ Lynciſtarum ſuum generum occiſum: Se magnis rebus in Græcia geſtis, non tam gratum apud regem, quam invidioſum eſſe: à matre quoque ejus Olympiade variis ſe criminationibus vexatum: Huc accedebant ante pancos dies, ſupplicia in præfectos devictarum nationum crudeliter habita. Ex quibus rebus ſe quoque à Macedonia non ad ſocietatem militiæ, ſed à pœnam evocatum arbitrabatur. Igitur ad occupandum regem, Caſſandrum filium dato veneno ſubornat, qui cum fratribus Philippo & Iolla miniſtrare regi ſolebat: cujus veneni tanta vis fuit, ut non ære, non ferro, non teſta contineretur, nec aliter ferri, niſi in ungula equi potuerit: præmonito filio, ne alii quam Theſſalo, & fratribus crederet. Hac igitur ex cauſa, apud Theſſalum paratum, repetitumque convivium eſt. Philippus & Iollas præguſtare ac temperare potum regis ſoliti, in aqua frigida venenum habuerunt, quam præguſtatæ jam potioni ſupermiſerunt.

CAP. XV. Quarta die Alexander indubitatam mortem ſentiens, agnoſcere ſe fatum domos majorum ſuorum ait:

ait: nam plerosque Æacidarum intra trigesimum annum defunctos. Tumultuantes deinde milites, insidiis perisse regem suspicantes, ipse sedavit; eosque omnes cum prolatus in edidissimum urbis locum esset, ad conspectum suum admisit, osculandosque dextram suam flentibus porrexit. Cum lacrymarent omnes, ipse non sine lacrymis tantum, verum etiam sine ullo tristioris mentis argumento fuit, ut quosdam impatientius dolentes consolatus sit: quibusdam mandata ad parentes eorum dederit: adeo, sicuti in hostem, ita & in mortem invictus animus fuit. Dimissis militibus, amicos circumstantes percontatur, videanturne similem sibi reperturi regem? Tacentibus cunctis, tum ipse, ut hoc nesciat, ita illud scire, vaticinarique se, ac pene oculis videre dixit, quantum sit in hoc certamine sanguinis fusura Macedonia; quantis cædibus, pro cruore, mortuo sibi parentatura. Ad postremum, corpus suum in Hammonis templo condi jubet. Cum deficere amici viderent, quærunt, quem imperii faciat heredem: Respondit, Dignissimum. Tanta illi magnitudo animi fuit, ut cum Herculem filium, cum fratrem Aridæum,

dæum, cum Roxanem uxorem prægnantem relinqueret; oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet heredem. Prorsus quasi nefas esset, viro forti alium quam virum fortem succedere; aut tanti regni opes aliis quam probatis relinqui. Hac voce veluti bellicum inter amicos cecinisset, aut malum discordiæ misisset, ita omnes in æmulationem consurgunt, & ambitione vulgi tacitum favorem militum quærunt. Sexta die præcluſa voce, exemptum digito annulum Perdiccæ tradidit: quæ res glisscentem amicorum dissensionem sedavit. Nam etsi non voce nuncupatus heres, judicio tamen electus esse videbatur.

CAP. XVI. Decessit Alexander, mensem unum, annos tres & triginta natus; vir supra humanam potentiam magnitudine animi præditus. Qua nocte eum mater Olympias concepit, visa per quietem est cum ingenti serpenti volutari: nec decepta somnio est, nam profecto majus humana mortalitate opus utero tulit: quam cum Æacidarum gens ab ultima sæculorum memoria, & regna patris, fratris, mariti, ac deinceps majorum omnium illustraverint: nullius tamen nomine, quam filii, clarior fuit.

Pro-

Prodigia magnitudinis ejus in ipso ortu nonnulla apparuere, nam ea die qua natus est, duæ aquilæ tota die præpetes supra culmen domus patris ejus sederunt, omen duplici imperii, Europæ Asiæque præferentes. Eadem quoque die nuntium pater ejus duarum victoriarum accepit; alterius, belli Illyrici; alterius, certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat: quod omen universarum terrarum victoriam infanti protendebat. Puer acerrimis litterarum studiis eruditus fuit. Exacta pueritia, per quinquennium sub Aristotele doctore inclyto omnium philosophorum, crevit. Accepto deinde imperio, regem se terrarum omnium ac mundi appellari jussit: tantamque fiduciam sui militibus fecit, ut illo præsente nullius hostis arma, nec inermes, timuerint. Itaque cum nullo hostium unquam congressus est, quem non vicerit: nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit: nullam gentem adiit, quam non calcaverit. Victus denique ad postremum est, non virtute hostili, sed insidiis suorum, & fraude civili.

LIBER

LIBER XIII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Luctus post Alexandri Magni excessum Macedonum ingratitudo: Ducum ambitio, militumque avaritia.*
2. *De Alexandri successore. Ducum exercitus sententia pugnantes.*
3. *Perdiccæ sententia reclamant pedites; unde tumultus & seditio; cui Perdicca prudenter medetur.*
4. *Aridæo Rege designato Perdicca & alii Duces, seu Principes provincias dividunt.*
5. *Bellum pro Græcia libertate ab Athenientibus & Ætolis reparatum. Demosthenis pro patria labores: Antipatri obsidio & liberatio.*
6. *Perdicca Cappadoces prælio fatigat. Bellum inter Antigonum & Perdiccam. Ptolomæi soleis industria.*
7. *De origine orbis Cyrenes digressio.*
8. *Ptolomæus bellum parat in Perdiccam. Eumenis res fortiter & feliciter gestæ.*

CAP. I.

EXtincto in ipso ætatis ac victoriarum flore Alexandro Magno, triste apud omnes tota Babylone silentium fuit. Sed nec devictæ gentes fidem nuntio habuerunt, quod ut invictum regem, ita immortalem esse crediderant: recordantes, quoties præsenti morte ereptus esset: quam sæpe pro amisso, repente se non sospitem tantum suis, verum etiam victorem obtulisset. Ut vero mortis ejus fides adfuit, omnes barbaræ gentes paulo ante ab eo devictæ, non ut hostem, sed ut

ut parentem luxerunt. Mater quoque Darii regis, quam amisso filio, à fastigio tantæ majestatis in captivitatem redactam, indulgentia victoris, in eam diem vitæ non pœnituerat, audita morte Alexandri, mortem sibi ipsa consciuit; non quod hostem filio præferret: sed quod pietatem filii in eo, quem ut hostem timuerant, experta esset. Contra Macedones versa vice, non ut civem, ac tantæ majestatis regem, verum ut hostem amissum, gaudebant: veritatem nimiam, & assidua belli pericula execrantes. Huc accedebat, quod principes regnum & imperia, vulgus militum thesauros & grande pondus auri, velut inopinatam prædam, spectabant: illi successionem regni, hi opum ac divitiarum hæreditatem cogitantes. Erant enim in thesauris quinquaginta millia talentum, & in annuo vectigali tributo, tricena millia. Sednec amici Alexandri frustra regnum spectabant, nam ejus virtutis ac venerationis erant, ut singulos reges putares. Quippe ea formæ pulchritudo, & proceritas corporis, & virium ac sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, ut qui eos ignoraret, non ex una gente, sed ex toto terrarum orbe electos judica-

ret. Neque enim unquam ante Macedonia, vel ulla gens alia, tam clarorum virorum proventu floruit: quos primo Philippus, mox Alexander tanta cura legerat, ut non tam ad societatem belli, quam in successionem regni, electi viderentur. Quis igitur miretur, talibus ministris, orbem terrarum victum, cum exercitus Macedonum tot, non ducibus, sed regibus regeretur? qui nunquam sibi reperissent pares, si non inter se concurrissent: multosque Macedonia pro uno Alexandros habuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armasset.

CAP. II. Cæterum occiso Alexandro, non ut læti, ita & securi fuere, omnibus unum locum competentibus: nec minus milites, quam invicem se timebant, quorum & libertas solutior, & favor incertus erat. Inter ipsos vero æqualitas discordiam augebat, nemine tantum ceteros excedente, ut ei aliquis se summitteret. Armati itaque in regiam coëunt, ad formandum rerum præsentium statum. Perdicca censet Roxanes exspectari partum, quæ exacto mense octavo, matura jam ex Alexandro erat; & si puerum peperisset, hunc dari successorum

sorem patri. Meleager negat differenda in partus dubios consilia: nec expectandum dum reges nascerentur, cum jam genitis uti liceret: seu puer illis placeat, esse Pergami filium Alexandri natum ex Barsine, nomine Herculem: seu mallent juvenem, esse in castris fratrem Alexandri Aridæum, comem & cunctis non suo tantum, verum & patris Philippi nomine acceptissimum. Ceterum Roxanem esse originis Persiccæ: nec esse fas, ut Macedonibus ex sanguine eorum, quorum regna deleverint, reges constituantur: quod nec ipsum Alexandrum voluisse dicit. Denique morientem nullam de eo mentionem habuisse. Ptolemæus recusabat regem Aridæum, non propter maternas modo sordes, quod ex Larissæo scorto nasceretur: sed etiam propter valetudinem majorem, quam patiebatur; ne ille nomen regis, alius imperium teneret: melius esse ex his legi, qui pro virtute regi suo proximi fuerint, qui provincias regant, quibus bella mandentur, quam sub persona regis indignorum subjiciantur imperio. Vicit Perdiccæ sententia, consensu universorum. Placuit itaque Roxanes exspectari partum; & si puer natus fuisset, tutores Leo-

natum, Perdiccam, Crateron, & Antipatrum constituunt, confestimque in tutorum obsequia jurant.

CAP. III. Cum equites quoque idem fecissent, pedites indignati, nullas sibi consiliorum partes relictas, Aridæum Alexandri fratrem regem appellant, satellitesque illi ex turba sua legunt, & nomine Philippi patris vocari jubent. Quæ cum nuntiata equitibus essent, legatos ad mitigandos eorum animos, duos ex proceribus, Attalum & Meleagrum mittunt, qui potentiam ex vulgi adulatione quærentes, omissa legatione, militibus consentiunt. Statim & seditio crevit, ubi caput & consilium habere cœpit. Tunc ad delendum equitatum cuncti armati in regiam irrumpunt: quo cognito, equites trepidi ab urbe discedunt, castrisque positis, & ipsi pedites terrere cœperunt. Sed nec procerum inter se odia cessabant. Attalus ad interficiendum Perdiccam, ducem partis alterius, mittit: ad quem armatum, & ultro vocantem, cum accedere percussores ausi non fuissent; tanta constantia Perdiccæ fuit, ut ultro ad pedites veniret, & in concionem vocatos edoceret, quod facinus mollirentur: respicerent

contra

contra quos arma sumsissent: non illos Persas, sed Macedonas; non hostes, sed cives esse; plerosque etiam cognatos eorum, certe commilitones, eorundem castrorum ac periculorum socios: edituros deinde egregium hostibus suis spectaculum, ut quorum armis victos se doleant, eorum mutuis cædibus gaudeant, parentaturosq; sanguine suo manibus hostium à se interfectorum.

Cap. IV. Hæc cum pro singulari facundia sua Perdicca peroraſſet, adeo movit pedites, ut probato consilio ejus, dux ab omnibus regeretur. Tum equites in concordiam revocati, in Aridæum regem consentiunt. Servata est portio regni Alexandri filio si natus esset. Hæc agebant, posito in medio corpore Alexandri, ut majestas ejus testis decretorum esset. His ita compositis, Macedoniæ & Græciæ Antipater præponitur: Regiæ pecuniæ custodia Cratero traditur: castrorum, exercitus, & rerum cura Meleagro, & Perdiccæ assignatur: jubeturque Aridæus rex, corpus Alexandri in Hammonis templum deducere. Tunc Perdicca infensus seditionis auctoribus, repente ignaro collega, lustrationē castrorum propter mor-

tem regis in posterum edicit. Postquam armatum exercitum in campo constituit, consentientibus universis, evocatos, dum transit, de singulis manipulis seditiosos, supplicio tradi occulte jubet. Reversus inde, inter principes provincias dividit, simul ut & removeret æmulos, & munus imperii, beneficii sui faceret. Primo, Ptolemæo Ægyptus, & Africæ Arabiæq; pars sorte venit, quem ex gregario milite Alexander virtutis causa provexerat & cui ad tradendam provinciam Cleomenes, qui Alexandriam ædificaverat, datur. Confinem huic provinciæ Syriam Laumedon Mitylenæus, Ciliciam Philotas, Philo Illyrios accipiunt. Mediæ majori Acropatos, minori socer Perdiccæ præponitur. Susiana gens Scyno, Phrygia major Antigono Philippi filio assignatur. Lyciam & Pamphyliam Nearchus, Cariam Cassander, Lydiam Menander sortiuntur. Leonato minor Phrygia evenit: Thracia & regiones Pontici maris Lysimacho: Cappadocia cum Paphlagonia Eumeni data. Summus castrorum tribunatus Seleuco Antiochi filio cessit. Stipatoribus regis satellitibusq; Cassander filius Antipatri præficitur. In Bactriana ulteriore,

& In-

& Indiæ regionibus, priores præfecti retenti. Terras inter amnes Hydaspem & Indum Taxiles habebat. In colonias in Indis conditas Pithon Agenoris filius mittitur. Parapammenos, fines Caucasi montis, Extarches accepit. Aracossi Gedrosique Sibyrtio traduntur: Drangæ & Arei Statanoti. Bactrianos Amyntas sortitur, Sogdianos Scythæus, Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanos, Phratafernes Armenios, Tleptolemus Persas, Peucestes Babylonios, Archos Pelasgos, Arcesilaus Mesopotamiam. Cum hæc divisio, veluti fatale munus singulis contigisset, ita magna incrementorum materia plurimis fuit, siquidem non magno post tempore, quasi regna, non præfecturas dividerent, sic reges ex præfectis facti, magnas opes non sibi tantum paraverunt, verum etiam posteris reliquerunt.

CAP. V. Dum hæc in Oriente aguntur, in Græcia Athenienses & Ætoli bellum, quod jam vivo Alexandro moverant, summis viribus instruebant. Causæ belli erant, quod reversus ab India Alexander, Epistolas in Græciam scripserat, quibus omnium civitatium exules, præter cædes damnati, restituebantur.

tur. Quæ recitatæ præsente universa Græcia, in mercatu Olympiaco, magnos motus fecerunt; quod plurimi non legibus pulsi patria, sed per factionem principum fuerant, verentibus iisdem principibus, ne revocati potentiores in republica fierent. Palam igitur jam tunc multæ civitates, libertatem bello vindicandam fremebant Principes tamen omnium Athenienses & Ætoli fuere. Quod cum nuntiatum Alexandro esset, mille naves longas sociis imperari præceperat, quibus in Occidente bellum gereret; excursurusque cum valida manu fuerat ad Athenas delendas. Igitur Athenienses, contracto XXX. millium exercitu, & CC. navibus, bellum cum Antipatro, cui Græcia sorte evenerat, gerunt; eumque detrectantem prœlium, & Heracleæ urbis mœnibus tuentem se, obsidione cingunt. Eodem tempore, Demosthenes Athenienſis orator, pulsus patria, ob crimen accepti ab Harpalo auri, qui crudelitatem Alexandri fugerat, quod civitatem in ejusdem Alexandri bellum impelleret, forte Megaris exulabat: qui ut missum ab Athenienſibus Hyperidem legatum cognovit, qui Peloponnenſes in ſocietatem armorum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0204
DFG

rum solicitaret, sequutus eum, Sycona, Argos & Corinthum, ceterasque civitates, eloquentia sua Athenienſibus junxit. Ob quod factum, missa ab Athenienſibus obviam nave, ab auxilio revocatur. Interim in obsidione Antipatri, Leosthenes dux Athenienſium, telo è muris in transeuntem jacto, occiditur. Quæ res tantum animorum Antipatro dedit, ut etiam vallum rescindere auderet. Auxilium deinde à Leonato per legatos petit: qui cum venire cum exercitu nuntiatus esset, obvii ei Athenienses cum instructis copiis fuere, ibiq; equestri prælio, gravi vulnere ictus extinguitur. Antipater, tametsi auxilia sua videret victa, morte tamen Leonati lætatus est: quippe & æmulum sublatum, & vires ejus accessisse sibi gratulabatur. Statim igitur exercitu ejus recepto, cum par hostibus etiam prælio videretur, solutus obsidione, in Macedoniam concessit. Græcorum quoque copiæ, finibus Græciæ hoste pulso, in urbes dilapsæ.

CAP. VI. Interea Perdicca, bello Ariarathi regi Cappadocum illato, prælioque victor, nihil præmii præter vulnera & pericula retulit. Quippe hostes ab acie in urbem recepti, occisis conjugi-

bus & liberis, domos quisque suas cum omnibus copiis incenderunt. Eodem congestis etiam servitiis, & semetipsos præcipitant, ut nihil hostis victor suarum rerum, præter incendii spectaculo frueretur. Inde, ut viribus auctoritatem regiam acquireret, ad nuptias Cleopatræ sororis Alexandri Magni, & alterius Alexandri quondam uxoris, non aspernante Olympiade matre ejus, intendit: sed prius Antipatrum, sub affinitatis obtentu, capere cupiebat. Itaque fingit se in matrimonium filiam ejus petere, quo facilius ab eo supplementum tironum ex Macedonia obtineret. Quem dolum præsentiente Antipatro, dum duas eodem tempore uxores quærit, neutrum obtinuit. Post hæc bellum inter Antigonum & Perdiccam oritur. Antigono Crates & Antipater auxilium ferebant; qui facta cum Athenienſibus pace, Polyperchonta Græciæ & Macedoniæ præponunt. Perdicca, alienatis rebus, Aridæum, & Alexandri Magni filium in Cappadocia, quorum cura illi mandata fuerat, de summa belli in consilium adhibet. Quibusdam placebat bellum in Macedoniam transferri, ad ipsum fontem & caput regni, ubi & Olym-

lympias esset mater Alexandri, non mediocre momentum partium, & civium favor, propter Alexandri Philippique nomina: sed in rem visum est ab Ægypto incipere, ne in Macedoniam profectis, Asia à Ptolemæo occuparetur. Eumeni, præter provincias quas acceperat. Paphlagonia, & Caria, & Lycia, & Phrygia adjiciuntur. Ibi Craterum & Antypatrum opperiri jubetur: adjutores ei dantur cum exercitibus frater Perdiccæ Alcetas, & Neoptolemus: Clito cura classis traditur: Cilicia Philotæ adempta, Philoxeno datur: ipse Perdicca Ægyptum cum ingenti exercitu petit. Sic Macedonia, in duas partes discurrentibus ducibus, in sua viscera armatur: ferrumque ab hostili bello in civilem sanguinem vertit, exemplo furentium, manus ac membra sua, ipsa cæsura. Sed Ptolemæus in Ægypto, sollerti industria, magnas opes parabat: quippe & Ægyptios insigni moderatione in favorem sui sollicitaverat: & reges finitimos beneficiis obsequiisque devinxerat: terminos quoque imperii, acquisita Cyrene urbe, ampliaverat: factusque jam tantus erat, ut non tam timeret hostes, quam timendus ipse hostibus esset.

CAP. VII. Cyrene autem condita fuit ab Aristæo, cui nomen Battos propter linguæ obligationē fuit. Hujus parer Cirnus, rex Theramenis insulæ, cum ad oraculum Delphos, propter dedecus adolescentis filii nondū loquentis, deum deprecaturus venisset, responsum accepit, quo jubebatur filius ejus Battus Africam petere, & urbem Cyrenēn condere, unum linguæ ibi accepturus. Cum responsum ludibrio simile videretur propter solitudinem Theramenis insulæ, ex qua coloni ad urbem contendam in Africam tam vastæ regionis proficisci jubebantur, res omissa est. Interjecto deinde tempore, velut contumaces, pestilentia Deo parere compelluntur: quorum tam insignis paucitas fuit, ut vix unam navem complerent. Cum venissent in Africam, pulsis accolis, montem Cyran, & propter amœnitatem loci, & propter fontis ubertatem, occupavere. Ibi Battus dux eorum, linguæ modis solutis, loqui primum cœpit: quæ res animos eorum, ex promissis Dei jam parte percepta, in reliquam spem condendæ urbis accendit. Positis igitur castris, opinionem veteris fabulæ accipiunt, Cyrenen, eximiæ pulchritudinis virginem, à Thessaliæ monte Pelio

Pelio ab Apolline raptam, perlatamq; in ejusdem montis juga, cujus collem occupaverant, à Deo repletam, quatuor pueros peperisse, Nomium, Aristæum, Authocum, Argæum: missos à patre Speo rege Thessaliæ, qui perquirerent virginem, loci amœnitate captos in iisdem terris cum virgine resedisse. Ex his pueris tres adultos in Thessaliam reversos, avita regna recepisse. Aristæum in Arcadia late regnasse, eumq; primũ, & apium, & mellis usum, & lactis ad coagula hominibus tradidisse, solstitialesq; ortus sideris primum invenisse. Quibus auditis, Battus virginis nomine ex responsis agnito, urbem Cyrenen condidit.

CAP. VIII. Igitur Ptolemæus hujus urbis auctus viribus, bellum in adventum Perdiccæ parabat. Sed Perdiccæ plus odium arrogantiæ, quam vires hostium nocebant, quam exosi etiam socii, ad Antipatrum gregatim profugiebant. Neoptolemus quoque in auxilium Eumeni relictus, non solum transfugere, verum etiam prodere partium exercitum voluit. Quam rem cum præsensisset Eumenes, cum proditore decernere prœlio necesse habuit. Victus Neoptolemus ad Antipatrum & Polyperchonta profugit, hisq; persuadet, ut continuatis

mansionibus, læto ex victoria & securo fuga sua, Eumeni superveniant. Sed res Eumenem non latuit: Itaque insidiæ in insidiatores versæ: & qui securum aggressuros se putabant, securis in itinere, & pervigilio noctis fatigatis occursum est. In eo prœlio Polyperchon occiditur. Neoptolemus quoque cum Eumene congressus, diu mutuis vulneribus acceptis colluctatus est; in summa victus, occumbit. Victor igitur duobus prœliis continuis Eumenes, afflictas partes transitione sociorum paululum sustentavit. Ad postremum tamen Perdicca occiso, ab exercitu hostis cum Phytone, & Illyrio, & Alceta fratre Perdiccæ appellatur; bellumque adversus eos Antigono decernitur.

LIBER XIV.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Eumenis in bello adversus Antigonum prudentia & fortitudo.*
2. *Prœlio victus obsidetur, liberatur, ad Argyraspidas confugit, eosque ad suas partes pertrahit.*
3. *Dum Argyraspidæ Eumenis imperia contemnunt, hostium virtute superantur. Unde in Eumenem conjuratio.*
4. *Eumenis Captivi ad Argyraspidas oratio, qua petit ut sibi inter ejus mori liceat. Petitione frustratus proditorum capita devovet, & Antigono vinctus traditur.*
5. *Cassander Aridæi vices gerens Græciæ civitates opprimit, & in Macedoniam adversus Olympiadem proficiscitur.*
6. *Olympias fugit: obsidetur, victori Cassandro se tradit; cujus jussu interficitur.*

CAP.

CAP. I.

EUmenes, ut Perdiccam occisum, se hostem à Macedonibus judicatum, bellumque Antigono decretum cognovit; ultro ea militibus suis indicavit, ne fama aut rem in majus extolleret; aut militum animos rerum novitate terreret; simul, ut circa se animati essent, cognosceret, sumpturus consilium ex motu universorum. Constanter tamen præfatus est, si cui hæc terrori essent, habere eum discedendi potestatem. Qua voce adeo cunctos in studium partium suarum induxit, ut ultro illum omnes hortarentur, rescissurosque se ferro decreta Macedonum affirmarent. Tunc exercitu in Ætoliam promoto, pecunias civitatibus imperat; recusantes dare, hostiliter diripit. Inde Sardis profectus est ad Cleopatram, sororem Alexandri Magni, ut ejus voce centuriones principesque confirmarentur, existimaturos ibi majestatem regiam verti, unde soror Alexandri staret. Tanta veneratio magnitudinis Alexandri erat, ut etiam per vestigia mulierum, favor sacrati ejus nominis quæreretur. Cum reversus in castra esset, epistolæ totis castris abjectæ inveniuntur: quibus

iis,

iis, qui Eumenis caput ad Antigonum detulissent, magna præmia definiebantur. His cognitis, Eumenes vocatis ad concionem militibus, primo gratias agit, quod nemo inventus esset, qui spem cruenti præmii fidei sacramento anteponeret: deinde callide subnectit, confictas has à se epistolas ad experiundos suorum animos esse. Cæterum salutem suam in omnium potestate esse; nec Antigonum, nec quemquam ducum sic velle vincere, ut ipse in se exemplum pessimum statuat. Hoc facto, & in præsenti labantium animos deterruit; & in futurum providit, ut si quid simile accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed ab duce tentari arbitrarentur. Omnes igitur operam suam certatim ad custodiam salutis ejus offerunt.

CAP. II. Cum interim Antigonus cum exercitu supervenit, castrisque positis, postera die in aciem procedit. Nec Eumenes moram prælio fecit: qui victus, in munitum quoddam castellum confugit: ubi cum videret se fortunam obsidionis subiturum, majorem exercitus partem dimisit, ne aut consensu multitudinis hosti traderetur, aut obsidio ipsa multitudine gravaretur. Legatos deinde

inde ad Antipatrum, quod solus par Antigoni viribus videbatur, supplices mittit: à quo cum auxilia Eumeni missa Antigonus didicisset, ab obsidione recessit. Erat quidem solutus ad tempus metu mortis Eumenes: sed nec salutis, dimisso exercitu, magna spes erat. Omnia igitur circumspicienti, optimum visum est, ad Alexandri Magni Argyraspidas, invictum exercitum, & tot victoriarum præfulgentem gloria, decurrere. Sed Argyraspides post Alexandrum omnes duces fastidiebant, sordidam militiam sub aliis, post tanti reges memoriam, existimantes. Itaque Eumenes blandimentis agere; suppliciter singulos alloqui, nunc commilitones suos, nunc patronos appellans, periculorum Orientalium socios: nunc refugia salutis suæ, & unica præsidia commemorans: solos esse quorum virtute Oriens sit domitus, solos qui militiam Liberi patris, qui Herculis monumenta superarint: per hos Alexandrum, magnũ factum, per hos, divinos honores, & immortalem gloriam consequutum: orat ut non tam ducem se, quam commilitionem recipiant, unumque ex corpore suo esse velint. Receptus hac lege, paulatim imperium, primum monendo singulos,

mox

mox quæ perperam facta erant, blande corrigendo, usurpat: nihil in castris sine illo agi, nihil administrari sine solertia illius poterat.

CAP. III. Ad postremum cum Antigonum venire cum exercitu nuntiatum esset, compellit eos in aciem descendere. Ibi dum ducis imperia contemnunt, hostium virtute superantur. In eo prœlio non gloriam tantum tot bellorum, cum conjugibus & liberis, sed & prœmia longa militia parta, perdiderunt. Sed Eumenes, qui auctor cladis erat, nec aliam spem salutis reliquam habebat, victos hortabatur: Nam & virtute eos superiores fuisse affirmabat: quippe ab his quinque millia hostium cæsa: & si in bello perstent, ultro hostes pacem petituros. Damna, quibus se victos putent, duo millia mulierum, & paucos infantes, & servitia esse, quæ melius vincendo possint reparare, quam deserendo victoriam. Porro Argyraspides neque fugam se tentaturos dicunt, post damna matrimoniorum, & post conjuges amissas, neque bellum gesturos contra liberos suos; ultroque eum convitiis agitans, quod se post tot annos emeritorum stipendiorum, redeuntes domum

mum cum præmiis tot bellorum, ab ipsa missione rursus in novam militiam, immensaque bella revocaverit, & à laribus jam quodammodo suis, & ab ipso limine patriæ abductos, inanibus promissis deceperit: nunc quoque amissis omnibus felicis militiæ quæstibus, ne victos quidem in misera & inopi senecta quiescere sinat. Ignaris deinde ducibus, confestim ad Antigonum legatos mittunt, petentes ut sua reddi jubeat. Is redditurum se pollicetur, si Eumenem sibi tradant. Quibus cognitis, Eumenes cum paucis fugere tentavit: sed retractus, desperatis rebus, cum concursus multitudinis factus esset, petit ut postremum sibi alloqui exercitum liceret.

CAP. IV. Jussus ab universis dicere, facto silentio, laxatisque vinculis, prolatam, sicut erat catenatus, manum ostendit: Cernitis, milites, inquit, habitum atque ornamenta ducis vestri, quæ mihi non hostium quisquam imposuit: nam hoc etiam solatio foret. Vos me ex victore victum, vos me ex imperatore captivum fecistis, quater intra hunc annum in mea verba jurejurando obstricti estis. Sed ista omitto. Neque enim miseros convitia decent. Unum oro, si pro-

propositorum Antigoni in meo capite summa consistit, inter vos me velitis mori. Nam neque illius interest, quemadmodum aut ubi cadam; & ego fuero ignominia mortis liberatus. Hoc si impetro, solvo vos jurejurando, quo toties vos sacramento mihi devovistis. Aut si ipsos pudet roganti vim adhibere, ferrum huc date; & permittite quos vos facturos pro imperatore jurastis, imperatorem pro vobis sine religione jurisjurandi faceret. Cum non obtineret, preces in iram vertit. At vos, ait, devota capita, respiciant dii perjuriorum vindices; talesque vobis exitus dent, quales vos ducibus vestris dedistis. Nempe vos iidem paulo ante & Perdiccæ sanguine estis aspersi, & in Antipatrum eadem moliti. Ipsum Denique Alexandrum, si fas fuisset eum mortali manu cadere, interempturi, quod maximum erat, seditionibus agitastis. Ultima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico; ut inopes extorresque omne ævum in hoc castrensi exilio agatis, devorentque vos arma vestra, quibus plures vestros, quam hostium duces absumpsistis. Plenus deinde iræ, custodes suos præcedere ab Antigoni castra cœpit. Sequitur

quitur exercitus, prodito imperatore suo, & ipse captivus, triumphumque de se ipso ad victoris sui castra ducit; omnia auspicia regis Alexandri, & tot bellorum palmas laureasque una secum victori tradentes: & ne quid deesset pompæ, elephanti quoque, & auxilia Orientalia subsequuntur. Tanto pulchrior hæc Antigono quam Alexandro tot victoriæ fuerunt; ut cum ille Orientem vicerit, hic etiam eos à quibus Oriens victus fuerat, superavit. igitur Antigonus domitores illos orbis, exercitui suo dividit, redditis eorum quæ in victoria ceperat. Eumenem vero, verecundia prioris amicitiæ, in conspectum suum venire prohibitum, assignari custodibus præcipit.

CAP. V. Interea Eurydice, uxor Aridæi regis, ut Polyperchonta à Græcia redire in Macedoniam cognovit, & ab eo arcessitam Olympiadem; muliebri æmulatione perculsa, abutens valetudine viri, cujus officia sibi vindicabat, scribit regis nomine Polyperchonti, Cassandro exercitum tradat, in quem regni administrationem rex transtulerit: eadem & in Asiam Antigono per epistolas nuntiat. Quo beneficio devinctus Cassander nihil

nihil non ex arbitrio muliebris audaciæ gerit. Deinde profectus in Græciam, multis civitatibus bellum infert : quarum excidio, veluti vicino incendio territi Spartani, urbem quam semper armis, non muris defenderant, tum contra responsa fatorũ & veterem majorum gloriam, armis diffisi, murorum præsidio includunt. Tantum eos degeneraviſſe à majoribus, ut, cum multis sæculis murus urbi civiũ virtus fuerit, tunc cives salvos se fore non existimaverint, nisi intra muros laterent. Dum hæc agũntur, Cassandrum à Græcia turbatus Macedoniæ status domum revocavit. Namq; Olympias mater Alexandri M. regis, cum Epiro in Macedoniam, prosequente Æacida rege Molossorum, veniret, prohiberiq; finibus ab Eurydico & Aridæo rege cœpisset, se memoria mariti, seu magnitudine filii, & indignitate rei, moti Macedones, ad Olympiadem transire : cujus jussu & Eurydice, & rex occiditur, sex annis post Alexandrum potitus regno.

CAP. VI. Sed nec Olympias diu regnavit. Nam cum principum passim cædes, muliebri magis, quam regio more fecisset, favorem sui in odium vertit. Itaque audito Cassandri adventu, diffisa

Mace-

Macedonibus, cum nuru Roxane, & nepote Hercule, in Pydnam urbem concedit. Proficiscenti Deidamia Æacidæ regis filia, & Thessalonice privigna, & ipsa clara Philippi patris nomine, multæque aliæ principum matronæ, speciosus magis quam utilis grex, comites fuere. Hæc cum nuntiata Cassandro essent, statim citato cursu Pydnam venit, & urbem obsidione cingit. Cum fame, ferroque urgeretur Olympias, longæ obsidionis tædio, pacta salute, victori se tradidit. Sed Cassander ad concionem vocato populo, sciscitaturus quid de Olympiade fieri velint, subornat parentes interfectorum, qui sumpta lugubri veste, crudelitatem mulieris accusarent; à quibus accensi Macedones, sine respectu pristinæ majestatis, occidendam decernunt: immemores prorsus, quod per filium ejus, virumque, non solum vitam ipsi inter finitimos tutam habuissent: verum etiam tantas opes imperiumque orbis quæsissent. Sed Olympias ubi obstinatos venire ad se armatos vidit, veste regali, duabus ancillis innixa, ultro obviam procedit. Qua visa, percussores attoniti fortuna majestatis prioris, & tot in ea memoriæ occurrentibus regum

suo-

suorum nominibus, substiterunt; donec à Cassandro missi sunt, qui eam confoderent, non refugientem gladium, nec vulnera, aut muliebriter vociferantem; sed virorum more fortium, pro gloria veteris prosapiæ, morti succumbentem, ut Alexandrum posses etiam in morientе matre cognoscere. Insuper exspirans, capillis & veste crura contexisse fertur, ne quid posset in corpore ejus indecorum videri. Post hæc Cassander Thessalonicen, regis Aridæi filiam, uxorem ducit: filium Alexandri cum matre, in arcem Amphipolitanam custodiendos mittit.

LIBER XV.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Antigoni bellum adversus socios, in quo Demetrius F. superatus prælio.*
2. *Cassandri in familiam Alexandri M. sævitia, Antigoni prosperi successus in bello.*
3. *Lysimachi Antigono oppositi virtutes & præclarè gesta.*
4. *Novus hostis Antigono accedit, nempe Seleucus, cujus origo, & res gestæ subjiciuntur. Antigonus in prælio occumbit.*

CAP. I.

PErdicca, & fratre ejus, Eumene, ac Polyperchonte, ceterisque ducibus diversæ partis occisis, finitum certamen inter successores Alexandri Magni videbatur; cum repente

pente inter ipsos victores nata discordia est: quippe postulantibus Ptolemæo, & Cassandro, & Lysimacho, ut pecunia in præda capta, provinciæq; dividerentur; Antigonus negavit se in ejus belli præmia socios admissurum, in cujus periculum solus descenderit. Et ut honestum adversus socios bellum susciperе videretur, divulgat, se Olympiadis mortem à Cassandro interfectæ, ulciscі velle, & Alexandri regis sui filium cum matre obsidione Amphipolitana liberare. His cognitis, Ptolemæus & Cassander, inita cum Lysimacho & Seleuco societate, bellum terra marique enixe instruunt. Tenebat Ptolemæus Ægyptum cum Africæ parte majore, & Cypro, & Phœnice. Cassandro parebat Macedonia cum Græcia. Asiam & partes Orientis occupaverat Antigonus, cujus filius Demetrius, prima belli congressione, à Ptolemæo apud Galaman vincitur. In quo prælio major Ptolemæi moderationis gloria, quam ipsius victoriæ fuit. Siquidem & amicos Demetrii non solum cum suis rebus, verum etiam additis insuper muneribus, dimisit; & ipsius Demetrii privatum omne instrumentum, ac familiam reddidit, adjecto honore

verborum, Non se propter prædam; sed propter dignitatem iniisse bellum; indignatum quod Antigonus devictis diversæ factionis ducibus, solus communis victoriæ præmia corripuisset.

CAP. II. Dum hæc aguntur, Cassander ab Apollonia rediens, incidit in Aberitas, qui propter ranarum muriumque multitudinem relicto patriæ solo, sedes quærebant: veritus ne Macedoniam occuparent, facta pactione in societatem eos recepit; agrosque iis ultimos Macedoniæ assignat. Deinde, ne Hercules Alexandri filius, qui fere annos quatuordecim excesserat, favore paterni nominis in regnum Macedoniæ vocaretur, occidi eum tacite cum matre Barsine jubet, corporaque eorum terra obrui, ne cædes sepultura proderetur: & quasi parum facinoris in ipso primo rege, mox in matre ejus Olympiade, ac filio admisisset; alterum quoque filium cum matre Roxane, pari fraude interficit, scilicet quasi regnum Macedoniæ, quod affectabat, aliter consequi, quam scelere, non posset. Interea Ptolemæus cum Demetrio, navali prœlio iterato, congreditur; & amissa classe, hostique concessa victoria, in Ægyptum refugit.

Deme-

Demetrius filium Ptolomæi Leontiscum, & fratrem Menelaum, amicosque ejus cum privati instrumenti ministerio, pari provocatus antea munere, Ægyptum remittit: & ut appareret eos non odio, sed dignitatis gloria accensos, donis muneribusque inter ipsa bella contendebant. Tanto honestius tunc bella gerebantur, quam nunc amicitiæ coluntur. Hac victoria elatus Antigonus, regem se cum Demetrio filio appellari à populo jubet. Ptolemæus quoque, ne minoris apud suos auctoritatis haberetur, rex ab exercitu cognominatur. Quibus auditis, Cassander & Lysimachus, & ipsi regiam sibi majestatem vindicaverunt. Hujus honoris ornamentis tamdiu omnes abstinuerunt, quamdiu filii regis sui superesse potuerunt. Tanta in illis verecundia fuit, ut cum opes regias haberent, regum tamen nominibus æquo animo caruerint, quoad Alexandro justus heres fuit. Sed Ptolemæus & Cassander, ceterisque factionis alterius duces, cum carpi se singulos ab Antigono viderent; dum privatum singulorum non commune universorum bellum ducunt, nec auxilium ferre alter alteri volunt, quasi victoria unius, non o-

mnium foret, per epistolas se invicem confirmantes, tempus, locum coëundi condicunt, bellumque communibus viribus instruunt. Cui cum Cassander interesse propter finitimum bellum non posset, Lysimachum cum ingentibus copiis in auxilium sociis mittit.

CAP. III. Erat hic Lysimachus illustri quidem Macedoniæ loco natus, sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior: quæ tanta in illo fuit, ut animi magnitudine, philosophia ipsa, viriumque gloria omnes, per quos Oriens domitus est, vicerit. Quippe cum Alexander Magnus Callisthenem Philosophum, propter salutationis Persicæ interpellatum morem, insidiarum, quæ sibi paratæ fuerant, conscium fuisse iratus finxisset; eumque truncatis crudeliter omnibus membris, abscisisque auribus, ac naso, labiisque, deforme ac miserandum spectaculum reddidisset; insuper cum cane in cavea clausum, ad metum cæterorum, circumferret: tunc Lysimachus audire Callisthenem, & præcepta ab eo virtutis accipere solitus, misertus tanti viri, non culpæ, sed libertatis pœnas pendentis, venenum ei in remedia calamitatum dedit. Quod adeo ægre Ale-

Alexander tulit, ut eum objici ferociſſimo leoni juberet. Sed cum ad conſpectum ejus concitatus leo impetum feciſſet, manum amiculo involutam Lyſimachus in os leonis immerſit, arreptaque lingua, feram exanimavit. Quod cum nunciatum regi eſſet, admiratio in ſatisfactionem ceſſit; carioremq; eum propter conſtantiam tantæ virtutis habuit. Lyſimachus quoque magno animo, Regis, veluti parentis contumeliam tulit. Denique omni ex animo hujus facti memoria exturbata, poſtea in India inſectanti regi quosdam palantes hoſtes, cum à ſatellitum turba, equi ſui celeritate deſertus eſſet, ſolus ei per immenſas harenarum moles curſus comes fuit Quod idem antea Philippus frater ejus cum facere voluiſſet, inter manus regis exſpiraverat. Sed Lyſimachum deſiliens equo Alexander, haſtæ cuſpide ita in fronte vulneravit, ut ſanguis aliter cludi non poſſet, quam diadema ſibi demptum rex, alligandi vulneris cauſa, capiti ejus imponeret. Quod auſpicium, primum regalis majeſtatis Lyſimacho fuit. Sed & poſt mortem Alexandri, cum inter ſucceſſores ejus Provinciæ dividerentur, ferociſſimæ gentes, quaſi omnium fortiſſimo

assignatæ sunt : adeo etiam consensu universorum palmam virtutis inter cæteros tulit.

CAP. IV. Priusquam bellum inter Ptolemæum, sociosque ejus, adversus Antigonum committeretur, repente ex Asia majore digressus Seleucus, novus Antigono hostis accesserat. Hujus quoque & virtus clara, & origo admirabilis fuit. Siquidem mater ejus Laudice, cum nupta esset Antiocho, claro inter Philippi duces viro, visa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis concepisse, gravidamque factam, munus concubitus, annulumque à deo accepisse, in cujus gemma ancora sculpta esset : jussaque donum filio, quem peperisset, dare. Admirabilem fecit hunc visum & annulus, qui postera die, ejusdem sculpturæ, in lecto inventus est ; & figura ancoræ, quæ in femore Seleuci nata cum ipso parvulo fuit. Quamobrem Laudice annulum Seleuco eunti cum Alexandro Magno ad Persicam militiam, edocto de origine sua, dedit. Ubi post mortem Alexandri, occupato regno Orientis, urbem condidit, ibique geminæ originis memoriam consecravit. Nam & urbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocavit; & cam-

& campos vicinos urbi, Apollini dicavit, Originis ejus argumentum etiam in posteris mansit: Siquidem filii nepotesque ejus, ancoram in femore, veluti notam generis naturalem habuere. Multa in Oriente, post divisionem inter socios regni Macedonici, bella gessit. Principio Babyloniam cepit: inde auctis ex victoria viribus, Bactrianos expugnavit. Transitum deinde in Indiam fecit, quæ post mortem Alexandri, veluti cervicibus jugo servitutis excusso, præfectos ejus occiderat. Auctor libertatis Sandrocottus fuerat: sed Titulum libertatis post victoriam in servitutem verterat. Siquidem occupato regno, populum quem ab externa dominatione vindicaverat, ipse servitio premebat. Fuit hic quidem humili generi natus, sed ad regni potestatem majestate numinis impulsus. Quippe cum procacitate sua Alexandrum regem offendisset, interfici à rege jussus, salutem pedum celeritate quæsierat: ex qua fatigatione, cum somno captus jaceret, leo ingentis formæ ad dormientem accessit, sudoremque profluentem lingua ei detersit, expergefactumque blande reliquit. Hoc prodigio primum ad spem regni impulsus, contra-

ctis latronibus, Indos ad novitatem regni solicitavit. Molienti deinde bellum adversus præfectos Alexandri, elephantus ferus infinitæ magnitudinis ultro se obtulit, & veluti domita mansuetudine, cum tergo excepit; duxque belli, & præliator insignis fuit. Sic acquisito regno, Sandrocottus ea tempestate, qua Seleucus futuræ magnitudinis fundamenta jaciebat, Indiam possidebat: cum quo facta pactione Seleucus, compositisque in Oriente rebus, in bellum Antigoni descendit. Adunatis igitur omnium sociorum copiis, prælium committitur: in eo Antigonus occiditur; Demetrius filius ejus in fugam vertitur. Sed socii profligato hostili bello, denuo in semetipsos arma verterunt: & cum de præda non convenirent, iterum in duas factiones deducuntur. Seleucus Demetrio, Ptolemæus Lysimacho junguntur. Cassandro defuncto Philippus filius succedit. Sic, quasi ex integro, nova Macedoniæ bella nascuntur.

LIBER XVI.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Antipater Cassandri filius sit parricida. Demetrius Alexandrum, Cassandri F. interfi it, & Macedoniam usurpat.*

2. De-

2. *Demetrius prælio fusus fugatur. Antipater parricida fœde perit. In Cassandri familiam numinis vindicta. Ptolemæus placidum fatum*
3. *Bellum Pyrrhi & Lysimachi De Heracleæ origine & statu digressio.*
4. *Clearchi tyranni Heracleensis artes luculenter describuntur.*
5. *Quibus rationibus Clearchus tyrannidem firmaverit. Clearchus tandem à Chione & Leonide juvenibus nobilissimis obtruncatur. Post Clearchi supplicium Heracleæ conditio.*

CAP. I.

POst Cassandri regis, filiique ejus Philippi continuas mortes, Thessalonicæ regina uxor Cassandri, non magno post tempore, ab Antipatro filio, cum vitam etiam per ubera materna deprecaretur, occiditur. Causa parricidii fuit, quod post mortem mariti, in divisione inter fratres regni, propensior fuisse pro Alexandro videbatur. Quod facinus in eo gravius omnibus visum est, quod nullum maternæ fraudis vestigium fuit. Quanquam in parricidio, nulla justa causa ad sceleris patrocinia prætexi potest. Ob hæc igitur Alexander in ultionem maternæ necis, gesturus cum fratre bellum, auxilium à Demetrio petit: nec Demetrius, spe invadendi Macedonici regni, moram fecit. Cujus adventum verens Ly-

simachus, persuadet genero suo Antipatro, ut malit cum fratre in gratiam reverti; quam paternum hostem in Macedoniam admitti. Inchoatam igitur inter fratres reconciliationem cum præsensisset Demetrius, per insidias Alexandrum interfecit; occupatoque Macedoniæ regno, cædem apud exercitum excusaturus, in concionem vocat. Ibi priorem se petitum ab Alexandro allegat; nec feciſſe se, sed occupasse insidias. Regem autem se Macedoniæ vel ætatis experimentes, vel causis justiorem esse. Patrem enim suum & Philippo Regi, & Alexandro Magno socium in omni militia fuisse: liberorum deinde Alexandi ministrum, & ad persequendos defectores ducem extitisse. Contra Antipatrum avum horum adolescentium, amariorem semper ministrum regni, quam ipsos reges fuisse. Cassandrum vero patrem extinctorem regiæ domus, non feminis, non pueris peperciſſe; nec ceſſasse, quoad omnem stirpem regiæ subolis deleret. Horum scelerum ultionem, quia nequisset ab ipso Cassandro exigere, ad liberos ejus translatam. Quamobrem etiam Philippum, Alexandrumque, si quis manium sensus est, non interfectores suos,

ac

ac stirpis suæ, sed ultores eorum, Macedoniæ regnum tenere malle. Per hæc mitigato populo, rex Macedoniæ appellatur. Lysimachus quoque, cum bello Doricetis regis Thracum premeretur, ne eodem tempore & adversus eum dimicare necesse haberet, tradita ei altera parte Macedoniæ, quæ Antipatro ejus genero obvenerat, pacem cum eo fecit.

Cap. II. Igitur Demetrius, totis Macedoniæ regni viribus instructus, cum Asiam occupare statuisset, iterato Ptolemæus, Seleucus, & Lysimachus, experti priore certamine quantæ vires essent concordiæ, pacta societate adunatisq; exercitibus, bellum adversus Demetrium transfertur in Europam. His comitem se, & belli socium jungit Pyrrhus rex Epiri, sperans non difficilius Demetrium amittere Macedoniam posse, quam acquisierat. Nec spes frustra fuit: quippe exercitu ejus corrupto, ipsoq; in fugam acto, regnum Macedoniæ occupavit. Dum hæc aguntur, Lysimachus generum suum Antipatrum, regnum Macedoniæ ademptum sibi soceri fraude querentem, interfecit; filiamq; suam Eurydicen querelam sociam in custo-

diam tradit: atque ita universa Cassandri domus Alexandro Magno, seu necis ipsius, seu stirpis extinctæ pœnas partim cæde, partim supplicio, partim parricidio luit. Demetrius quoque à tot exercitibus circumventus, cum posset honeste mori, turpiter se dedere Seleuco maluit. Finito bello, Ptolemæus cum magna rerum gestarum gloria moriturus, contra jus gentium, minimo natu ex filiis, ante infirmitatem regnum tradiderat, ejusque rei populo rationem reddiderat: cujus non minor favor in accipiendo, quam patris in trahendo regno fuerat. Inter cetera patris & filii mutuæ pietatis exempla, etiam ea res amorem populi juveni conciliaverat, quod pater regno ei publice tradito, privatus officiũ regi inter satellites fecerat, omniq; regno pulchrius regis esse patrem duxerat.

CAP. III. Sed inter Lysimachum, & Pyrrhum regem, socios paulo ante adversus Demetrium, assiduum inter pares discordiæ malum bellum moverat. Victor Lysimachus, pulso Pyrrho Macedoniam occupaverat. Inde Thraciæ, ac deinceps Heracleæ bellum intulerat: cujus urbis & initia & exitus admirabiles fuere; quippe Bœotiis pestilentia

lentia laborantibus, oraculum Delphis responderat, coloniam in Ponti regione sacram Herculi conderent. Cum propter metum longæ ac periculosæ navigationis, mortem in patria omnibus præoptantibus, res omissa esset, bellum his Phocenses intulerunt: quorum cum adversa prœlia paterentur, iterato ad oraculum decurrunt; responsum, idem belli quod pestilentiæ, remedium fore. Igitur conscripta colonorum manu, in Pontum delati, urbem Heracleam condiderunt. Et quoniam satorum auspiciis in eas sedes delati erant, brevi tempore magnas opes paravere. Multa deinde hujus urbis adversus finitimos bella, multæ etiam domesticæ dissensiones fuere. Inter cetera magnifica, vel præcipue illud memorabile fuit. Cum rerum potirentur Athenienses, victisque Persis, Græciæ & Asiæ tributum in tutelam classis descripsissent, omnibus cupide ad præsidium salutis suæ conferentibus; soli Heraclienses ob amicitiam regum Persicorum, collationem abnuerant. Missus itaque ab Athenienſibus Lamachus cum exercitu ad extorquendum quod negabatur, dum relictis in littore navibus, agros Heraclienſium populatur,

tur, classem cum majore parte exercitus, naufragio repentinæ tempestatis amisit. Itaque cum neque mari posset amissis navibus, neque terra auderet, cum parva manu inter tot ferociſſimas gentes, reverti; Heraclienſes honestiorem beneficii, quam ultionis occasionem rati, instructos commeatibus, auxiliisque dimittunt: Bene agrorum suorum populationem impensam existimantes, si quos hostes habuerant, amicos reddidissent.

CAP. IV. Passi sunt inter plurima mala, etiam tyrannidem: siquidem cum plebs etiam novas tabulas, & divisionem agrorum divitum impotenter flagitaret, diu re in senatu tractata, cum exitus rei non inveniretur; ad postremum adversus plebem nimio otio lascivientem, auxilia à Timotheo Athenienſium duce, mox ab Epaminonda Thebanorum petivere. Utrisque negantibus, ad Clearchum, quem ipsi in exilium egerant, decurrunt. Tanta calamitatium necessitas fuit, ut cui patriam interdixerant, eum ad tutelam patriæ revocarent. Sed Clearchus exilio facinorosior redditus, & dissensionem populi occasionem invadendæ tyrannidis existimans, primo tacitus cum Mithridate civium suorum hoste

hoſte colloquitur, & initia ſocietate paciſcitur, ut revocatus in patriam prodita ei urbe, præfectus ejus conſtitueretur. Poſtea autem inſidias, quas civibus paraverat, in ipſum Mithridatem verterat. Namque cum velut arbiter civilis diſcordiæ, de exilio reverſus eſſet, ſtatuto tempore, quo urbem Mithridati traderet, ipſum cum amicis ſuis cepit; captumque, accepta ingenti pecunia, dimiſit. Atque ut in illo ſubitum ſe ex ſocio fecit hoſtem: ſic ex defenſore ſenatoriæ cauſæ, repente patronus plebis evaſit; & adverſus auctores potentiæ ſuæ, à quibus revocatus in patriam, per quos in arce collocatus fuerat, non ſolum plebem accendit, verum etiam nefandiſſima quæque tyrannicæ crudelitatis exercuit. Igitur populo ad concionem vocato, neque ſe affuturum amplius graſſanti in populum ſenatui, ait; interceſſurum etiam, ſi in priſtina ſævitia perſeveret: quod ſi pares ſe crudelitati ſenatorum arbitrarentur, abiturum cum militibus ſuis, neque civilibus diſcordiis interfuturum. Sin verò diffidant viribus propriis, vindictæ ſe civium non defuturum. Proinde conſulant ſibi ipſis: jubeant abire ſe, ſi malint, vel cauſæ populari ſocium re-

remanere. His verbis solicitata plebs, summum ad eum imperium defert: & dum senatus potentiæ irascitur, in servitutem se tyrannicæ dominationis cum conjugibus & liberis tradit. Igitur Clearchus LX. senatores comprehensos (nam ceteri in fugam dilapsi erant) in vincula compingit. Lætari plebs, quod à duce potissimum senatorum, senatus deleretur, versaque vice, auxilium eorum in exitium conversum esse. Quibus dum mortem passim omnibus minatur, cariora eorum pretia facit: siquidem Clearchus magna pecunia (quasi minis populi occulte eos subtractur9) accepta, spoliatos fortunis, vita quoq; spoliavit.

CAP. V. Cognito deinde, quod bellum sibi ab iis qui profugerant, misericordia in auxilium solicitatis civitatibus, pararetur, servos eorum manumittit. Et ne quid mali afflictis honestissimis domibus deesset, uxores eorum, filiasque nubere servis suis, proposita recusantibus morte, compellit; ut eos sibi fidiores, & dominis infestiores redderet. Sed matronis tam lugubres nuptiæ, graviores repentinis funeribus fuere. Itaq; multæ se ante nuptias, multæ in ipsis nuptiis, occisis prius novis maritis, interficiunt,

ciunt, & se tam funestis calamitatibus, virtute ingenui pudoris, eripiunt. Prœlium deinde committitur: quo victor tyrannus captivos senatores in triumphi modum per ora civium trahit. Reversus in urbem, alios vincit, torquet alios, alios occidit: nullus locus urbis à crudelitate tyranni vacat. Accedit sævitia insolentia, crudelitati arrogantia: interdum enim ex successu continuæ felicitatis obliviscitur se hominem: interdum Jovis se filium dicit. Eunti per publicum, aurea aquila velut argumentum generis præferebatur: veste purpurea; & cothurnis regum tragicorum, & aurea corona utebatur: filium quoque suum Ceraunon vocat, ut Deus non mendaciæ tantum, verum etiam nominibus illudat. Hæc illum facere duo nobilissimi juvenes Chion & Leonides indignantes, patriam liberaturi in necem tyranni conspirant. Erant hi discipuli Platonis Philosophi; qui virtutem ad quam quotidie præceptis magistri erudiebantur, patriæ exhibere cupientes, quinquaginta cognatos, veluti clientes, in insidiis locant. Ipsi more jurgantium, ad tyrannum veluti ad regem in arcem contendunt: qui jure familiaritatis admissi

admissi, dum alterum priorem dicentem intentus audit tyrannus, ab altero obtruncatur. Sed & ipsi, sociis tardius auxilium ferentibus, à satellitibus obruuntur. Quare factum est, ut tyrannus quidem occideretur, sed patria non liberaretur. Nam frater Clearchi Satyrus eadem via tyrannidem invadit; multisque annis, per gradus successionis, Heraclienses sub regno tyrannorum fuere.

LIBER XVII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Lysimachi Regis tragœdia.*
2. *Amissis XV. liberis in prælio occumbit. Seleucus per insidias occiditur à Ptolemæo. Ptolemæus Principum amicitias, Pyrrhi præsertim, sibi conciliat.*
3. *De Epirotarum regno ejusdemque origine ac regibus digressio. Pyrrhi varia fortuna.*

CAP. I.

EIdem ferme tempus in Helleſponti & Cherſoneſi regionibus terræmotus fuit: maxime tamen Lyſimachia urbs ante duos & viginti annos à Lyſimacho rege condita, everſa eſt. Quod portentum dira Lyſimacho, ſtirpique ejus, ac regni ruinam, cum clade vexatarum regionum portendebat. Nec oſtentis fides defuit: nam brevi poſt tempore, Agathoclem filium ſuum, quem in ſucceſſionem regni

gni ordinaverat, per quem multa bella prospere gesserat, non solum partium, verum etiam humanum ultra morem, perosus, ministra Arsinoë noverca, veneno interfecit. Hæc illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruinæ fuit. Nam parricidium, principum secutæ cædes sunt, luentium supplicia quod occisum juvenem dolebant. Itaq; & hi qui cædibus superfuerant, & hi qui exercitibus præerant, certatim ad Seleucum deficiunt; eumque pronum jam ex æmulatione gloriæ, bellum Lysimacho inferre compellunt. Ultimum hoc certamen commilitonum Alexandri fuit, & velut ad exemplum fortunæ, par reservatum. Lysimachus quatuor & LXX. annos natus erat. Seleucus septem & LXX. Sed in hac ætate utrique animi juveniles erant, imperiique cupiditatem insatiabilem gerebant. Quippe cum orbem terrarum duo soli tenerent, angustiis sibimet inclusi videbantur, vitæque finem non annorum spatio, sed imperii terminis metiebantur.

CAP. II. In eo bello Lysimachus amissis ante variis casibus XV. liberis, non instrenue moriens, postremus domus suæ ruinæ cumulus accessit. Lætus

tanta

tanta victoria Seleucus, & quod majus victoria putabat, solum se cohorte Alexandri remansisse; victoremque victorum extitisse, non humanum esse opus, sed divinum munus, gloriatur: Ignarus prorsus, non multo post fragilitatis humanæ se ipsum exemplum futurum. Quippe post menses admodum septem Ptolemæo, cujus sororem Lysimachus in matrimonio habuerat, per insidias circumventus occiditur; regnumque Macedoniæ, quod Lysimacho eripuerat, cum vita pariter amittit. Igitur Ptolemæus cum & in gratiam memoriæ magni Ptolemæi patris, & in favorem ultionis Lysimachi ambitiosus apud populares esset, primo Lysimachi filios conciliare sibi statuit; nuptiasque Arsinoes sororis suæ, matris eorum, petit, puerorum adoptione promissa, ut cum in locum patris eorum successisset, nihil illi moliri vel verecundia matris, vel appellatione patris auderent. Fratris quoq; regis Ægypti concordiam per epistolas deprecatur, professus deponere se offensam erepti paterni regni, neque amplius à fratre quæsiturum, quod honestius à paterno hoste perceperit. Omnique arte adulatur Eumeni, & Antigono,

Deme-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0240
DFG

Demetrii filiis, Antiocho filio Seleuci, cum quibus bellum habiturus erat, ne tertius sibi hostis accederet. Sed nec Pyrrhus rex Epiri omissus, ingens momentum futurus, utri patri socius accessisset; qui & ipse spoliare singulos cupiens, omnibus se partibus venditabat. Itaque Tarentinis adversus Romanos laturus auxilium, ab Antigono naves, ad exercitum in Italiam deportandum, mutuo petit; ab Antiocho pecuniam, qui opibus quam militibus instructior erat; à Ptolemæo Macedonum militum auxilia. Sed Ptolemæus, cui nulla dilationis ex infirmitate virium venia esset, quinque millia peditum, equitum quatuor millia, elephantos quinquaginta, non amplius quam in biennii usum dedit. Ob hæc Pyrrhus, filia Ptolomæi in matrimonium accepta, vindicem eum regni reliquit: ne abducta in Italiam juventute, prædam hostibus regnum relinqueret.

Cap. III. Sed quoniam ad Epiri mentionem ventum est, de origine regni ejus pauca narranda sunt. Molossorum primum in ea regione regnum fuit. Post Pyrrhus Achillis filius, amisso per absentiam Trojanis temporibus paterno regno,

regno, in his locis consedit, qui Pyrrhidæ primo, postea Epirotæ dicti sunt. Sed Pyrrhus cum in templum Dodonæi Jovis ad consulendum venisset, ibi Lanassam neptem Herculis rapuit: ex cujus matrimonio octo liberos sustulit. Ex his nonnullas virgines nuptum finitimis regibus tradidit, opesque affinitatium auxilio magnas paravit: atque ita Heleno filio Priami regis, ob industriam singularem, regnum Chaonum, & Andromachen Hectoris, quam & ipse matrimonio suo in divisione Trojanæ prædæ acceperat, uxorem tradidit: brevique post tempore, Delphis insidiis Orestæ filii Agamemnonis, inter altaria dei interiit. Successor huic Pialis filius fuit. Per ordinem deinde, regnum ad Arrybam descendit: cui, quoniam pupillus & unicus ex gente nobili superesset, intentiore omnium cura servandi ejus educandique publice tutores constituuntur: Athenas quoque erudiendi gratia missus; quanto doctior majoribus suis, tanto & gratior populo fuit. Primus itaque leges, & senatum, annuosque magistratus, & reipub. formam composuit: & ut à Pyrrho sedes, sic vita cultior populo ab Arryba statuta. Hujus filius Neoptolo-

ptolomeus fuit : ex quo nata est Olympias, mater Alexandri Magni, & Alexander, qui post eum regnum Epiri tenuit: & in Italia bello gesto, in Bruttiis interiit. Post ejus mortem frater Æacides regno successit, qui assiduis adversus Macedonas bellorum certaminibus populum fatigando, offensam civium contraxit: ac propterea in exilium actus, Pyrrhum filium vivum, admodum parvulum in regno reliquit. Qui & ipse cum à populo propter odium partis ad necem quæreretur, furtim subtractus in Illyrios defertur; traditusq; est Beroæ, Glauci regis uxoris, nutriendus, quæ & ipsa generis Æacidarum erat. Ibi eum, seu misericordia fortunæ ejus, seu infantilibo blandimentis inductus rex, adversum Cassandrum Macedoniæ regem, qui eum sub belli comminatione deposcebat, diu protexit, addito in auxilium etiam adoptionis officio. Quibus rebus moti Epirotæ, odio in misericordiam verso annorum XI. eum in regnum revocaverunt, datis tutoribus, qui regnum usq; adultam ejus ætatem tuerentur. Adolescens deinde multa bella gessit; tantusque rerum successu haberi cœptus est, ut Tarentinos solus adversus Romanos tueri posse videretur. CAP.

LIBER XVIII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Pyrrho Tarentino adversus Romanos suppetias ferenti, Valerius Lævinus occurrit: unde prælia & strages.*
2. *Carthaginensium auxilium Romani remittunt. Pax cum Pyrrho componitur. Romanorum continentia. Pyrrhus Siciliam occupat.*
3. *De Carthaginensium origine & veteribus incolis digressio, in qua etiam de Sidonis & Tyri conditoribus.*
4. *Novæ incolæ Tyri, inter quos Elissa quæ à Pygmalione fratre recedit, ut rebus suis consuleret.*
5. *Elissa agnomine Dido, Cyprum appellit, deinde in sinum Africæ refertur & Charthaginem condit.*
6. *Elissa propter barbæ votum sibi vim infert. Carthaginensium crudelis superstitio.*
7. *Clades Charthaginensium in Sardinia. Superstites in exilium pulsi patriam armis recuperare nituntur: unde Malei Patris in Catalonem filium severitas: & paulo post cruentus interitus.*

CAP. I.

AGitur Pyrrhus rex Epiri, cum iterata Tarentinorum legatione, additis Samnitium & Lucanorum precibus, & ipsis auxilio adversus Romanos indigentibus fatigaretur, non tam supplicum precibus, quam spe invadendi Italiæ imperii inductus, venturum se cum exercitu pollicetur. In quam rem inclinatum semel animum, præcipitem agere cœperant exempla majorum: ne aut inferior patruo suo Alexandro videretur, quo defensore iidem Tarentini adversus Bruttios usi fuerant;

fuerant; aut minores animos Magno Alexandro habuisse, qui tam longa à domo militia Orientem subegit. Igitur relicto custode regni filio Ptolemæo, annos XV. nato, exercitum in portu Tarentino exponit, duobus parvulis filiis, Alexandro & Heleno, in solatia longinquæ secum expeditionis adductis. Cujus audito adventu, Consul Romanus Valerius Lævinus, festinans ut prius cum eo congrederetur quam auxilia sociorum convenirent, exercitum in aciem educit: Nec rex, tametsi numero militum inferior esset, certamini moram fecit. Sed Romanos vincentes jam, inusitata ante elephantorum forma stupere primo, mox cedere prœlio coëgit; victoresque jam nova Macedonum monstra repente vicerunt. Nec hostibus incruenta victoria fuit. Nam & ipse Pyrrhus graviter vulneratus est; & magna pars militum ejus cæsa; majoremque gloriam ejus victoriæ, quam lætitiam habuit. Hujus pugnæ eventum multæ civitates secutæ, Pyrrho se tradunt. Inter ceteras etiam Locri, prodito præsidio Romano, ad Pyrrhum deficiunt. Ex ea præda Pyrrhus CC captivos milites Romam gratis remisit, ut cognita virtute ejus, Romani cognosce-

rent etiam liberalitatem. Interjectis deinde diebus, cum sociorum exercitus supervenisset, iterato prœlium cum Romanis facit, in quo par fortuna priori bello fuit.

CAP. II. Interea Mago, dux Carthaginiensium, in auxilium Romanorum cum CXX. navibus missus, senatum adiit, ægre tulisse Carthaginienses, affirmans, quod bellum in Italia à peregrino rege paterentur. Ob quam causam missum se, ut quoniam externo hoste oppugnarentur, externis auxiliis juvarentur. Gratiam à senatu Carthaginiensibus actæ, auxiliaque remissa. Sed Mago Punico ingenio, post paucos dies tacitus, quasi pacificator Carthaginiensium, Pyrrhum adit speculaturus consilia ejus de Sicilia, quo cum arcessiri fama erat. Nam Romanis eadem causa mittendi auxilii Carthaginiensibus fuerat, ut Romano bello, ne in Siciliam transire posset Pyrrhus, in Italia detineretur. Dum hæc aguntur, legatus à senatu Romano Fabricius Lucinus missus, pacem cum Pyrrho composuit. Ad quam confirmandam, Cyneas Romam cum ingentibus à Pyrrho donis missus, neminem, cujus domus muneribus pateret, invenit.

Huic

Huic continentiæ Romanorum simile exemplum, iisdem ferme temporibus fuit. Nam missi à senatu in Ægyptum legati, cum ingentia sibi à Ptolemæo rege missa munera spreviſſent, interjectis diebus ad cœnam invitatis, aureæ coronæ missæ sunt; quas illi honoris causa receptas, postera die statuis regis imposuerunt. Igitur Cyneas cum turbatam cum Romanis pacem ab Appio Claudio renuntiasset, interrogatus à Pyrrho, qualis Roma esset, respondit, Regum urbem sibi visam. Post hæc legati Siculorum superveniunt, tradentes Pyrrho totius insulæ imperium, quæ assiduis Carthaginiensium bellis vexabatur. Itaque relicto Locris Alexandro filio, firmatisq; sociorum civitatibus valido præsidio, in Siciliam exercitum trajecit.

CAP. III. Et quoniam ad Carthaginiensium mentionem ventum est, de origine eorum pauca dicenda sunt, repetitis Tyriorum paulo altius rebus, quorum casus etiam dolendi fuerunt. Tyriorum gens condita à Phœnicibus fuit, qui terræmotu vexati, relictæ patriæ solo, Assyrium stagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi urbe, quam à piscium ubertate,

Sidona apellaverunt: nam piscem Phœnices Sidon vocant. Post multos deinde annos à rege Ascaloniorum expugnati, navibus appulsi, Tyron urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt: ibi Persarum bellis diu varieque fatigati, victores quidem fuere: sed attritis viribus, à servis suis multitudine abundantibus, indigna supplicia perpessi sunt: qui conspiratione facta, omnem liberum populum cum dominis interficiunt: atque ita potiti urbe, lares dominorum occupant, rempub. invadunt, conjuges ducunt, & quod ipsi non erant, liberos procreant. Unus ex tot millibus servorum fuit, qui miti ingenio, senis domini, parvulique filii ejus fortuna moveretur; dominosque non truci feritate, sed piæ misericordiæ humanitate respiceret. Itaque cum velut occisos alienasset, servisque de statu reipub. deliberantibus placuisset regem ex suo corpore creari, eumque potissimum quasi acceptissimum diis, qui solem orientem primus vidisset, rem ad Stratonem (hoc enim ei nomen erat) dominum occulte latentem detulit. Ab eo formatus cum medio noctis omnes in unum campum processissent, ceteris in Orientem spectantibus,

tibus, solus Occidentis regionem intuebatur. Id primum aliis videri furor, in Occidente solis ortum quærere: ubi vero dies adventare cœpit, editissimisq; culminibus urbis oriens splendere exspectantibus aliis, ut ipsum solem aspicerent, hic primus omnibus fulgorem solis in summo fastigio civitatis ostendit. Non servilis ingenii ratio visa; requirentibusq; auctorem, de domino confitetur. Tunc intellectum est: Quantum ingenua servilibus ingenia præstarent; malitiaque servos, non sapientia vincere. Igitur venia seni filioq; data est; & velut numine quodam reservatos arbitrantes, regem Stratonem creaverunt. Post cujus mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes transit. Celebre hoc servorum facinus, metuendumq; exemplum toto orbe terrarum fuit. Itaque Alexander Magnus, cum interjecto tempore in Oriente bellum gereret, velut ultor publicæ securitatis, expugnata eorum urbe, omnes qui prælio superfuerant, ob memoriam veteris cædis crucibus affixit: genus tantum Stratonis inviolatum servavit, regnumq; stirpi ejus restituit, ingenuis & innoxiis incolis insulæ attributis, ut, exstirpato servili germine, genus urbis ex integro conderetur.

CAP. IV. Hoc igitur modo Tyrii Alexandri auspiciis conditi, parcimonia & labore quærendi cito convaluere. Ante cladem dominorum cum & opibus, & multitudine abundarent, missa in Africam juventute. Uticam condidere: cum interim rex Tyro decedit, filio Pygmalione, & Elissa filia, insignis formæ virgine, heredibus institutis Sed populus Pygmalioni admodum puero regnum tradidit. Elissa quoque Acerbæ avunculo suo, sacerdoti Herculis, qui honos secundus à rege erat, nubit Huic magnæ, sed dissimulatæ opes erant: aurumque metu regis non tectis, sed terræ crediderat; quam rem etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur. Qua incensus Pygmalion oblitus juris humani, avunculum suum, eundemq; generum, sine respectu pietatis occidit. Elissa diu fratrem propter scelus aversata, ad postremum dissimulato odio, mitigatoq; interim vultu fugam tacito moli. tur, assumptis quibusdam principibus in societatem, quibus par odium in regem esse, eandemque fugiendi cupiditatem arbitrabatur. Tunc fratrem dolo aggreditur, fingit se ad eum migrare velle, ne amplius ei mariti domus, cupidæ obli-

oblivionis, gravem luctus imaginem renoverat, ne ultra amara admonitio oculis ejus occurrat. Non invitus Pygmalion verba sororis audivit, existimans cum ea & aurum Acerbæ ad se venturum. Sed Elissa ministros migrationis à rege missos, navibus cum omnibus opibus suis prima vespera imponit, provectaque in altum, compellit eos onera harenæ pro pecunia involucris involuta, in matre dejicere. Tunc defleus ipsa, lugubrique voce Acerbam ciet; orat, ut libens opes suas recipiat, quas reliquerat; habeatque inferias, quas habuerit causam mortis. Tunc ipsos ministros aggreditur: sibi quidem ait optatam olim mortem: sed illis acerbos cruciatus, & dira supplicia imminere, qui Acerbæ opes, quarum spe parricidium rex fecerit, avaritiæ tyranni subtraxerint. Hoc metu omnibus injecto, comites fugæ accepit. Junguntur & senatorum in eam noctem præparata agmina; atque ita sacris Herculis, cujus sacerdos Acerbas fuerat, repetitis, exilio sedes quærunt.

CAP. V. Primus illis appulsus terræ, Cyprus insula fuit: ubi sacerdos Jovis, cum conjuge & liberis, deorum monitu, comitem se Elissæ sociumque præbuit,

pactus sibi posterisque perpetuum honorem sacerdotii. Conditio pro manifesto omine accepta. Mos erat Cypriis, virgines ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quæsituras, in quæstum ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas. Harum igitur ex numero LXXX. admodum virgines raptas, navibus imponi Elissa jubet; ut & juventus matrimonia, & urbs sobolem habere posset. Dum hæc aguntur, Pygmalion cognita sororis fuga, cum impio bello fugientem persequi pararet, ægre precibus matris, & deorum minis victus, quievit: cui cum inspirati vates canerent, non impune laturum, si incrementa urbis toto orbe auspicatissimæ interpellasset, hoc modo spatium respirandi fugientibus datum. Itaque Elissa delata in Africæ sinum, incolas loci ejus, adventu peregrinorum, mutuarumque rerum commercio gaudentes, in amicitiam solicitat: deinde empto loco, qui corio bovis tegi posset, in quo fessos longa navigatione socios, quoad perficisceretur, reficere posset; corium in tenuissimas partes secari jubet, atq; ita majus loci spacium quam petierat, occupat: unde postea ei loco

Byrsæ

Byrsæ nomen fuit. Confluentibus deinde vicinis locorum, qui spe lucri multa hospitibus venalia inferebant; sedesque ibi statuentibus, ex frequentia hominum velut instar civitatis effectum est. Uticensium quoque legati, dona ut consanguineis attulerunt; hortatique sunt, urbem ibi conderent, ubi sedes sortiri essent. Sed & Afros detinendi advenas amor cepit. Itaque consentientibus omnibus, Carthago conditur, statuto annuo vectigali pro solo urbis. In primis fundamentis caput bubulum inventum est: quod auspicium quidem fructuosæ terræ, sed laboriosæ, perpetuoque servæ urbis fuit: propter quod in alium locum urbs translata. Ibi quoq; equi caput repertum, bellicosum potentemque populum futurum significans, urbi auspicatam sedem dedit. Tunc ad opinionem novæ urbis concurrentibus gentibus, brevi & populus, & civitas magna facta.

CAP. VI. Cum successu rerum florentes Carthaginis opes essent, rex Maxitanorum Hiarbas decem Pœnorum principibus ad se arcessitis, Elissæ nuptias sub belli denuntiatione petit: quod legati reginæ referre metuentes, Punico cum ea ingenio egerunt; nuntiantes, re-

gem aliquem poscere, qui cultiores victus eum, Afrosque perdoceat; seu quem inveniri posse, qui ad Barbaros & ferarum more viventes transire à consanguineis velit? Tunc à regina castigati, si pro salute patriæ asperiorem vitam recusarent, cui etiam ipsa vita, si res exigat, debeatur: regis mandata aperuere, dicentes, Quæ præcipiat aliis, ipsi facienda esse, si velit urbi consultum esse. Hoc dolo capta, diu Acerbæ viri nomine cum multis lacrymis & lamentatione flebili invocato, ad postremum ituram se quo suæ urbis fata vocarent, respondit. In hoc trium mensium sumpto spatio, pyra in ultima parte urbis exstructa, velut placatura viri manes, inferiasque ante nuptias missura, multas hostias cædit, & sumpto gladio pyram conscendit; atque ita ad populum respiciens, ituram se ad virum, sicut præceperant, dixit, vitamque gladio finivit. Quamdiu Carthago invicta fuit, pro dea culta est. Condita est urbs hæc LXXII. annis ante quam Roma, cujus virtus sicut bello clara fuit, ita domi status variis discordiarum casibus agitatus est. Cum inter cetera mala, etiam peste laboraret, cruenta sacrorum religione, & scelere

scelere pro remedio usi sunt. Quippe homines, ut victimas immolabant; & impuberes (quæ ætas etiam hostium misericordiam provocat) aris admovebant, pacem deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita dii rogari maxime solent.

CAP. VII. Itaque adversus tanto scelere numinibus, cum in Sicilia diu feliciter dimicassent, translato in Sardiniam bello, amissa majore exercitus parte, gravi prœlio victi sunt. Propter quod ducem suum Maleum, cujus auspiciis & Siciliæ partem domuerant, & adversus Afros magnas res gesserant, cum parte exercitus, quæ superfuerant, exulare jusserunt. Quam rem ægre ferentes milites, legatos Carthaginem mittunt, qui reditum primo, veniamque infelicis militiæ petant; tum denuntient, quod precibus nequeant, armis se consecuturos. Cum & preces & minæ legatorum spretæ essent, interjectis diebus, conscensis navibus, armati ad urbem veniunt: ibi deos hominesque testari, non se expugnatum, sed reciperatum patriam venire; ostensurosque civibus suis, non virtutem sibi priore bello, sed fortunam defuisse: prohibitis commeatibus, ob-

sessaque urbe, in summam desperationem Carthaginienses adduxerunt. Interea Cartalo Malei exsulis ducis filius, cum præter castra patris à Tyro, quo decimas Herculis ferre, ex præda Siciliensi, quam pater ejus ceperat, à Carthaginiensibus missus fuerat, reverteretur, arcessitusque à patre esset, prius publicæ se religionis officia exsecuturum quam privatæ pietatis, respondit. Quam rem etsi indigne ferret pater, non tamen vim afferre religioni ausus est. Interjectis deinde diebus, Cartalo petito commeatu à populo, cum reversus ad patrem esset; ornatusque purpura, & infulis sacerdotii, omnium se oculis ingereret, tunc in secretum abducto pater ait: Aususne es, nefandissimum caput, ista purpura & auro ornatus, in conspectum tot miserorum civium venire? & mœsta ac lugentia castra, circumfluentibus quietæ felicitatis insignibus, velut exultabundus intrare? Nusquam ne te aliis jactare potuisti? Nullus locus aptior, quam sordes patris, & exilii infelicis ærumnæ fuerunt? Quid, quod paulo ante vocatus, non dico patrem, ducem certe civium tuorum superbe spreveristi? Quid porro tu in purpura, ista coronisque aliud, quam victo-

riarum

riarum mearum titulos geris? Quoniam igitur tu in patre nihil nisi exulis nomen agnoscis; ego quoque imperatorem me magis, quam patrem judicabo; statuamque in te exemplum, ne quis posthac infelicibus miseriis patris illudat. Atque ita eum cum ornatu suo, in altissimam crucem in conspectu urbis suffigi jussit. Post paucos deinde dies Carthaginem capit: evocatoque populo ad concionem, exilii injuriam queritur: belli necessitatem excusat: contentumque victoria sua, punitis auctoribus miserorum civium, injuriosi exilii omnibus se veniam dare dicit. Atque ita decem senatoribus interfectis, urbem legibus suis reddidit. Nec multo post ipse affectati regni accusatus, duplicis & in filio & in patria parricidi pœnas dedit. Huic Mago imperator successit, cujus industria & opes Carthaginiensium, & imperii fines, & bellicæ gloriæ laudes creverunt.

LIBER XIX.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Magoni Carthaginiensium Imperatori succedunt Hasdrubal & Amilcar. Hasdrubal in Sardinia perit. Inde Siculum bellum & Persarum legatio.*
2. *Horum filii & Carthaginiensis clades exercitus in Sicilia*
3. *Imilco, Dux hujus exercitus. Carthaginem reversus, spe omnii abjecta mortem sibi infert.*

CAP. I.

MAgo Carthaginensium imperator, cum primus omnium, ordinata disciplina militari, imperium Pœnorum condidisset, viresque civitatis non minus bellandi arte quam virtute firmasset, diem fungitur, relictis duobus filiis Hasdrubale & Hamilcare: qui per vestigia paternæ virtutis decurrentes, sicuti generi, ita & magnitudini patris successerunt. His ducibus Sardiniæ bellum illatum: adversus Afros quoque vectigal pro solo urbis multorum annorum repetentes, dimicatum: sed Afrorum sicuti causa justior, ita & fortuna superior fuit; bellumque cum his solutione pecuniæ, non armis finitum. In Sardinia quoque Hasdrubal graviter vulneratus imperio Hamilcari fratri tradito interiit: cujus mortem, cum luctus civitatis, tum & dictaturæ undecim, & triumphi quatuor insignem fecere: hostibus quoque crevere animi, veluti cum duce vires Pœnorum cecidissent. Itaque Siciliæ populis propter assiduas Carthaginensium injurias, ad Leonidam fratrem regis Spartanorum concurrentibus, grave bellum natum: in quo & diu, & varia victoria prælia-

tum

tum fuit. Dum hæc aguntur, legati à Dario Persarum rege Carthaginem venerunt, afferentes edictum, quo Pœni humanas hostias immolare, & canina vesci prohibebantur; mortuorumq; corpora cremare potius, quam terra obruere à rege jubebantur: petentes simul auxilia adversus Græciam, cui illaturus bellum Darius erat. Sed Carthaginienses auxilia negantes, propter assidua finitimorum bella, cæteris, ne per omnia contumaces viderentur, cupide paruere.

Cap. II. Interea Hamilcar bello Sicilienſi interficitur, relictis tribus filiis, Imilcone, Hannone, Giscone. Hasdrubali quoque par numerus filiorum fuit, Annibal, & Hasdrubal, & Sapho. Per hos res Carthaginienſium ea tempestate gerebantur. Itaque & Mauris bellum illatum, & adversus Numidas pugnatum, & Afri compulsi stipendium urbis conditæ Carthaginienſibus remittere. Deinde cum familia tanta imperatorum gravis liberæ civitati esset, omniaque ipsi agerent simul & judicarent, centum ex numero senatorum judices diliguntur, qui reversis à bello ducibus, rationem rerum gestarum exigerent, ut hoc metu ita in bello imperia cogitarent,

ut

ut domi judicia legesque respicerent. In Sicilia in locum Hamilcaris, imperator Imilco succedit : qui cum navali terrestrique bello secunda prœlia fecisset, multasque civitates cepisset, repente pestilentis sideris vi exercitum amisit. Quæ res cum nuntiata Carthagini esset, mœsta civitas fuit : omnia ululatibus non secus ac si urbs ipsa capta esset, personabant : clausæ privatæ domus, clausa deorum templa, intermissa omnia sacra, omnia privata officia damnata. Cuncti deinde ad portum congregantur, egredientesque paucos è navibus, qui cladi superfuerant, de suis percontantur. Ut vero dubia antea spe, & suspenso metu, incerta orbitatis exspectatione, casus suorum miseris eluxit, tunc toto littore plangentium gemitus, tunc infelicium matrum ululatus, & flebiles querelæ audiebantur.

CAP. III. Inter hæc procedit inops è navi sua imperator, sordida servilique tunica discinctus : ad cujus conspectum plangentium agmina junguntur. Ipse quoque manus ad cœlum tendens, nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflet : nunc deos accusat, qui tanta belli decora, & tot ornamenta victoriarum,

riarum, quæ ipsi dederant, abstulerint: qui captis tot urbibus, totiesque hostibus terrestri navalique prœlio victis, exercitum victorem non bello, sed peste deleverint. Deferre se tamen civibus suis non modica solatia, quod malis eorum hostes gaudere, non gloriari possent. Quippe cum neque eos qui mortui sunt, à se occisos; neque eos qui reversi sunt, à se fugatos possint dicere. Prædam quam relictis à se castris abstulerint, non esse talem, quam velut spolium victi hostis ostentent: sed quam possessione vacua, fortuitis dominorum mortibus, sicuti caduca occuparint. Quod ad hostes pertinet, victores se recessisse; quod ad pestem, victos. Nihil tamen se gravius ferre, quam quod inter horrissimos viros mori non potuerit, servatusque sit non ad vitæ jucunditatem, sed ad ludibrium calamitatis. Quanquam ubi miseras copiarum reliquias Carthaginem reduxerit, se quoque sequuturum commilitones suos: ostensurumque patriæ, non ideo se in eam diem vixisse, quoniam velit vivere: sed ne hos, quibus nefanda lues pepercerat, inter hostiũ exercitus relictos, morte sua proderet. Talia vociferatione per urbem ingressus,

ut

ut limina domus suæ venit, prosecutam multitudinem velut postremo alloquio dimisit: obseratisque foribus, ac nemine ad se, ne filiis quidem admissis: mortem sibi conscivit.

LIBER XX.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Dionysius, Siciliæ Tyrannus, Græciæ magnæ incolas bello aggreditur.*
2. *Metapontinorum origo & fata.*
3. *Crotoniensium & Locrensium bella.*
4. *Pythagoras Philosophus Crotonienses ad frugilitatem revocat.*
5. *Dionysius victis Locrensibus Crotonienses adoritur, quos relinquit ab Hannone retractus, & tandem suorum insidiis opprimitur.*

CAP. I.

DIonisius è Sicilia Carthaginiensibus pulsis, occupatoque totius insulæ imperio, grave otium regno suo, periculosamque desidiam tanti exercitus ratus, copias in Italiam trajecit: simul ut militum vires continuo labore acuerentur, & regni fines proferrentur. Prima militia adversus Græcos, qui proxima Italici maris littora tenebant, fuit: quibus devictis, finitimos quosque aggreditur, omnesque Græci nominis Italiam possidentes, hostes sibi destinat: quæ gentes non partem, sed universam ferme Italiam ea tempe-

tempestate occupaverant. Denique multæ urbes adhuc post tantam vetustatem vestigia Græci moris ostentant. Namque Tuscorum populi, qui oram inferi maris possident, à Lydia venerunt: & Venetos, quos incolas superi maris videmus, capta & expugnata Troja, Antenore duce, misit: Adria quoque Illyrico mari proxima, quæ & Adriatico mari nomen dedit, Græca urbs est: Arpos Diomedes excisо Ilio, naufragio in ea loca delatus, condidit. Sed & piscæ in Liguribus Græcos auctores habent: & in Tuscis, Tarquinii à Thessalis & Spinambris: Perusini quoque originem ab Achæis ducunt. Quid Ceren urbem dicam? Quid Latinos populos, qui ab Ænea conditi videntur? Jam Falisci, Nolani, Abellani, nonne Chalcidensium coloni sunt? Quid tractus omnis Campaniæ? Quid Brutii, Sabinique? Quid Samnites? Quid Tarentini? Quos Lacedæmone profectos, Spuriosque vocatos accepimus? Thurinorum urbem condidisse Philocteten ferunt, ibique adhuc monumentum ejus visitur: & Herculis sagittæ in Apollinis templo, quæ fatum Trojæ fuere.

CAP. II. Metapontini quoque in templo

templo Minervæ ferramenta, quibus Epeus, à quo conditi sunt, equum Trojanum fabricaverunt, ostentat. Propter quod omnis illis pars Italiæ, major Græcia appellata est. Sed principio originum Metapontini cum Sybaritanis & Crotonienſibus pellere ceteros Græcos Italia statuerunt. Cum primum urbem Sirim cepissent, in expugnatione ejus quinquaginta juvenes amplexos Minervæ simulachrum, sacerdotemque deæ velatum ornamentis, inter ipsa altaria trucidaverunt. Ob hæc cum peste & seditionibus vexarentur, priores Crotonienses Delphicum oraculum adierunt. Responsum his est, finem mali fore, si violatum Minervæ numen, & interfectorum manes placassent. Itaque cum statuas juvenibus justæ magnitudinis, & imprimis Minervæ fabricare cœpissent, Metaponi cognito oraculo deorum, occupandam manium & deæ pacem rati, juvenibus modica & lapidea simulacra ponunt, & deam panificiis placant. Atque ita pestis utrobique sedata est, cum alteri magnificentia, alteri velocitate certassant. Recuperata sanitate, non diu Crotonienses quievere. Itaque indignantes, in oppugnatione Siris, auxilium

xilium contra se à Locrensibus latum, bellum his intulerunt. Quo metu territi Locrenses, ad Spartanos decurrunt: auxilium supplices deprecantur. Illi longinqua militia gravati, auxilium à Castore & Polluce petere eos jubent. Neque legati responsum sociæ urbis spreverunt: profectique in proximum templum, facto sacrificio, auxilium deorum implorant. Litatis hostiis, obtentoque, ut rebantur, quod petebant, haud secus læti, quam si deos ipsos secum advecturi essent: pulvinaria iis in navi componunt, faustisque profecti ominibus, solatia suis pro auxiliis deportant.

CAP. III. His cognitis, Crotonienses & ipsi legatos ad oraculum Delphos mittunt, victoriæ facultatem, bellique prosperos eventus deprecantes. Responsum; prius votis hostes, quam armis vincendos. Cum vovissent Apollini decimas prædæ, Locrenses & voto hostium, & responso dei cognito, nonas voverunt; tacitamque eam rem habuere, ne votis vincerentur. Itaque cum in aciem processissent, & Crotonienſium centum viginti millia armatorum constitissent, Locrenses paucitatem suam circumspicientes (nam sola quindecim millia

millia militum habebant) omissa spe victoriæ, in destinatam mortem conspirant, tantusque ardor ex desperatione singulos cepit, ut victores se putarent, si non inutili morerentur. Sed dum mori honeste quærunt, feliciter vicerunt: Nec alia causa victoriæ fuit, quam quod desperaverunt. Pugnantibus Locris, aquila ab acie nunquam recessit, eosque tam diu circumvolavit, quoad vincerent. In cornibus quoque duo juvenes diverso à ceteris armorum habitu, eximia magnitudine, & albis equis, & coccineis paludamentis, pugnare visi sunt, nec ultra apparuerunt, quam pugnatum est. Hanc admirationem auxit incredibilis famæ velocitas. Nam eadem die, qua in Italia pugnatum est, & Corintho, & Athenis, & Lacedæmone nuntiata est victoria.

CAP. IV. Post hæc Crotonienſibus nulla virtutis exercitatio, nulla armorum cura fuit. Oderant enim quæ infeliciter sumpserant; mutassentque vitam luxuriâ, ni Pythagoras philosophus fuisset. Hic Sami Demarato locuplete negotiatore natus, magisque sapientiæ incrementis ornatus, Ægyptum primo, mox Babyloniam ad perdiscendos siderum

rum motus, originemque mundi spectandam profectus, summam scientiam consequutus erat. Inde regressus, Cretam & Lacedæmona, ad cognoscendas Minois & Lycurgi inclytas ea tempestate leges contenderant. Quibus omnibus instructus, Crotonam venit, populumque in luxuriam lapsum, auctoritate sua ad usum frugalitatis revocavit. Laudabat quotidie virtutem, & vitia luxuriæ, casusque civitatium ea peste perditarum enumerabat; tantumque studium ad frugalitatem multitudinis provocavit, ut aliquos ex his luxuriatos incredibile videretur. Matronarum quoque separatam à viris doctrinam, & puerorum à parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam, & obsequia in viros; nunc illos modestiam, & litterarum studium. Inter hæc veluti genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat, consecutusque disputationum assiduitate erat, ut matronæ auratas vestes, ceterasque dignitatis suæ ornamenta, velut instrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia delata in Junonis ædem ipsi deæ consecrarent, præ se ferentes, vera ornamenta matronarum pudicitiam, non vestes esse. In juventute

ventute quoque quantum profligatum sit, victi feminarum contumaces animi manifestant. Sed CCC ex juvenibus cum sodalitii jure sacramento quodam nexi, separatam à ceteris civibus vitam exercerent, quasi cœtum clandestinæ conjurationis haberent, civitatem in se converterunt, quæ eos, cum in unam domum convenissent, cremare voluit. In quo tumultu LX. ferme petiere: ceteri in exilium profecti. Pythagoras autem cum annos XX. Crotonæ egisset, Metapontum migravit, ibique decessit: cujus tanta admiratio fuit, ut ex domo ejus templum facerent; eumque pro deo colerent.

CAP. V. Igitur Dionysius tyrannus, quem supra à Sicilia exercitum in Italiam trajecisse, bellumque Græcis intulisse memoravimus, expugnatis Locris, Crotonienses vix vires longo otio ex prioris belli clade resumentes, aggreditur: qui fortius cum paucis tanto exercitui ejus, quam antea cum tot millibus Locrensium paucitati restiterunt. Tantum virtutis paupertas adversus insolentes divitias habet, tantoque insperata interdum speratâ victoria certior est. Sed Dionysium gerentem bellum, legati Gallo-

Gallorum, qui ante menſes Romam incenderant, ſocietatem amicitiamque petentes adeunt; gentem ſuam inter hoſtes ejus poſitam eſſe, magnoque uſui ei futuram vel in acie bellanti, vel de tergo intentis in prœlium hoſtibus, affirmant. Grata legatio Dionyſio fuit. Ita pacta ſocietate, & auxiliis Gallorum auctus, bellum velut ex integro reſtaurat. Lis autem Gallis cauſa in Italiam veniendi, ſedesque novas quærendi, inteſtina diſcordia, & aſſiduæ domi diſſenſiones fuere: quarum tædio, cum in Italiam veniſſet, ſedibus Tuſcos expulerunt; & Mediolanum, Commum, Brixiam, Veronam, Vergamum, Tridentum, Vicentiam condiderunt. Tuſci quoque, duce Rhæto, avitis ſedibus amiſſis: Alpes occupavere: & ex nomine ducis gentes Rhætorum condiderunt. Sed Dionyſium in Siciliam adventus Carthaginienſium revocavit: qui reparato exercitu, bellum quod lue deſeruerant, auctis viribus repetebant. Dux belli Hanno Carthaginienſis erat: cujus inimicus Suniatus, potentiſſimus ea tempeſtate Pœnorum, cum, odio ejus, Græcis litteris, Dionyſio adventum exercitus, & ſegnitiem

ducis familiariter prænuntiasset, comprehensis epistolis, proditionis damnatur: factus senatus consulto, ne quis postea Carthaginiensis, aut literis Græcis, aut sermoni studeret; ne aut loqui cum hoste, aut scribere sine interprete posset. Nec multo post Dionysius, quem paulo ante non Sicilia, non Italia capiebat, assiduis belli certaminibus victus fractusque, insidiis ad postremum suorum interficitur.

LIBER XXI.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Dionysii junioris artes tyrannicæ describuntur.*
2. *Ejusdem luxuria, crudelitas, dolus, exilium, tyrannis in Locrenses.*
3. *Callido commento Locrenses spoliat, & obtruncat, ac Syracusas per proditionem recipit.*
4. *Hannonis tyranni dem Carthaginem occupare tentantis tragœdia.*
5. *Dionysius junior Sicilia ejectus Corinthi moratur.*
6. *Hamilcarem cognomine Rhodanum Alexandri consilia speculatum, ingrati Chartaginienses interfecerunt.*

CAP. I.

EXtincto in Sicilia Dionysio tyranno, in locum ejus milites maximum natu ex filiis ejus, nomine Dionysium, sufficere; & naturæ jus secuti, & quod firmius futurum esse regnum, si penes unum remansisset, quam

quam si portionibus inter plures filios divideretur, arbitrabantur. Sed Dionysius inter initia regni, avunculos fratrum suorum, velut æmulos imperii sui, hortatoresque puerorum ad divisionem regni, tollere gestiebat. Quare paulisper dissimulatum animum prius ad favorem popularium conciliandum intendit; excusatius facturus quod statuerat, si probatus ante omnibus foret. Igitur nexorum tria millia è carcere dimittit: tributa populo per triennium remittit; & quibuscumque delinimentis potest, animos omnium solicitat. Tunc ad destinatum facinus conversus, non cognatos tantum fratrum, sed etiam ipsos interficit: ut quibus consortium regni debebat, ne spiritus quidem consortium relinqueret, tyrannidem in suos priusquam in exteros auspicatus.

Cap. II. Sublatis deinde æmulis, in segnitiam lapsus, saginam corporis ex nimia luxuria, oculorumque valetudinem contraxit, adeo ut non solem, non pulverem, non denique splendorem ferre lucis ipsius posset. Propter quæ dum contemni se putat, sævitia grassatur; nec ut pater carcerem necis, sed cædibus civitatem replet. Ob quæ non

contemptior omnibus, quam invisior fuit. Itaque cum bellum adversus eum Syracusani decrevissent, din dubitavit, imperium deponeret, an bello resisteret. Sed à militibus prædam & urbis direptionem sperantibus, descendere in prœlium cogitur. Victus, cum iterato non felicius fortunam tentasset, legatos ad Syracusanos mittit, spondens se depositurum tyrannidem, si mitterent ad eum, quibuscum sibi de pace conveniret. In quam rem missos primores, in carcere retinet; atque ita incautis omnibus, nec quicquam hostile metuentibus, exercitum ad delendam civitatem mittit. Fit igitur in ipsa urbe anceps prœlium: in quo oppidanis multitudine superantibus, Dionysius pellitur: qui cum obsidionem arcis timeret, cum omni regio apparatu in Italiam profugit tacitus. Exul à Locrensibus sociis exceptus, velut jure regnaret, arcem occupat; solitamq; sibi sævitiam exercet. Conjuges principum ad stuprum rapi jubebat: virgines ante nuptias abducebat, stupratasq; sponsis reddebat: locupletissimos quosque aut civitate pellebat, aut occidi imperabat, bonaque eorum invadebat.

CAP. III. Dein cum rapinæ occasio deesset,

deesset, universam civitatem callido commento circumvenit. Cum Rheginorum tyranni Leophronis bello Locrenses premerentur, voverant, si victores forent, ut die festo Veneris virgines suas prostituerent. Quo voto intermisso, cum adversa bella cum Lucanis gererent, in concionem ejus Dionisius vocat: hortatur ut uxores filiasque suas in templum Veneris, quam possint ornatissimas mittant: ex quibus sorte ductæ centum, voto publico fungantur, religionisque gratia, uno itent in lupanari mense, omnibus ante juratis viris, ne quis ullam attaminet. Quæ res ne virginibus, voto civitatem solventibus, fraudi esset, decretum facerent, ne qua virgo nuberet, priusquam illæ maritis traderentur. Probato consilio, quo & superstitioni & pudicitiæ virginum consulebatur, certatim omnes feminæ impensius exornatæ, in templum Veneris conveniunt: quas omnes Dionysius immissis militibus spoliat, ornamentaque matronarum in prædam suam vertit. Quarundam viros ditiores interficit, quasdam ad prodendas virorum pecunias torquet. Cum his artibus per annos sex regnasset, conspiratione Locrorum civitate pul-

sus, in Siciliam redit. Ibi Syracusas securis omnibus, post longam intercapedinem pacis, per proditionem recepit.

CAP. IV. Dum hæc in Sicilia geruntur, interim in Africa princeps Carthaginiensium Hanno opes suas, quibus vires reipubl. superabat, ad occupandam dominationem intendit, regnumque invadere, interfecto senatu, conatus est. Cui sceleri solemnem nuptiarum diem filiæ suæ legit, ut religione votorum, nefanda commenta facilius tegerentur. Itaque plebi epulas in publicis porticibus, senatui in domo sua parat, ut poculis veneno infectis, secretius senatum, & sine arbitris interficeret, orbamque rempubl. facilius invaderet. Qua re magistratibus per ministros prodita, scelus declinatum, non vindicatum est, ne in viro tam potenti plus negotii faceret res cognita, quam cogitata. Contenti itaque cohibuisse, decreto modum nuptiarum sumptibus statuunt; idq; observari non ab uno, sed ab universis jubent, ne persona designata, non vitia correcta viderentur. Hoc consilio prævenitus, iterum servitia concitat, statutaque rursus cædium die, cum denuo se proditum videret, timens judicium, munitum

quod-

quoddam castellum cum viginti millibus servorum armatis occupat. Ibi dum Afros, regemque Maurorum concitat, capitur, virgisque cæsus, effossis oculis, & manibus cruribusque fractis, velut à singulis membris pœna exigerentur, in conspectu populi occiditur; corpus verberibus lacerum in crucem figitur. Filii quoque, cognatique omnes, etiam innoxii, supplicio traduntur, ne quisquam aut ad imitandum scelus, aut ad mortem ulciscendam, ex tam nefaria domo superesset.

CAP. V. Interea Dionysius Syracusis receptus, cum gravior crudeliorque indies civitati esset, iterata conspiratione obsidetur. Tunc deposito imperio, arcem Syracusanis cum exercitu tradidit; receptoque privato instrumento, Corinthum in exilium proficiscitur. Ibi humilima quæque tutissima existimans, in sordidissimum vitæ genus descendit: non contentus in publico vagari, sed potare: nec conspici in popinis, lupanaribusque, sed totis diebus desidere: cum perditissimo quoque de minimis rebus disceptare, pannosusque & squalidus incedere: risum libentius præbere: quam captare: in macello perstare;

quod emere non poterat, oculis devorare: apud Ædiles adversus lenones jurgari: omniaq; ita facere, ut contemnendus magis, quam metuendus videretur. Novissime, ludimagistrum professus, pueros in trivio docebat, ut aut à timentibus semper in publico videretur, aut à non timentibus facilius contemneretur. Nam licet tyrannicis vitiis semper abundaret: tamen simulatio hæc vitiorum, non naturæ erat; magisq; hæc arte, quam amisso regali pudore faciebat, expertus quam invisa tyrannorum forent etiam sine opibus nomina. Laborabat itaque invidiam præteritorum, contemptu præsentium demere: neq; honesta, sed tuta consilia circumspiciebat. Inter has tamen dissimulationum artes, insimulatus est affectatæ tyrannidis; nec aliter quam dum contemnitur, liberatus est.

CAP. IV. Inter hæc Carthaginienses tanto successit rerum Alexandri Magni exterriti: verentes ne Persico regno & Africam vellet adjungere, mittunt ad speculandos ejus animos Hamilcarem, cognomento Rhodanum, virum solertia facundiaq; præter ceteros insignem. Augebant enim metum & Tyrus urbs, auctor originis suæ, capta: & Alexandria

æmula

æmula Carthaginis, in terminis Africæ & Ægypti condita: & felicitas regis, apud quem nec cupiditas, nec fortuna ullo modo terminabantur. Igitur Hamilcar per Parmenionem aditu regis obtento, profugisse se ad regem expulsum patria fingit, militemq; se expeditionis offert. Atq; ita consiliis ejus exploratis, in tabellis ligneis, vacua desupercera inducta, civibus suis omnia perscribebat. Sed Carthaginienses post mortem regis reversum in patriam, quasi urbem regi vendita sset, non ingrato tantum, verum etiam & crudeli animo, necaverunt.

LIBER XXII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Agathoclis Siciliæ Tyranni pueritia, adolescentia, misera conditio, felicitas bellica, nova dignitas, perfidia, crudelitas, tyrannis.*
2. *Carthaginenses in Hamilcarem proditorem tacita suffragia ferunt.*
3. *Bella Agathoclis.*
4. *Syracusis à Carthaginensibus obsessis, Agathocles audaci consilio bellum in Africam infert.*
5. *Exposito in littore Africæ exercitu gravi oratione suos ad pugnam accendit.*
6. *Discussa superstitionis nebula, & navibus incensis Carthaginenses prælio superat, & urbes nobilissimas recipit.*
7. *Siciliam Carthaginenses relinquere coguntur, & infeliciter cum Agathocle pugnant in Africa. Fatum acerbum Aphellæ & Bomilcaris.*
8. *Agathocles totius Siciliæ imperium occupat: in Africam reversus infeliciter pugnat: castra deserit: unde militum defectio: filiorum Agathoclis mors cruenta: & Agathoclis pax inita cum Carthaginensibus.*

CAP. I.

AGathocles Siciliæ tyrannus, qui magnitudini prioris Dionysii succesſit, ad regni majeſtatem ex humili & ſordidi genere pervenit. Quippe in Sicilia patre figulo natus, non honeſtiorem pueritiam, quam principia originis habuit. Siquidem farina, & corporis pulchritudine egregius, diu vitam ſtupri patientia exhibuit. Annos deinde pubertatis egreſſus, libidinem à viris ad feminas transtulit. Poſt hæc apud utrumq; ſexum famoſus, vitam latrociniis mutavit. Interjecto tempore, cum Syracuſas conceſſiſſet, accitusque in civitatem inter incolas eſſet, diu ſine fide fuit; Quoniam nec in fortunis quod amitteret, nec in verecundia quod inquinaret, habere videbatur: in ſumma gregariam militiam ſortitus, non minus tunc ſeditioſa, quam antea turpi vita, in omne facinus promptiſſimus erat. Nam & manu ſtrenuus, & in concionibus perfacundus habebatur. Brevi itaq; centurio, ac deinceps tribunus militum factus eſt. Primo bello adverſus Ætnæos magna experimenta ſui Syracuſanis dedit. Sequenti Campanorum, tantam de ſe ſpem omnibus fecit, ut in locum

cum demortui ducis Damasconis sufficeretur. Cujus uxorem adulterio cognitam, post mortem viri in matrimonium recepit. Nec contentus quod ex inope repente dives factus esset, piraticam adversus patriam exercuit. Saluti ei fuit, quod socii capti tortique, de illo negaverunt. Bis occupare imperium Syracusarum voluit: bis in exilium actus est.

CAP. II. A Murgantinis apud quos exulabat, odio Syracusanorum, primo prætor, mox dux creatur. In eo bello & urbem Leontinorum capit, & patriam suam Syracusas obsidere cœpit: ad cujus auxilium Hamilcar dux Pœnorum imploratus, depositis hostilibus odiis, præsidia militum mittit. Ita uno eodemque tempore Syracusæ, & ab hoste, civili amore defensæ, & à cive, hostili odio impugnatæ sunt. Sed Agathocles, cum videret fortius defendi urbem quam oppugnari, precibus per internuntios Hamilcarem exorat, ut inter se & Syracusanos pacis arbitria suscipiat, peculiaria in ipsum officia sua repromittens. Qua spe impletus Hamilcar, societatem cum eo, metu potentiæ ejus jungit; ut quantum virium Agathocli adversus Syracusanos dedisset, tantum ipse

ad incrementa domesticæ potentiæ reciperaret. Igitur non pax tantum Agathocli conciliatur: verum etiam prætor Syracusis constituitur. Tunc Hamilcari, expositis ignibus cereis tactisque, in obsequia Pœnorum jurat. Deinde acceptis ab eo quinque millibus Afrorum, potentissimos quosque ex principibus interficit: atque ita veluti reipubl. statum formaturus, populum in theatrum ad concionem vocari jubet, contracto in gymnasio senatu, quasi quædam prius ordinaturus. Sic compositis rebus, immissis militibus populum obsidet; senatum trucidat: cujus peracta cæde, ex plebe quoque locupletissimos & promptissimos interficit.

CAP. III. His ita gestis, militem legit, exercitumque conscribit: quo instructus, finitimas civitates nihil hostile metuentes, ex improviso aggreditur. Pœnorum quoque socios, permittente Hamilcare, fœde vexat: propter quod querelas Carthaginem socii non tam de Agathocle, quam de Hamilcare detulerunt: hunc ut dominum & tyrannum, illum ut proditorem arguentes: à quo infestissimo hosti, fortunæ sociorū, interposita pactione, donatæ sint: sicut

ab

ab initio Syracusæ in pignus societatis sint traditæ, urbs semper Pœnis infesta, & de imperio Siciliæ Carthaginis æmula: nunc insuper civitates sociorum eidem titulo pacis addictas. Denunciare igitur se, hæc brevi ad ipsos redundatura, ac propediem sensuros, quantum malum non Siciliæ magis, quam ipsi Africæ attulerint. His querelis senatus in Hamilcarem accenditur. Sed quoniam in imperio esset, tacita de eo suffragia tulerunt, & sententias priusquam recitarentur, in urnam conjectas obsignari jusserunt, dum alter Hamilcar, Gisgonis filius, à Sicilia reverteretur. Sed hæc callida commenta Pœnorum, & sententias, inaudita mors Hamilcaris prævenit; liberatusque est fati munere, quem sui per injuriam cives inauditum damnaverant. Quæ res Agathocli adversus Pœnos occasionem movendi belli dedit. Prima igitur illi cum Hamilcare, Gisgonis filio, prœlii congressio fuit: à quo victus, majori mole reparaturus bellum, Syracusas concessit. Sed secundi certaminis eadem fortuna, quæ & prioris, fuit.

CAP. IV. Cum igitur victores Pœni Syracusas obsidione cinxissent, Agathocles cum se neque viribus parem, neq;

ad obsidionem ferendam instructum videret; super hæc à sociis, crudelitate ejus offensis, desertus esset: statuit bellum in Africam transferre: mira prorsus audacia, ut quibus in solo urbis suæ par non erat, eorum urbi bellum inferret; & qui sua tueri non poterat, impugnaret aliena; victusque victoribus insultaret. Hujus consilii non minus admirabile silentium, quam commentum fuit, populo hoc solum professus, invenisse se victoriæ viam: animos illi tantum in brevem obsidionis patientiam firmarent: vel si cui status præsentis fortunæ displiceret, dare se ei discedendi liberam potestatem. Cum mille sexcenti discessissent, ceteros ad obsidionis necessitatem frumento & stipendio instruit: quinquaginta tantum secum talenta ad præsentem usum aufert, cetera ex hoste melius, quam ex sociis paraturus. Omnes deinde servos, militaris ætatis, libertate donatos sacramento adegit, eosque ad majorem partem ferme militum navibus imponit; ratus exæquata utriusque ordinis conditione, mutuam inter eos virtutis æmulationem futuram: ceteros omnes ad tutelam patriæ reliquit.

CAP. V. Septimo igitur imperii anno,

no, comitibus duobus adultis filiis, Archagatho & Heraclida, nullo militum sciente quo veheretur, cursum in Africam dirigit. Cum omnes aut in Italiam prædatum se, aut in Sardiniam ituros crederent, tum primum, expositio in Africæ littore exercitu, consilium suum omnibus aperit. Quo in loco Syracusæ positæ sint, ostendit: quibus aliud nullum auxilium superesset, quam ut hostibus faciant, quæ ipsi patiantur. Quippe aliter domi, aliter foris bella tractari. Domi ea sola auxilia esse, quæ patriæ vires subministrent: fores hostem etiam suis viribus vinci deficientibus sociis, & odii diuturni imperii externa auxilia circumspicientibus. Huc accedere, quod urbes, castellaque Africæ non muris cinctæ, non in montibus positæ sint, sed in planis campis sine ullis munimentis jaceant: quas omnes metu excidii facile ad belli societatem perlisi posse. Majus igitur Carthaginiensibus ab ipsa Africa, quam ex Sicilia exarsurum bellum; coituraque auxilia omnium adversus unam urbem, nomine quam opibus ampliorem, & quas non attulerit vires, inde sumpturum. Nec in repentino Pœnorum metu, modicum momentum

mentum victoriæ fore, qui tanta audacia hostium perculsi, trepidaturi sint. Accessura & villarum incendia, castellorum, urbiumq; contumacium direptionem, tum ipsius Carthaginis obsidionem. Quibus omnibus non sibi tantum in alios, sed & aliis in se sentient patere bella. His non solum Pœnos vinci, sed & Siciliam liberari posse. Nec enim moraturos in ejus obsidione hostes, cum sua urgeantur. Nusquam igitur alibi facilius bellum, sed nec prædam uberiorem inveniri posse. Nam capta Carthagine, omnem Africam Siciliamq; præmium victorum fore. Gloriam certe tam honestæ militiæ tantum in omne ævum futurum, ut terminari nullo tempore oblivione possint; ut dicatur eos solos mortalium esse, qui bella, quæ domi ferre non poterant, ad hostes transtulerint, victique victores insecuti sint, & obsessores urbis suæ obsederint. Omnibus igitur forti ac læto animo bellum ineundum, quo nullum aliud possit aut præmium victoribus uberius, aut victis monumentum illustrius dare.

CAP. VI. His quidem adhortationibus animi militum erigebantur: sed terrebat eos portenti religio, quod navigantibus eis, sol defecerat. Cujus rei rationem, non minore cura rex, quam belli

redde-

reddebat, affirmans, si priusquam pro-
-ficiscerentur, factum esset, crediturum
adversum profecturos prodigium esse:
nunc quia egressus acciderit, illis ad quos
eatur portendere. Porro defectus na-
turalium siderum semper præsentem re-
rum statum mutare: certumque esse flo-
rentibus Carthaginiensium opibus, ad-
versisque rebus, suis commutationem
significari. Sic consolatis militibus,
universas naves, consentiente exercitu,
incendi jubet, ut omnes scirent, auxilio
fugæ adempto, aut vincendum, aut mo-
riendum esse. Deinde cum omnia, qua-
cunq; ingrederentur, prosternerent, vil-
las castellaq; incenderent, obvius eis fuit
cum XXX. millibus Pœnorum Hanno:
sed prœlio commisso, duo de Siculis, tria
millia de Pœnis cum ipso duce cecidere.
Hac victoria & Siculorum animi erigun-
tur, & Pœnorum franguntur. Agathocles
victis hostibus, urbes castellaq; expu-
gnat, prædas ingentes agit, hostiũ multa
millia trucidat. Castra deinde quinto
lapide à Carthagine statuit, ut damna ca-
rissimarũ rerum, vastitatemq; agrorum,
& incendia villarum, de muris ipsius ur-
bis specularentur. Interea ingens tota A-
frica deleti Pœnorum exercitus fama, oc-

cupa-

cupatarumque urbium, divulgatur. Stupor itaque omnes & admiratio incessit, unde tanto imperio tam subitum bellum, præsertim ab hoste jam victo, admiratio deinde paulatim in contemptum Pœnorum vertitur. Nec multo post non Afri tantum, verum etiam urbes nobilissimæ novitatem sequutæ, ad Agathoclem defecere; frumentoque & stipendio victorem instruxere.

CAP. VII. His Pœnorum malis etiam deletus in Sicilia cum imperatore exercitus, velut quidam ærumnarum cumulus accessit. Nam post profectionem à Sicilia Agathoclis, in obsidione Syracusarum Pœni segniores redditi, ab Antandro fratre regis Agathoclis occidione cæsi nuntiabantur. Itaque cum domi forisque eadem fortuna Carthaginiensium esset, jam non tributariæ tantum ab his urbes, verum etiam socii reges deficiebant, amicitiarum jura non fide, sed successu ponderantes. Erat inter ceteros, rex Cyrenarum Aphellas, qui spe improba, regnum totius Africæ amplexus, societatem cum Agathocle per legatos junxerat; pactusque cum eo fuerat, ut Siciliæ illi, sibi Africæ imperium, victis Carthaginiensibus, cederet.

Itaque

Iraque cum ad belli societatem cum ingenti exercitu ipse veniſſet, Agathocles blando alloquio, & humili adulatione, cum ſæpius ſimul cœnaſſent, adoptatusque filius ejus ab Aphella eſſet, incautum interficit: occupatoque exercitu ejus, iterato Carthaginienſes omnibus viribus bellum cientes, magno utriusq; exercitus ſanguine, gravi prœlio ſuperat. Hoc certaminis diſcrimine tanta deſperatio illata Pœnis eſt, ut niſi in exercitu Agothoclis orta ſeditio fuiſſet, transiturus ad eum Bomilcar, rex Pœnorum, cum exercitu fuerit. Ob quam noxam in medio foro à Pœnis patibulo ſuffixus eſt: ut idem locus monumentum ſupplicioremejus eſſet, qui ante fuerat ornamentum honorum. Sed Bomilcar magno animo crudelitatem civium tulit; adeo ut de ſumma cruce, veluti de tribunali, in Pœnorum ſcelera concionaretur: objectans illis, nunc Hannonem falſa affectati regni invidia circumventum: nunc Gisgonis innocentis exilium: nunc in Hamilcarem patruum ſuum tacita ſuffragia, quod Agathoclem ſocium illis facere, quam hoſtem maluerit. Hæc cum in maxima populi concione vociferatus eſſet, expiravit.

CAP.

CAP. VIII. Interea Agathocles profligatis in Africa rebus, tradito Archagatho filio exercitu, in Siciliam recurrit: nihil actum in Africa existimans, si amplius Syracusæ obsiderentur. Nam post occisum Hamilcarem, Gisgonis filium, novus eo à Pœnis missus exercitus fuerat. Statim igitur primo adventu ejus, omnes Siciliæ urbes auditis rebus, quas in Africa gesserat, certatim se ei tradunt: atq; ita pulsis à Sicilia Pœnis, totius insulæ imperium occupavit. In Africam deinde reversus, seditione militum excipitur. Nam stipendiorum solutio in adventum patris dilata à filio fuerat. Igitur ad concionem vocatos, blandis verbis permulsit: stipendia illis non à se flagitanda esse; sed ab hoste quærenda: communem victoriam, communem prædam futuram. Paulum modo anniterentur, dum belli reliquiæ peraguntur; cum sciant, Carthaginem captam, spes omnium expleturam. Sedato militari tumultu, interjectis diebus, ad castra hostium exercitum ducit: ibi inconsultius prœlium committendo, majorem partem exercitus perdidit. Cum itaq; in castra fugisset, versamq; in se invidiam temere commissi belli videret, pristinamq; offensam non depensi stipen-

pendii metueret; concubia nocte solus à castris eum Archagato filio profugit. Quod ubi milites cognovere, haud secus quam si ab hoste capti essent, trepidavere: Bis se à regno suo in mediis hostibus relictos esse proclamantes, salutemq; suam desertam ab eo esse, quorum ne sepultura quidem relinquenda fuerit. Dum persequi regem vellent, à Numidis excepti, in castra revertuntur; comprehenso tamen reductoque Archagatho, qui à patre noctis errore discesserat. Agathocles autem navibus, quibus reversus à Sicilia fuerat, cum custodibus earundem Syracusas defertur. Exemplum flagitii singulare, rex exercitus sui desertor, filiorumq; pater proditor. Interim in Africa post fugam regis; milites pactione cum hostibus facta, interfectis Agathoclis liberis, Carthaginiensibus se tradidere. Archagathus cum occideretur ab Archesilao amico antea patris, rogavit eum quidnam liberis ejus facturum Agathoclem putet, per quem ipse liberis careat? Tunc respondit, satis habere se, quod superstites eos esse Agathoclis liberis sciat. Post hæc Pœni ad persequendum belli reliquias, duces in Siciliam miserunt, cum quibus Agathocles pacem æquis conditionibus fecit. LIBER

LIBER XXIII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Agathocles transit in Italiam adversus Bruttios. Quorum origo & potentia paucis perstringitur.*
2. *Agathocles vi morbi expugnatus revertitur in Siciliam: ubi turbæ domesticæ; quæ uxorem & liberos Agathoclis in Ægyptum pellunt. Agathoclis obitus.*
3. *Pyrrhi Epirotæ bella & res gestæ, tum in Sicilia, tum in Italia.*
4. *Hieronis Siciliæ Principis laudatissimi dignitas & virtus.*

CAP. I.

AGathocles rex Siciliæ pacificatus cum Carthaginiensibus, partem civitatium ase fiducia virium dissidentem armis subegit. Dein quasi angustis insulæ terminis clauderetur, cujus imperii partem primis incrementis ne speraverat quidem, in Italiam transcendit; exemplum Dionysii secutus, qui multas civitates Italiæ subegerat. Primi igitur hostes illi Brutii fuere, qui & fortissimi tum & opulentissimi videbantur, simul & ad injurias vicinorum prompti. Nam multas civitates Græci nominis Italia expulerant: auctores quoque suos Lucanos bello vicerant, & pacem cum his, æquis legibus fecerant. Tanta feritas animorum erat, ut nec origini suæ parcerent. Namque Lucani iisdem legibus liberos suos, quibus & Spartani, instituere soliti erant.

Quippe

Quippe ab initio pubertatis, in silvis inter pastores habebantur, sine ministerio servili, sine veste quam induerent, vel cui incubarent; ut à primis annis duritiæ parcimoniæque, sine ullo usu urbis, assuescerent. Cibus his præda venatica, potus aut lactis, aut fontium liquor erat. Sic ad labores bellicos indurabantur. Horum igitur ex numero quinquaginta primo ex agris finitimorum prædari soliti, confluente deinde multitudine, sollicitati præda, cum plures facti essent, infestas regiones reddebant. Itaque fatigatus querelis sociorum Dionysius Siciliæ tyrannus, sexcentos Afros ad compescendos eos miserat, quorum castellum proditum sibi per Bruttiam mulierem, expugnaverunt; ibique civitatem, concurrentibus ad opinionem novæ urbis pastoribus, statuerunt; Bruttiosque se ex nomine mulieris vocaverunt. Primum illis cum Lucanis, originis suæ auctoribus, bellum fuit. Qua victoria erecti, cum pacem æquo jure fecissent, ceteros finitimos armis subegerunt; tantasq; opes brevi consecuti sunt, ut pernicioſi etiam regibus haberentur. Deniq; Alexander rex Epiri, quum in auxilium Græcarum civitatum, cum magno exercitu,

citu, in Italiam veniſſet, cum omnibus copiis ab his deletus eſt. Quare feritas eorum ſucceſſu felicitatis incenſa, diu terribilis finitimis fuit. Ad poſtremum imploratus Agathocles, ſpe ampliandi regni, à Sicilia in Italiam trajecit.

CAP. II. Principio adventus opinionis ejus concuſſi, legatos ad eum, ſocietatem amicitiamque petentes miſerunt. Quos Agathocles ad cœnam invitatos, ne exercitum trajici viderent, in poſterum ſtatuta his die, conſcenſis navibus fruſtratus eſt. Sed fraudis haud lætus eventus fuit: ſiquidem reverti eum in Siciliam, interjectis paucis diebus, vis morbi coëgit, quo toto corpore comprehenſus, per omnes nervos articulosque humore peſtivero graſſante, velut inteſtino ſingulorum membrorum bello impugnabatur. Ex qua deſperatione bellum inter filium nepotemque ejus, regnum jam quaſi mortui vindicantibus, oritur: occiſo filio, regnum nepos occupavit. Igitur Agathocles, cum morbi cura, & ægritudo graviores eſſent, & inter ſe alterum alterius malo creſceret; deſperatis rebus, uxorem ſuam Texenam, genitosque ex ea duos parvulos, cum omni pecunia, & familia, regalique inſtru-

instrumento, quo præter illum nemo regum ditior fuit, navibus impositos Ægyptum, unde uxorem acceperat, remittit; timens, ne prædonem regni sui, hostem paterentur. Quamquam uxor diu, ne ab ægro divelleretur, deprecata est, ne discessus suus adjungi nepotis parricidio posset, & tam cruente hæc deseruisse virum, quam ille impugnasse avum videretur; Nubendo se non prosperæ tantum, sed omnis fortunæ iniisse societatem: nec invitam periculo spiritus sui empturam, ut extremos viri spiritus exciperet; & exsequiarum officium, in quod, profecta se, nemo sit successurus, obsequio debitæ pietatis impleret. Discedentes parvuli, flebili ululatu amplexi patrem tenebant. Ex altera parte uxor maritum, non amplius visura, oculis fatigabat. Nec minus senis lacrymæ miserabiles erant. Flebant hi morientem patrem; ille exules liberos: hi discessu suo solitudinem patris, ægri senis; ille in spem regni susceptos relinqui in egestate lugebat. Inter hæc regia omnis, assistentium fletibus tam crudelis discidii impleta, resonabat. Tandem finem lacrymis necessitas profectionis imposuit, & mors regis proficiscentes filios insequuta est.

Dum hæc aguntur, Carthaginienſes cognitis quæ in Sicilia agebantur, occaſionem totius inſulæ occupandæ datam ſibi exiſtimantes, magnis viribus eo trajiciunt; multasque civitates ſubigunt.

CAP. III. Eo tempore & Pyrrhus adverſus Romanos bellum gerebat; qui imploratus à Siculis in auxilium, ſicuti dictum eſt, cum Syracuſas veniſſet, multasque civitates ſubegiſſet, rex Siciliæ, ſicuti Epiri, appellatur. Quarum rerum felicitate lætus, Heleno filio Siciliæ, velut avidum, (nam ſuſceptus ex filia Agathoclis regis erat) Alexandro autem Italiæ regnum deſtinat. Poſt hæc multa ſecunda prœlia cum Carthaginienſibus facit. Interjecto deinde tempore, legati ab Italicis ſociis venere, nuntiantes Romanis reſiſti non poſſe, deditionemq; futuram, niſi ſubveniat. Anxius tam ambiguo periculo, incertusque quid ageret, vel quibus primum ſubveniret, in utrumque pronus conſultabat. Quippe inſtantibus hinc Carthaginienſibus, inde Romanis, periculoſum videbatur, exercitum in Italiam non trajicere; periculoſius, à Sicilia deducere; ne aut illi non lata ope, aut hi deſerti amitterentur. In hoc æſtu periculorum, tutiſſimus portus

portus consiliorum visus est, omnibus viribus decernere in Sicilia; & profligatis Carthaginiensibus, victorem exercitum transponere in Italiam. Itaque conserto prœlio, cum superior fuisset, quoniam tamen à Siciliam abiret, pro victo fugere visus est: ac præterea socii ab eo defecerunt; & imperium Siciliæ tam cito amisit, quam facile quæsierat. Sed nec in Italia meliore felicitate usus, in Epirum revertitur. Admirabilis utriusq; rei casus, in exemplum fuit. Nam sicut ante secunda fortuna, rebus supra vota fluentibus, Italiæ Siciliæque imperium, & tot de Romanis victorias adstruxerat: ita nunc adversa, velut in ostentionem fragilitatis humanæ, destruens quæ cumulaverat, Siciliensi ruinæ naufragium maris, & fœdam adversus Romanos pugnã, turpemq; ab Italia discessum adjecit.

CAP. IV. Post profectionem à Sicilia Pyrrhi, magistratus Hiero creatur; cujus tanta moderatio fuit, ut consentiente omnium civitatium favore, dux adversus Carthaginienses primum, mox rex crearetur. Hujus futuræ majestatis ipsa infantis educatio quasi prænuntia fuit: quippe genitus erat patre Hieroclyto, nobili viro, cujus origo à Gelo,

antiquo Siciliæ tyranno, manabat: sed maternum illi genus sordidum, atque adeo pudibundum fuit. Nam ex ancilla natus, ac propterea à patre, velut de honestamentum generis, expositus fuerat. Sed parvulum, & humanæ opis egentem, apes, congesto circa jacentem melle, multis diebus aluere. Ob quam rem responso aruspicum admonitus pater, qui regnum infanti portendi canebant, parvulum recolligit, omnique studio ad spem majestatis, quæ promittebatur, instituit. Eidem in ludo inter coæquales discenti, lupus tabulam, in turba puerorum repente conspectus, eripuit. Adolescenti quoque prima bella ineunti, aquila in clypeo, noctua in hasta consedit. Quod ostentum & consilio cautum, & manu promptum, regemque futurum significabat. Denique adversus provocatores sæpe pugnavit, semperque victoriam reportavit. A Pyrrho rege multis militaribus donis donatus est. Pulchritudo ei corporis insignis, vires quoque in homine admirabiles fuere: in alloquio blandus, in negotio justus, in imperio moderatus: prorsus ut nihil ei regium deesse, præter regnum, videretur.

LIBER

LIBER XXIV.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Græciæ civitates aliæ in alias assurgunt.*
2. *Ptolemæi Macedonis in sororem Arsinoen conspiratio.*
3. *Incestuosæ Ptolemæi & Arsinoes nuptia, tragicis casibus solvuntur.*
4. *Gallorum qui Ptolemæum vicerunt & interfecerunt in Macedoniam irruptio.*
5. *Quo stratagemate Ptolemæum aggressi sint, & oppresserint. Macedonum luctus & instauratio.*
6. *Alia Gallorum Brenno Duce in Græciam expeditio: & de spoliatione Delphici templi consilium. Hujus templi & oraculi descriptiones.*
7. *Brenni & aliorum consultatio de templi oppugnatione, & hortatio ad milites.*
8. *Oppugnatio irrita: & clades Gallici exercitus Brenno interfecto.*

CAP. I.

DUm hæc in Sicilia geruntur, interim in Græcia dissidentibus inter se bello Ptolemæo Cerauno, & Antiocho, & Antigono regibus: omnes ferme Græciæ civitates, ducibus Spartanis velut occasione data, ad spem libertatis erectæ, missis invicem legatis, per quos in societatis fœdera allegarentur, in bellum prorumpunt: & necum Antigono, sub cujus regno erant, bellum cepisse viderentur, socios ejus Ætolos aggrediuntur, causas belli prætendentes, quod consensu Græciæ saeratum Apollini Cirræum campum, per vim occupassent. Huic bello ducem deligunt

ligunt Arean; qui adunato exercitu, urbes, sataque in his campis posita, depopulatur: quæ auferri non poterant, incendit. Quod cum è montibus conspicati Ætolorum pastores essent, congregati admodum quingenti, sparsos hostes, ignorantesque quanta manus esset, quoniam conspectum illis metus & incendiorum fumus abstulerat, confectantur, trucidatisq; admodum novem millibus, prædones in fugam verterunt. Reparantibus deinde Spartanis bellum, auxilium multæ civitates negaverunt, existimantes, dominationem eos, non libertatem Græciæ, quærere. Interea inter reges bellum finitur: nam Ptolemæus pulso Antigono cum regnum totius Macedoniæ occupasset, pacem cum Antiocho facit; affinitatemque cum Pyrrho, data ei in matrimonium filia sua, jungit.

CAP. II. Exinde externo metu depositio, impium & facinorosum animum ad domestica scelera convertit, insidiasque Arsinoæ sorori suæ instruit: quibus & filios ejus vita, & ipsam Cassandreæ urbis possessione privaret. Primus ei dolus fuit, simulato amore, sororis matrimonium petere, aliter enim ad sororis filios, quorum regnum occupaverat,

verat, quam concordiæ fraude pervenire non poterat. Sed nota scelerata Ptolemæi voluntas sorori erat. Itaque non credenti mandat, velle se cum filiis ejus regni consortium jungere: cum quibus non ideo se armis contendisse, quoniam eripere his regnum; sed quod id facere sui muneris vellet. In hoc mitteret arbitrum jurisjurandi: quo præsente apud deos patrios, quibus vellet obsecrationibus, se obligaret. Incerta Arsinoë quid ageret: si mitteret, decipi perjurio: si non mitteret, provocare rabiem fraternæ crudelitatis timebat. Itaq; plus liberis, quam sibi timens, quos matrimonio suo protecturam se arbitrabatur, mittit ex amicis suis Chodionem: quo perducto in sanctissimũ Jovis templum, veterrimæ Macedonum religionis, Ptolemæus sumptis in manus altaribus, contingens ipsa simulacra, & pulvinaria deorum, inauditis, ultimisque execrationibus adjurat, se sincera fide matrimonium sororis petere; nuncupaturumque se eam reginam; neque in contumeliam ejus se aliam uxorem, aliosve, quam filios ejus, liberos habiturum. Arsinoë postquam & spe impleta est, & metu soluta, ipsa cum fratre colloquitur: cujus vultus, &

blandientes oculi, cum fidem non minorem, quam jurisjurandum promitterent, reclamante Ptolemæo filio fraudem subesse, in matrimonium fratris concedit.

CAP. III. Nuptiæ magno apparatu, lætitiaque omnium celebrantur. Ad concionem quoque vocato exercitu, capiti sororis diadema imponit, reginamque eam appellat. Quo nomine in lætitiam effusa Arsinoë, quia quod morte Lysimachi prioris mariti amiserat, recepisset; ultro virum in urbem suam Cassandream invitat; cujus urbis cupiditate fraus struebatur. Prægressa igitur virum, diem festum urbi in adventum ejus indicit: domos, templa, ceteraque omnia exornari jubet: aras ubique hostiasque disponi: filios quoque suos, Lysimachum sexdecim annos natum, Philippum triennio minorem, utrumque forma insignem, coronatos occurrere jubet. Quos Ptolemæus ad celandam fraudem, cupide & ultra modum veræ affectionis amplexus, osculis diu fatigat. Ubi ad portam ventum est, occupari arcem jubet; pueros interfici. Qui cum ad matrem confugissent, in gremio ejus, inter ipsa oscula trucidantur. Proclamante Arsinoë, quod tantum nefas

aut

aut nubendo, aut post nuptias contraxisset, pro filiis sæpe se percussoribus obtulit: frequenter corpore suo puerorum corpora amplexata protexit: vulneraque excipere quæ liberis intendebantur, voluit. Ad postremum etiam spoliata funeribus filiorum, scissa veste, & crinibus sparsis, cum duobus servulis ex urbe protracta, Samothraciam in exilium abiit; eo miserior, quod mori cum filiis ei non licuit. Sed nec Ptolemæo inulta scelera fuerunt. Quippe diis immortalibus tot perjuria, & tam cruenta parricidia vindicantibus, brevi post à Gallis spoliatus regno, captusque, vitam ferro, ut meruerat, amisit.

Cap. IV. Namque Galli, abundanti multitudine, cum eos non caperent terræ quæ genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quærendas, velut ver sacrum miserunt. Ex his portio in Italia consedit, quæ & urbem Romanam captam incendit; & portio Illyricos sinus, ducibus avibus (nam augurandi studio Galli præter ceteros callent) per strages Barbarorum penetravit, & in Pannonia consedit: gens aspera, audax, bellicosa, quæ prima post Herculem, cui ea res virtutis admirationem & im-

mortalitatis fidem dedit, Alpium invicta juga, & frigore intractabilia loca transcendit: ibi domitis Pannoniis, per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante deinde successu, divisis agminibus, alii Græciam, alii Macedoniam: omnia ferro proterentes, petivere. Tantusque terror Gallici nominis erat, ut etiam reges non lacessiti, ultro pacem ingenti pecunia mercarentur. Solus Rex Macedoniæ Ptolemus, adventum Gallorum intrepidus audivit; hisque cum paucis & incompositis, quasi bella non difficilius, quam scelera patrarentur, parricidiorum furiis agitatus, occurrit. Dardanorum quoque legationem, viginti millia armatorum in auxilium offerentem, sprevit; addita insuper contumelia; actum de Macedonia dicens, si cum totum Orientem soli domuerint, nunc in vindictam finium Dardanis egeant: milites se habere filios eorum, qui sub Alexandro rege stipendia, toto orbe terrarum victores, fecerint. Quæ ubi Dardano regi nuntiata sunt, inclytum illud Macedoniæ regnum brevi immaturi juvenis temeritate casurū dixit

CAP. V. Igitur Galli, duce Belgio, ad tentandos Macedonum animos, legatos

tos ad Ptolemæum mittunt, offerentes pacem, si emere velit: sed Ptolemæus inter suos, belli metu pacem Gallos petere gloriatus est. Nec minus ferociter se legatis, quam inter amicos jactavit; aliter se pacem daturum negando, nisi principes suos obsides dederint, & arma tradiderint. non enim fidem se, nisi inermibus, habiturum. Renuntiata legatione, risere Galli, undique acclamantes, brevi sensurum, sibi an illi consulentes, pacem obtulerint. Interjectis diebus, prœlium conseritur, victique Macedones cæduntur. Ptolemæus multis vulneribus saucius capitur: caput ejus amputatum, & lancea fixum, tota axie ad terrorem hostem circumfertur. Paucos ex Macedonibus fuga servavit: ceteri aut capti, aut occisi. Hæc cum nuntiata per omnem Macedoniam essent, portæ urbium clauduntur; luctu omnia replentur. nunc orbitatem amissorum filiorum dolebant: nunc excidia urbium metuebant: nunc Alexandri, Philippique regum suorum nomina, sicuti numina, in auxilium vocabant. sub illis se non solum tutos, verum etiam victores orbis terrarum extitisse, ut tuerentur patriam suam, quam gloria rerum gestarum cœlo proximam

ximam reddidissent; ut opem afflictis ferrent, quos furor & temeritas Ptolemæi regis perdidisset, orabant. Desperantibus omnibus, non votis agendum, Sosthenes unus de Macedonum principibus, ratus, contracta juventute, & Gallos victoria exultantes compescuit; & Macedoniam ab hostili populatione defendit. Ob quæ virtutis beneficia, multis nobilibus regnum Macedoniæ affectantibus, ignobilis ipse præponitur: & cum rex ab exercitu appellatus esset, ipse non in regis, sed ducis nomen jurare milites compulit.

CAP. VI. Interea Brennus, quo duce portio Gallorum in Græciam se effuderat, audita victoria suorum, qui Belgio duce Macedones vicerant: indignatus parta victoria opimam prædam, & Orientis spoliis onustam tam facile relictam esse, ipse adunatis CL millibus peditum, & XV millibus equitum, in Macedoniam irrumpit. Cum agros villasq; popularetur, occurrit ei cum instructo exercitu Macedonum Sosthenes: sed pauci à pluribus, trepidi à valentibus facile vincuntur. Itaq; cum victi se Macedones intra muros urbium condidissent; victor Brennus, nemine prohibente, totius Macedo-

aiæ

niæ agros deprædatur. Inde qnasi terrena jam spolia sorderent, animum ad deorum immortaliũ templa convertit, scurriliter jocatus, locupletes deos largiri hominibus oportere. Statim igitur Delphos iter vertit, prædam religioni, aurum offensæ deorum immortalium præferens; quos nullis opibus egere, ut qui eas largiri hominibus soleant, affirmabat. Templum autem Apollinis Delphis positum est in monte Parnaso, in rupe undique impendente: ibi civitatem frequentia hominum facit: qui ad affirmationem majestatis undique concurrentes, in eo saxo consedere: atq; ita templum & civitatem non muri, sed præcipitia; nec manu facta, sed naturalia præsidia defendunt: prorsus ut incertum sit, utrum munimentum loci, an majestas dei plus hic admirationis habeat. Media saxi rupes in formam theatri recessit. Quamobrem & hominum clamor, & si quando accedit tubarum sonus, personantibus & respondentibus inter se rupibus, multiplex audiri, ampliorumque quam editur, resonare solet. Quæ res majorem majestatis terrorem ignaris rei, & admirationem, stupentibus plerumque affert. In hoc rupis anfractu, media ferme

montis altitudine, plancies exigua est, atque in ea profundum terræ foramen, quod in oracula patet: ex quo frigidus spiritus, vi quadam velut vento in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertit; impletasque deo, responsa consulentibus dare cogit. Multa igitur ibi & opulenta regum populorumq; visuntur munera; quæque magnificentia sui reddentium vota gratam voluntatem, & deorum responsa manifestant.

CAP. VII. Igitur Brennus cum in conspectu haberet templum, diu deliberavit, an confestim rem aggrederetur: an vero fessis via militibus, noctis spatium ad resumendas vires daret. Emanus & Thessalorus duces, qui se ad prædæ societatem junxerant, amputari moras jubent, dum imparati hostes, & recens adventus sui, terrori esset: interjecta nocte & animos hostibus, forsitan & auxilia accessura; & vias quæ tunc pateant, obstructum iri. Sed Gallorum vulgus ex longa inopia, ubi primum vino, ceterisq; commeatibus referta rura invenit, non minus abundantia, quam victoria lætum, per agros se sparserat; desertisque signis ad occupanda omnia pro victoribus vagabantur. Quæ res dilationem Delphis dedit.

dedit. Prima namque opinionem adventus Gallorum prohibiti agrestes oraculis feruntur, messes, vinaque villis efferre: Cujus rei salutare præceptum non prius intellectum est, quam vini, ceterarumque copiarum abundantia velut mora Gallis objecta, auxilia finitimorum convenere. Prius itaque urbem suam Delphi, aucti viribus sociorum, permunivere, quam Galli vino velut prædæ incubantes, ad signa revocarentur. Habebat Brennus lecta ex omni exercitu peditum sexaginta quinque millia: Delphorum sociorumque non nisi quatuor millia militum erant; quorum contemptu Brennos ad acuendos suorum animos, prædæ ubertatem omnibus ostendebat, statuasq; cum quadrigis, quarum ingens copia procul visebatur, solido auro fusas esse, plusque in pondere, quam in specie habere prædæ affirmabat.

CAP. VIII. Hac asseveratione incitati Galli, simul & hesterno mero saucii, sine respectu periculorum in bellum ruebant. Contra Delphi plus in deo, quam in viribus reponentes, cum contemptu hostium resistebant; scandentesque Gallos e summo montis vertice, partim saxo, partim armis obruebant. In hoc partium

tium certamine, repente universorum templorum antistites, simul & ipsi vates, sparsis crinibus, cum insignibus atq; infulis, pavidi vecordesque in primam pugnantium aciem procurrunt: adveniſſe Deum clamant; eumq; ſe vidiſſe deſilientem in templum per culminis aperta faſtigia. Dum omnes opem dei ſuppliciter implorant, juvenem ſupra humanum modum inſignis pulchritudinis, comitesque ei duas armatas virgines, ex propinquis duabus Dianæ Minervæque ædibus occurriſſe, nec oculis tantum hæc ſe perſpexiſſe: audiſſe etiam ſtridorem arcus, ac ſtrepitum armorum, proinde ne cunctarentur, diis anteſignanis, hoſtem cedere, & victoriæ deorum ſocios ſe adjungere, ſummis obſecrationibus monebant. Quibus vocibus inſenſi, omnes certatim in prœlium proſiliunt. Præſentiam dei & ipſi ſtatim ſenſere, nam & terræ motu portio montis abrupta, Gallorum ſtravit exercitum, & confertiſſimi cunei non ſine vulneribus hoſtium diſſipati ruebant. Inſecuta deinde tempeſtas eſt, quæ grandine & frigore ſaucios ex vulneribus abſumpſit. Dux ipſe Brennus cum dolorem vulnerum ferre non poſſet, pugione vitam finivit,

nivit. Alter ex ducibus, punitis belli auctoribus, cum decem millia sauciorum citato agmine Græciæ excedit. Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit: siquidem pavidis nulla sub tectis acta nox; nullus sine labore & periculo dies; assidui imbres & gelu, nix concreta, & fame lassitudo, & super hæc maximum pervigiliæ malum, miseras infelicis belli reliquias obterebant. Gentes quoque nationesque, per quas iter habebant, palantes velut prædam sectabantur. Quo pacto evenit, ut nemo ex tanto exercitu, qui paulo ante fiducia virium etiam adversus deos contendebat, vel ad memoriam tantæ cladis, supereſſet.

LIBER XXV.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Gallorum in Antigonum Macedoniæ Regem conspiratio.*
2. *Dum ad prædam currunt, prædæ fiunt ipsi. & Antigonus pacem obtinet. Nomen Gallorum formidabile & armorum invicta felicitas.*
3. *Pyrrhus Macedonia potitur, Antigono ejecto.*
4. *Pyrrhus dum Monarchiam somniat, à Spartanis mulieribus atteritur.*
5. *Pyrrhus apud Argos occiditur, cujus elogium & rerum summam Iustinus subjicit.*

CAP. I.

INter duos reges, Antigonum & Antiochum, statuta pace, cum in Macedoniam Antigonus,

gonus reverteretur, novus eidem repente hostis exortus est. Quippe Galli, qui à Brenno duce, cum in Græciam proficiscerentur, ad terminos gentis tuendos relicti fuerant, ne soli desides viderentur, peditum quindecim millia, equitum tria millia armaverunt; fugatisque Getarum Triballarumque copiis, Macedoniæ imminentes, legatos ad regem miserunt, qui pacem ei venalem offerent, simul & regis castra specularentur. Quos Antigonus pro regali munificentia, ingenti apparatu epularum ad cœnam invitavit. Sed Galli expositum grande auri argentique pontus admirantes, atque prædæ ubertate solicitati, infestiores quam venerant, revertuntur. Quibus & elephantos ad terrorem, velut inusitatas Barbaris formas, rex ostendi jusserat, & naves onustas copiis demonstrari: ignarus, quod quibus ostentatione virium, metum se injicere existimabat, eorum animos ut ad opimam prædam solicitabat. Itaque legati ad suos reversi, omnia in majus extollentes, opes pariter & negligentiam regis ostendunt: referta auro & argento castra; sed neque vallo, fossave munita: & quasi satis munimenti in divitiis haberent, ita eos omnia officia milita-

militaria intermisisse : prorsus quasi ferri auxilio non indigerent, quoniam abundarent auro.

CAP. II. Hac relatione, avidæ gentis animi satis ad prædam incitabantur. Accedebat tamen & exemplum Belgii, qui non magno ante tempore Macedonum exercitum cum rege trucidaverat. Itaque consentientibus omnibus, nocte castra regis aggrediuntur: qui præsentiens tantam tempestatem, signum pridie dederat, ut omnibus rebus ablatis, in proxima silva taciti se occultarent. Neque aliter servata castra, quam quod deserta sunt. Siquidem Galli, ubi omnia vacantia, nec sine defensoribus modo, verum etiam sine custodibus vident, non fugam hostium, sed dolum arbitrantes, diu intrare portas timuerunt. Ad postremum integris & intactis munimentis, scrutantes potius quam diripientes, castra occupaverunt. Tunc ablatis quæ invenerant, ad littus convertuntur. Ibi dum naves incautius diripiunt, à remigibus, & ab exercitus parte, quæ eo cum conjugibus & liberis confugerant, nihil tale metuentes trucidantur : tantaq; cædes Gallorum fuit, ut Antigono pacem opinio hujus victoriæ, non à Gallis tantum,

tum, verum etiam à finitimorum feritate præstiterit. Quanquam Gallorum ea tempestate tantæ fecunditatis juventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent. Deniq; neq; reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt: neq; pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerunt. Tantus terror Gallici nominis; & armorum invicta felicitas erat, ut aliter neque majestatem suam tutam, neque amissam reciperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. Itaque in auxilium à Bithyniæ rege invocati, regnum cum eo parta victoria diviserunt; eamque regionem Gallogræciam cognominaverunt.

CAP. III. Dum hæc in Asia geruntur, interim in Sicilia Pyrrhus à Pœnis navali prœlio victus, ab Antigono Macedoniæ rege supplementum militum per legatos petit: denuntians, ni mittat, redire se in regnum necesse habere, incrementa rerum, quæ de Romanis voluerit, de ipso quæsiturum. Quod ubi negatum legati retulerunt, dissimulatis causis, repentinam fingit profectionem. Socios interim parare bellum jubet: arcis Tarentinæ custodiam Heleno filio, & amico Miloni tradit. Rever-

sus

sus in Epirum, statim fines Macedoniæ invadit: cui Antigonus cum exercitu occurrit; victusque prœlio in fugam vertitur. Atque ita Pyrrhus Macedoniam in deditionem accipit; & veluti damna amissæ Siciliæ Italiæque acquisito Macedoniæ regno pensasset, relictum Tarenti filium & amicum arcessit. Antigonus autem cum paucis equitibus, fugæ comitibus, repente fortunæ ornamentis destitutus, amissi regni speculaturus eventus, Thessalonicam se recepit; ut inde cum conducta Gallorum mercenaria manu bellum repararet. Rursus à Ptolemæo Pyrrhi filio funditus victus cum septem comitibus fugiens, non jam reciperandi regni spem, sed salutis latebras, ac fugæ solitudines captat.

CAP. IV. Igitur Pyrrhus in tanto fastigio regni collocatus, jam nec eo ad quod votis perveniendum fuerat contentus, Græciæ Asiæque regna meditatur. Neque illi major ex imperio, quam ex bello voluptas erat: nec quisquam Pyrrhum, qua tulisset impetum, sustinere valuit. Sed ut ad devincenda regna invictus habebatur: ita devictis acquisitisq; celeriter carebat. tanto melius studebat acquirere imperia, quam retinere.

Itaque

Itaque cum copias Chersoneso transposuisset, legationibus Athenienſium, & Achæorum, Meſſeniorumque excipitur. Sed & Græcia omnis admiratione nominis ejus, ſimul & rerum adverſus Romanos Pœnosque geſtarum gloria attonita, adventum ejus expectabat. Primum illi bellum adverſus Spartanos fuit: ubi majore mulierum, quam virorum virtute exceptus, Ptolemæum filium, & exercitus partem robuſtiſſimam amiſit. Quippe oppugnanti urbem, ad tutelam patriæ tanta multitudo feminarum concurrit, ut non fortius victus, quam verecundius recederet. Porro Ptolemæum filium ejus adeo ſtrenuum, & manu fortem fuiſſe tradunt, ut urbem Corcyram cum ſexaginta ceperit: item prœlio navali quinqueremem ex ſcapha cum ſeptem inſiluerit, captamque tenuerit. In oppugnatione quoque Spartanorum usque in mediam urbem equo procurrerit; ibique concurſu multitudinis interfectus ſit. Cujus corpus ut relatum patri eſt, dixiſſe Pyrrhum ferunt, aliquando tardius eum, quam timuerit ipſe, vel temeritas ejus metuerit, occiſum eſſe.

CAP. V. Repulſus à Spartanis Pyrrhus,

rhus, Argos petit : ibi dum Antigonum in urbe clausum expugnare conatur, inter confertissimos violentissime dimicans saxo de muris ictus occiditur. Caput ejus Antigono refertur : qui victoria mitius usus, filium ejus Helenum cum Epirotis sibi deditum, in regnum remisit, eique insepulti patris ossa in patriam referenda tradidit. Satis constans inter omnes auctores fama est, nullum nec ejus, nec superioris ætatis regem comparandum Pyrrho fuisse ; raroque non inter reges tantum, verum etiam inter illustres viros, aut vitæ sanctioris, aut justitiæ probatioris visum fuisse : Scientiam certo rei militaris in illo viro tantam fuisse, ut cum Lysimacho, Demetrio, Antigono, tantis regibus bella gerens, invictus semper fuerit. Illyriorum quoque, Siculorum, Romanorumque, & Carthaginiensium bellis, nunquam inferior, plerumque etiam victor extiterit : qui patriam certe suam angustam, ignobilemque, fama rerum gestarum, & claritate nominis sui, toto orbe illustrem reddiderit.

LIBER

LIBER XXVI.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Peloponnesii per proditionem Antigono traduntur. Aristotimus tyrannus Epirotas affligit, & Hellanici prudentia opprimitur.*
2. *Antigonus Gallis occurrit, qui in furorem versi conjuges & liberos suos trucidant: deinde Numinis vindicta omnes internecione delentur. Antigoni varii casus.*
3. *Alexander, Pyrrhi filius, in regnum restituitur. Regni Cyrenarum turbulentus status.*

CAP. I.

POst mortem Pyrrhi non in Macedonia tantum, verum etiam in Asia, Græciaque, magni bellorum motus fuere. Nam & Peloponnesii per proditionem Antigono traditi; & variante hominum partim dolore, partim gaudio, prout singulæ civitates aut auxilium de Pyrrho speraverant, aut metus substinuerant, ita aut cum Antigono societatem jungebant, aut mutuis inter se odiis in bellum ruebant. Inter hunc turbatarum provinciarum motum, Epirorum quoq; urbs ab Aristotimo principe per tyrannidem occupatur: à quo cum multi ex primoribus occisi, plures in exilium acti essent, Ætolis per legatos postulantibus, conjuges liberosque exulum redderet, primo negavit: postea quasi pœniteret, proficiscendi ad suos omnibus matronis potestatem dedit

dit; diemque profectionis statuit. Illæ quasi in perpetuum cum viris exulaturæ, pretiosissima quæque auferentes cum ad portam quasi uno agmine profecturæ convenissent, omnibus rebus exspoliatæ, in carcerem recluduntur: occisis prius in gremio matrum parvulis liberis, virginibus ad stuprum direptis. Ad tam sævam dominationem stupentibus omnibus, princeps eorum Hellanicus, senex & liberis orbus, ut qui nec ætatis nec pignoris respectu timeret, contractos domum fidissimos amicorum in vindictam patriæ hortatur. Cunctantibus privato periculo publicum finire, & deliberandi spatium postulantibus, arcessitis servis jubet obserari fores; tyrannoque nuntiari, mitteret qui conjuratos apud se comprehenderet: objectans singulis, se, quia liberandæ patriæ auctor esse non possit, desertæ ultorem futurum. Tunc illi ancipiti periculo circumventi, honestiorem viam eligentes, conjurant in tyranni necem: atq; ita Aristotimus, quinto postquam tyrannidem occupaverat, mense opprimitur.

CAP. II. Interea Antigonus cum multiplici bello, & Ptolemæi regis, & Spartanorum, premeretur: novusque illi

hostis Gallograeciae exercitus affluisset; in speciem castrorum parva manu adversus ceteros relicta, adversus Gallos totis viribus proficiscitur. Quibus cognitis, Galli cum & ipsi se proelio pararent, in auspicia pugnae hostias caedunt: quarum extis cum magna caedes, interitusque omnium praediceretur, non in timorem, sed in furorem versi, sperantesque deorum minas expiari caede suorum posse; conjuges & liberos suos trucidant, auspicia belli à parricidio incipientes. Tanta rabies feros animos invaserat, ut non parcerent aetati, cui etiam hostes peperciissent, bellumque internecinum cum liberis, liberorumque matribus gererent, pro quibus bella suscipi solent. Itaque quasi scelere vitam victoriamque redemissent, sicut erant cruenti ex recenti suorum caede, in proelium non meliore eventu, quam omine proficiscuntur. Siquidem pugnantes, prius parricidiorum furiae, quam hostes circumvenere; observantibusque ante oculos manibus interemptorum, omnes occidione caesi. Tanta strages fuit, ut pariter cum hominibus dii consensisse in exitium patricidarum viderentur. Post hujus pugnae eventum, Ptolemaeus

& Spar-

& Spartani, victorem hostium exercitum declinantes, in tutiora se recipiunt. Antigonus quoque ubi eorum discessum videt, recenti adhuc ex priori victoria militum ardore, bellum Athenienſibus infert. In quo cum occupatus esset, interim Alexander rex Epiri ulciſci mortem patris Pyrrhi cupiens, fines Macedoniæ depopulatur. Adversus quem cum reversus à Græcia Antigonus esset, transitione militum destitutus, regnum Macedoniæ cum exercitu admittit. Hujus filius Demetrius puer admodum, absente patre, reparato exercitu, non solum amissam Macedoniam recipit: verum etiam Epiri regno Alexandrum spoliat. Tanta vel mobilitas militum, vel fortunæ varietas erat, ut viciſſim reges, nunc exules, nunc reges viderentur

CAP. III. Igitur Alexander cum exul ad Acarnanas confugisset, non minore Epirotarum desiderio, quam sociorum auxilio, in regnum restituitur. Per idem tempus rex Cyrenarum Agas decedit: qui ante infirmitatem, Beronicen unicam filiam, ad finienda cum Ptolemæo fratre certamina, filio ejus desponderat. Sed post mortem regis, mater virginis Arsinoë, ut invita se contra-

ctum matrimonium solveretur, misit qui ad nuptias virginis, regnumque Cyrenarum, Demetrium fratrem regis Antigoni à Macedonia arcesserent: qui & ipse ex filia Ptolemæi procreatus erat. Sed nec Demetrius moram fecit. Itaque cum secundante vento celeriter Cyrenas advolasset, fiducia pulchritudinis, qua nimis placere socrui cœperat, statim à principio superbus, regiæ familiæ, militibusq; impotens erat; studiumq; placendi à virgine in matrem contulerat. Quæ res suspecta primo viginti, dein popularibus militibusque invisa fuit. Itaque versis omnium animis in Ptolemæi filium, insidiæ Demetrio comparantur: cui cum in lectum socrus concessisset, percussores immittuntur. Sed Arsinoë audita voce filię, ad fores stantis, & præcipientis ut matri parceretur, adulterum paulisper corpore suo protexit. Quo interfecto, Beronice, & stupra matris, salva pietate, ulta est: & in matrimonio sortiendo, judicium patris secuta.

LIBER XXVII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Seleucus Novercam & fratrem infantem interficit.*
2. *Classis naufragio amissa, civitates amissas recipit. prælio victus aufugit: auxilium noxium à fratre Antiocho Hierace petit & impetrat.*
3. *Asiæ lacerus status. In Antiochum Hieracem & Seleucum Numinis vindicta.*

CAP.

CAP. I.

MOrtuo Syriæ rege Antiocho, cum in locum ejus filius Seleucus succeſſiſſet, hortante matre Laodice, quæ prohibere debuerat, auſpicia regni à parricidio cœpit. Quippe Beronicen novercam ſuam, ſororem Ptolemæi regis Ægypti, cum parvulo fratre ex ea ſuſcepto interficit. Quo facinore perpetrato, & infamiæ maculam ſubiit, & Ptolemæi bello ſe implicuit. Porro Beronice cum ad ſe interficiendam miſſos didiciſſet, Daphnæ ſe claudit. Ubi cum obſideri eam cum parvulo filio nuntiatum Aſiæ civitatibus eſſet, recordatione paternæ, majorumque ejus, dignitatis, caſum tam indignæ fortunæ miſerantes, auxilia ei omnes miſere. Frater quoque Ptolemæus periculo ſororis exterritus, relicto regno, cum omnibus viribus advolat. Sed Beronice ante adventum auxiliorum, cum vi expugnari non poſſet, dolo circumventa trucidatur. Indigna res omnibus viſa. Itaque cum univerſæ civitates, quæ defecerant, ingentem claſſem comparaſſent, repente exemplo crudelitatis exterritæ, ſimul & in ultionem ejus, quam defenſuri erant, Ptolemæo ſe tradunt: qui niſi in

Ægyptum domestica seditione revocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset: tantum vel illi odium, parricidiale scelus, vel huic favorem indigne peremptæ mors sororis, attulerat.

CAP. II. Post discessum Ptolemæi, Seleucus cum adversus civitates, quæ defecerant, ingentem classem comparasset, repente veluti diis ipsis parricidium vindicantibus, orta tempestate classem naufragio amittit; nec quicquam illi ex tanto apparatu, præter nudum corpus, & spiritum, & paucos naufragii comites residuos fortuna fecit. Misera quidem res, sed optanda Seleuco fuit: siquidem civitates, quæ odio ejus ad Ptolemæum transierant, velut diis arbitris satisfactum sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragii misericordiam versę, imperio se ejus restituunt. Lætus igitur malis suis, & damnis ditior redditus; veluti par viribus, bellum Ptolemæo infert: Sed quasi ad ludibrium tantum fortunæ natus esset, nec propter aliud opes regni recepisset, quam ut amitteret, victus prœlio non multo quam post naufragium comitatior, trepidus Antiochiam confugit. Inde ab Antiochum fratrem literas facit:

quibus

quibus auxilium ejus implorat, oblata ei Asia, inter fines Tauri montis, in præmium lætæ opis. Antiochus autem cum esset annos XIV natus, supra ætatem regni avidus, occasionem non tam pio animo, quam offerebatur, arripuit: sed latronis more, totum fratri eripere cupiens, puer sceleratam virilemque sumit audaciam. Unde Hierax est cognominatus: quia non hominis, sed accipitris ritu, in alienis eripiendis vitam sectaretur. Interea Ptolemæus cum Antiochum in auxilium Seleuco venire cognovisset, ne cum duobus uno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem facit; sed pax ab hoste data interpellatur à fratre; qui conducto Gallorum mercenario exercitu, pro auxilio bellum, pro fratre hostem, imploratus exhibuit. In eo prœlio virtute Gallorum victor quidem Antiochus fuit: sed Galli arbitrantes Seleucum in prœlio cecidisse, in ipsum Antiochum arma vertere: liberius depopulaturi Asiam, si omnem stirpem regiam extinxissent. Quod ubi sensit Antiochus, velut à prædonibus, auro se redimit, societatemq; cum mercenariis suis jungit.

CAP. III. Interea rex Bithyniæ

Eumenes, sparsis consumptibusque fratribus bello intestinæ discordiæ, quasi vacantem Asiæ possessionem invasurus, victorem Antiochum, Gallosque aggreditur. Nec difficile saucios adhuc ex superiore congressione, integer ipse viribus, superat. Ea namq; tempestate omnia bella in exitium Asiæ gerebantur: uti quisque fortior fuisset, Asiam velut prædam occupabat. Seleucus & Antiochus fratres bellum propter Asiam gerebant: Ptolemæus rex Ægypti, sub specie sororiæ ultionis, Asiæ inhiabat. Hinc Bithynus Eumenes, inde Galli (humiliorum semper mercenaria manus) Asiam depopulabantur: cum interea nemo defensor Asiæ inter tot prædones inveniebatur. Victo Antiocho, cum Eumenes majorem partem Asiæ occupasset, ne tunc quidem fratres, perdito præmio, propter quod bellum gerebant, concordare potuerunt: sed omisso externo hoste, in mutuum exitium bellum reparant. In eo Antiochus denuo victus, multorum dierum fuga fatigatus, tandem ad socerum suum Artamenem regem Cappadociæ provehitur. A quo cum primum benigne exceptus esset, interjectis diebus, cognito quod insidiæ

sibi

fibi pararentur, ſalutem fuga quæſivit. Igitur cum profugo nusquam tutus locus eſſet, ad Ptolemæum hoſtem, cujus fidem tutiorem quam fratris exiſtimabat, decurrit; memor vel quæ facturus fratri eſſet, vel quæ meruiſſet à fratre. Sed Ptolemæus non amici debito, quam hoſtis factus, ſervari eum arctiſſima cuſtodia jubet. Hinc quoque Antiochus, opera cujusdam meretricis adjutus, quam familiarius noverat, deceptis cuſtodibus elabitur; fugiensque à latronibus interficitur. Seleucus quoque iisdem ferme diebus, amiſſo regno, equo præcipitatus, finitur. Sic fratres, quaſi & germanis caſibus, exules ambo, poſt regna, ſcelerum ſuorum pœnas luerunt.

LIBER XXVIII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Olympias Alexandri Epirota vidua Demetrio Macedoni Ptiam filiam dat uxorem: unde tragœdia & bellorum motus.*
2. *Ætoli ſuperbe reſpondent Romanis qui Acarnanis auxilium præbebant, & arma movent intrepide.*
3. *Filius duobus morbo ſublatis Olympias non diu ſupervivit: Laodamia filia interfecta: Epirus graviter affligitur. Demetrius Macedo moritur. Hujus filii Philippi Antigonus tutelam ſuſcipit, quam prudenter adminiſtrat.*
4. *Bellum Antigoni adverſus Spartanos: quorum Rex Cleomenes viribus attritis in Ægyptum profugit, ubi interficitur. Antigono mortuo, Philippus regnat.*

CAP. I.

OLympias Pyrrhi Epirotæ regis filia, amisso marito, eodemque germano fratre, Alexandro, cum tutelam filiorum ex eo susceptorum, Pyrrhi & Ptolemæi, regnique administrationem in se recipisset, ab Ætolis, partem Acarnaniæ, quam in portionem belli pater pupillorum acceperat, eripere volentibus, ad regem Macedoniæ Demetrium decurrit; eique, habenti uxorem Antiochi regis Syriæ sororem, filiam suam Ptiam in matrimonium tradit: ut auxilium quod misericordia non poterat, jure cognationis obtineret. Fiunt igitur nuptiæ, quibus & novi matrimonii gratia acquiritur, & veteris offensa contrahitur. Nam prior uxor velut matrimonio pulsa, sponte sua ad fratrem Antiochum discedit; eumque in mariti bellum impellit. Acarnanes quoque diffisi Epirotis, adversus Ætolis auxilium Romanorum implorantes, obtinerunt à Romano senatu, ut legati mitterentur, qui denuntiarent Ætolis, præsidia ab urbibus Acarnaniæ deducerent; paterenturque esse liberos, qui soli quondam adversus Trojanos, auctores originis suæ, auxilia Græcis non miserint.

CAP. II. Sed Ætoli legationem Romanorum superbe audivere: Pœnos illis & Gallos, à quibus tot bellis occidione cæsi sint, exprobrantes; dicentesque, prius illis portas adversus Carthaginienses aperiendas, quas clauserit metus Punici belli, quam in Græciam arma transferenda. Meminisse deinde jubent, qui quibus minentur. Adversus Gallos urbem eos suam tueri non potuisse; captamque non ferro defendisse, sed auro redemisse: Quam gentem se aliquanto majore manu Græciam ingressam, non solum nullis externis viribus, sed ne domesticis quidem totis adjutos, universam delesse; sedemque sepulchris eorum præbuisse, quam ulli urbibus, imperioque suo proposuerant. Contra, Italiam, trepitis ex recenti urbis suæ incendio Romanis, universam ferme à Gallis occuptam. Prius igitur illis Gallos Italia pellendos quam minentur Ætolis: prius quam sua defendenda. Quos autem homines Romanos esse? nempe pastores, qui latrocinio justis dominis ademptum solum teneant: qui uxores cum propter originis dehonestamenta non invenirent, vi publica rapuerint: qui denique urbem ipsam parricidio condiderint;

murorumque fundamenta fraterno sanguine aspersérint. Ætolos autem principes Græciæ semper fuisse; & sicut dignitate, ita & virtute ceteris præstitisse; solos denique esse, qui Macedonas, imperio terrarum florentes, semper contempserint, qui Philippum regem non timuerint: qui Alexandri Magni post Persas Indosque devictos, cum omnes nomen ejus horrerent, edicta spreverint. Monere igitur se Romanos, contenti sint fortuna præsenti, nec provocent arma, quibus & Gallos cæsos, & Macedonas contemptos videant. Sic dimissa legatione Romanorum, ne fortius locuti, quam fecisse viderentur, fines Epiri regni & Acarnaniæ depopulantur.

CAP. III. Jam Olympias filiis regna tradiderat; & in locum Pyrrhi fratris defuncti Ptolemæus successerat: qui cum hostibus instructo exercitu obvius processisset, infirmitate correptus, in itinere decedit. Olympias quoque non magno post tempore, gemino funerum vulnere afflicta, ægrum spiritum trahens, non diu filiis supervixit. Cum ex gente regia sola Nereis virgo cum Laodamia sorore superesset, Nereis nubit Geloni Siciliæ regis filio: Laodamia autem cum

in

in aram Dianæ confugisset, concursu populi interficitur. Quod facinus dii immortales assiduis cladibus gentis, & prope interitu totius populi vindicaverunt. Nam sterilitatem, famemque passi, & intestina discordia vexati, externis ad postremum bellis pene consumpti sunt: Miloque Laodamiæ percussor in furorem versus, nunc ferro, nunc saxo, in summa dentibus laceratis visceribus, duodecima die interiit. His in Epiro gestis, interim in Macedonia Demetrius rex, relicto filio Philippo, parvulo admodum, decedit. Cui Antigonus tutor datus, accepta in matrimonium matre pupilli, regem se constitui laborabat. Interjecto deinde tempore, cum seditione minaci Macedonum, clausus in regia teneretur, in publicum sine satellitibus procedit; projectoq; in vulgus diademate ac purpura, dare hæc eos alteri jubet, qui aut imperare illis nesciat, aut cui parere ipsi sciant: sed adhuc invidiosum illud regnum, non voluptatibus, sed laboribus ac periculis sentire. Commemorat deinde beneficia sua: ut defectionem sociorum vindicaverit: ut Dardanos, Thessalosq; exultantes morte Demetrii regis compescuerit; ut denique dignitatem Macedo-

num non solum defenderit, verum etiam auxerit. Quorum si illos pœniteat, deponere imperium, & reddere illis munus suum: ipsi regem quærant, cui imperent. Cum populus pudore motus, recipere eum regnum juberet, tamdiu recusavit, quoad seditionis auctores supplicio traderentur.

CAP. IV. Post hæc bellum Spartanis infert: qui soli Philippi Alexandrique bellis, & imperium Macedonum, & omnibus metuenda arma contempserant. Inter duas nobilissimas gentes bellum summis utrimque viribus fuit: cum hi pro vetere Macedonum gloria, illi non solum pro illibata libertate, sed etiam pro salute certarent. Victi Lacedæmonii, non ipsi tantum, sed etiam conjuges liberique, magno animo fortunam tulere. Nemo quippe in acie saluti pepercit: nulla amissum conjugem flevit: filiorum mortem senes laudabant: patribus in acie cæsis filii gratulabantur: suam vicem omnes dolebant, quod non ipsi pro patriæ libertate cecidissent. Patentibus omnes domibus saucios excipiebant, vulnera curabant, lassos reficiebant. Inter hæc nullus in urbe strepitus, nulla trepidatio; magisque omnes publicam,

plicam, quam privatam fortunam lugebant. Inter hæc Cleomenes rex post multas hostium cædes, toto corpore, suo pariter & hostium cruore madens, supervenit; ingressusque urbem, non humi consedit, non cibum aut potum poposcit; non denique armorum onus deposuit: sed acclinis parieti, cum quatuor millia, sola ex pugna superfuisse conspexisset, hortatur ut se ad meliora reipublicæ tempora reservarent. Tum cum conjuge & liberis Ægyptum ad Ptolemæum proficiscitur: à quo honorifice susceptus, diu in summa dignatione regis vixit. Postremo post Ptolemæi mortem à filio ejus cum omni familia interficitur. Antigonus autem, cæsis occidione Spartanis, fortunam tantæ urbis miseratus, à direptione milites prohibuit; veniamque his qui superfuerant dedit, præfatus bellum se cum Cleomene, non cum Spartanis habuisse, cujus fuga omnis ira ejus finita sit: nec minori sibi gloriæ fore, si ab eo servata Lacedæmon, á quo solo capta sit, proderetur. Parcere igitur se solo urbis ac tectis, quoniam homines quibus parceret, non superfuissent. Nec multo post ipse decedit, regnumq; Philippo pupillo, annos XIV nato, tradidit.

LIBER

LIBER XXIX.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Orbis multa imperia nova Regum successione mutantur, dominatum in Africa, Ægypto, Macedonia.*
2. *Philippus Rex Macedoniæ malo consilio impulsus, Romanis bellum inferre constituit.*
3. *Insanam hanc mentem speciosis verbis occultat.*
4. *Tandem apertus hostis apparet: unde cruentum bellum, ipsi Philippo perniciosum simul ac ignominiosum.*

CAP. I.

EIsdem ferme temporibus prope universi orbis imperia, nova regnum successione mutata sunt. Nam & in Macedonia Philippus mortuo Antigono, tutore eodemque vitrico, annorum quatuordecim regnum susceperit: & in Asia interfecto Seleuco, impubes adhuc rex Antiochus constitutus est: Cappadociæ quoq; regnum Ariarathi, puer admodum, pater ipse tradiderat: Ægyptum, patre ac matre interfectis, occupaverat Ptolemæus, cui ex fœminoris crimine cognomentum Philopator fuit. Sed & Spartani in locum Cleomenis suffecerunt Lycurgum. Et ne qua temporibus mutatio deesset, apud Carthaginienses quoque ætate immatura dux Annibal constituitur, non penuria seniorum, sed odio Romanorum, quo imbutum eum à pueritia sciebant. Fatale non tam Romanis, quam ipsi Afri-

ca

eæ malum. His regibus pueris, etsi nulli senioris ætatis rectores erant, tamen in suorum quisque majorum vestigia intentis, magna indoles virtutis enituit. Solus Ptolemæus, sicut sceleſtus in occupando regno, ita & segnis in administrando fuit. Philippum Dardani, ceterique omnes finitimi populi, quibus velut immortale odium cum Macedonum regibus erat, contemptu ætatis assidue lacessebant. Contra ille summotis hostibus, non contentus sua defendisse, ultro etiam Ætolis bellum inferre gestiebat.

CAP. II. Quæ agitantem illum Demetrius rex Illyriorum, nuper à Paullo Rom. consule victus, supplicibus precibus aggreditur, injuriam Romanorum querens: qui non contenti Italiæ terminis, imperium spe improba totius orbis amplexi, bellum cum omnibus regibus gerant. Sic illos Siciliæ, sic Sardiniæ, Hispaniæque, sic denique totius Africæ imperium affectantes, bellum cum Pœnis & Annibale susceppisse: sibi quoque non aliam ob causam, quam quod Italiæ finitimus videbatur, bellum illatum: quasi nefas esset, aliquem regem juxta imperii eorum terminos esse. Sed & ipsi cavendum esse exemplum, cujus quanto

prom-

promptius nobiliusq; sit regnum, tanto sit Romanos acriores hostes habiturus. Super hæc cedere se illi regno, quod Romani occupaverint, profitetur; gratius habiturus, si in possessione imperii sui, socium potius quam hostes videret. Hujusmodi oratione impulit Philippum, ut omissis Ætolis, bellum Romanis inferret, minus negotii existimantem, quod jam victos ab Annibale apud Thrasymenum lacum audierat. Itaque ne eodem tempore multis bellis detineretur, pacem cum Ætolis facit; non quasi alio bellum translaturus, sed ut Græciæ quieti consulturus, quam nunquam in majori periculo fuisse affirmabat. Siquidem consurgentibus ab Occidente novis Pœnorum & Romanorum imperiis; quibus una hæc à Græcia atque Asia sit mora, dum inter se bello discrimen imperii faciunt: ceterum statim victoribus transitum in Orientem fore.

CAP. III. Videre se itaque ait consurgentem in Italia nubem illam, trucis & cruenti belli: videre tonantem ac fulminantem ab occasu procellam, quam in quascunque terrarum partes victoriæ tempestas detulerit, magno cruoris imbre omnia fœdaturam. Frequenter Græ-

Græciam ingentes motus passam, nunc Persarum, nunc Gallorum, nunc Macedonum bellis: sed omnia illa levia fuisse exist. maturos, si ea quæ nunc in Italia concurrat manus, extra terram illam se effuderit. Cernere se, quam cruenta & sanguinaria inter se bella, utrique populi, viribus copiarum, & ducum artibus, gerant: quæ rabies finiri solo patris alterius interitu, sine ruina finitimorum non possit, Feros igitur animos victorum minus quidem Macedoniæ, quam Græciæ timendos, quia & remotior, & in vindictam sui robustior sit: scire tamen se eos qui tantis viribus concurrant, non contentos hoc fine victoriæ fore; metuendumque sibi quoque certamen eorum, qui superiores extiterint. Hoc prætextu finito cum Ætolis bello, nihil aliud quam Pœnorum Romanorumq; bello respiciens, singulorum vires perpendebat. Sed nec Romani, tametsi Pœni & Annibal in cervicibus erant, soluti metu Macedonico videbantur: quippe terrebat eos, & vetus Macedonum devicti Orientis gloria, & Philippus studio Alexandri æmulationis incensus, quem promptum in bella, industriumque cognoverant.

CAP.

CAP. IV. Igitur Philippus, cum iterato prœlio victos à Pœnis Romanos didicisset, aperte hostem se his professus, naves, quibus in Italiam exercitum trajiceret, fabricare cœpit. Legatum deinde ad Annibalem, jungendæ societatis gratia, cum epistolis mittit: qui comprehensus, & ad senatum perductus, incolumis dimissus est, non in honorem regis, sed ne, dubius adhuc indubitatus hostis redderetur. Postea vero, cum Romanis nuntiatum esset, in Italiam Philippum copias trajecturum, Lævinum prætorem cum instructis navibus ad prohibendum transitum mittunt. Qui cum in Græciam trajecisset, multis promissis impellit Ætolis bellum adversus Philippum suscipere. Philippus quoque Achæos in Romanorum bella solicitat. Interea & Dardani Macedoniæ fines vastare cœperunt, abductisque XX millibus captivorum, Philippum à Romano bello ad tuendum regnum revocaverunt. Dum hæc aguntur, Lævinus Prætor, juncta cum Attalo rege societate, Græciam populatur. Quibus cladibus perculsæ civitates, auxilium petentes, Philippum legationibus fatigant: nec non & Illyriorum reges, lateri ejus hærentes,

rentes, assiduis precibus promissa exigebant. Super hæc vastati Macedones, ultionem flagitabant. Quibus tot tantisq; rebus obsessus, cui rei primum occurreret, ambigebat: omnibus tamen propediem auxilia se missurum pollicetur; non quia facere posset quæ promittebat; sed ut, spe impletos, in societatis jure retineret. Prima tamen illi expeditio adversus Dardanos fuit: qui absentiam ejus aucupantes, majore belli mole Macedoniæ imminebant. Cum Romanis quoque pacem facit, contentis interim bellum Macedonicum distulisse: Philopœmeni Achæorum duci quem ad Romanos, sociorum animos solicitare didicerat, insidias prætendit. Quibus ille cognitis vitatisq;, discedere ab eo Achæos auctoritate sua coëgit.

LIBER XXX.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Ptolemæi Regis Ægypti luxuria, vecordia, & parricidia.*
2. *Miserrimus Ægypti status sub turpissimo Principe, cujus meretrix & lenones crudeli fato pereunt.*
3. *Mortuo Ptolemæo, Romani tutelam pupilli adversus Antiochum Syrum, & Philippum Macedonem suscipiunt: Philippumque prius bello reducunt ad humiliorem mentem.*
4. *Terræmotus ingentes. Romani pacem repudiant. Philippus & Flamininus suos ad pugnam accendunt. Macedonas Romana fortuna vincit, & Philippus spoliatur.*

CAP.

CAP. I.

PHilippo in Macedonia magis rebus intento, in Ægypto Ptolemæi diversi mores erant, Quippe regnum parricidio parto, & ad necem utriusque parentis, cæde etiam fratris adjuncta, velut rebus feliciter gestis, luxuriæ se tradiderat; Regisq; mores omnis sequuta regia erat. Itaq; non amici tantum præfectique, verum etiam omnis exercitus, depositis militiæ studiis, otia ac desidia corrupti marcebant. Quibus rebus cognitis, Antiochus rex Syriæ, veteri inter se regnorum odio stimulante, repentino bello multas urbes ejus oppressit, ipsamque Ægyptum aggreditur. Trepidare igitur Ptolemæus; legationibus missis, quoad vires pararet, morari Antiochum. Magno deinde in Græcia exercitu conducto, secundum prælium facit: spoliassetque regno Antiochum, si fortunam virtute juvisset. Sed contentus reciperatione urbium quas amiserat, facta pace, avide materiam quietis arripuit; revolutusq; in luxuriam, occisa Eurydice uxor eademq; sorore sua, Agathocleæ meretricis illecebris capitur. Atque ita omnem magnitudinem nominis ac majestatis oblitus,

tus, noctes in stupris, dies in conviviis consumit. Adduntur instrumenta luxuriæ, tympana & crepundia : nec jam spectator rex, sed magister nequitiæ, nervorum oblectamenta modulatur. Hæc primo laborantis regiæ tacitæ pestes, & occultæ fuere.

CAP. II. Deinde crescente licentia, jam non parietibus regiæ domus contineri meretricis audacia potest ; quam proterviorem, sociata cum Agathocle fratre, ambitiosæ pulchritudinis scorto, quotidiana regis stupra faciebant. Accedebat & mater Oenanthe, quæ geminæ subolis illecebris devinctum regem tenebat. Itaque non contentæ rege, jam etiam regnum possident, jam in publico visuntur, jam salutantur, jam comitantur. Agathocles regis latere junctus, civitatem regebat : tribunatus, præfecturas, & ducatus mulieres ordinabant ; nec quisquam in regno suo minus, quam ipse rex poterat. cum interim, relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio, moritur : sed mors ejus, dum pecuniam regiam mulieres rapiunt, & imperium inita cum perditissimis societate occupare conantur, diu occultata fuit. Re tamen cognita, concursu multitudinis,

nis, & Agathocles occiditur, & mulieres in ultionem Eurydicis patibulis suffiguntur. Morte regis, supplicio meretricum velut expiata regni infamia, legatos Alexandrini ad Romanos misere, orantes ut tutelam pupilli susciperent; tuerenturque regnum Ægypti, quod jam Philippum & Antiochum, facta inter se pactione, divisisse dicebant.

CAP. III. Grata legatio Romanis fuit, causam belli adversus Philippum quærentibus, qui insidiatus eis, temporibus Punici belli fuerat. Huc accedebat, quod Pœnis & Annibale superato, nullius magis arma metuebant, reputantibus, quantum motum Pyrrhus parva manu Macedonum in Italia fecisset, quantasque res Macedones in Oriente gessissent. Mittuntur itaque legati, qui Antiocho & Philippo denuncient, regno Ægypti abstineant. Mittitur & M. Lepidus in Ægyptum, qui tutorio nomine regnum pupilli administret. Dum hæc aguntur, interim legationes Attali regis, & Rhodiorum, injurias Philippi querentes, Romam venerunt. Quæ res omnem cunctationem Macedonici belli senatui exemit. Statim igitur titulo ferendi sociis auxilii, bellum adversus Philippum

lippum decernitur, legionesq; cum consule in Macedoniam mittuntur. Nec multo post tempore, tota Græcia, fiducia Romanorum, adversus Philippum, spe pristinæ libertatis erecta, bellum ei intulit: Atque ita cum rex undique urgeretur, pacem petere compellitur. Deinde cum expositæ conditiones pacis à Romanis essent, repetere sua, & Attalus, & Rhodii, & Achæi, & Ætoli cœpere. Contra Philippus adduci se posse, ut Romanis pareat, concedebat; ceterum indignum esse, Græcos à Philippo & Alexandro majoribus suis victos, & sub jugum Macedonici imperii subactos, veluti victores, leges pacis sibi dicere, quibus prius sit servitutis ratio reddenda, quam libertas vindicanda. Ad postremum tamen, petente eo, induciæ duorum mensium datæ, ut pax, quæ in Macedonia non conveniebat, Romæ à senatu peteretur.

CAP. IV. Eodem anno inter insulas Theramenem & Therasiam, medio utriusque ripæ & maris spatio, terræ motus fuit. In quo, cum admiratione navigantium, repente ex profundo cum calidis aquis insula emersit. In Asia quoq; eadem die idem motus terræ Rho-

dum, multasque alias civitates gravi ruinarum labe concussit: quasdam solidas absorbuit. Quo prodigio territis omnibus, vates cecinere, oriens Romanorum imperium, vetus Græcorum, ac Macedonum voraturum. Interim à senatu repudiata pace, Philippus in societatem belli Nabin tyrannum solicitat. Atque ita, cum in aciem exercitum instructis è diverso hostibus produxisset, hortari suos cœpit, referendo Persas, Bactros, Indosque & omnem Asiam, Orientis finem, à Macedonibus perdomitam; tantoque fortius hoc bellum quam illa sustinendum, quanto sit libertas imperio carior. Sed & Flaminius Romanus consul, relatione rerum recentissime gestarum, suos stimulabat in prœlium, ostendendo Carthaginem cum Sicilia, inde Italiam & Hispaniam Romana virtute perdomitas: nec Annibalem quidem Alexandro Magno postponendum, quo Italia pulso, Africam ipsam tertiam partem mundi superaverint. Sed nec Macedonas veteri fama, sed præsentibus viribus æstimandos; quia non cum Alexandro Magno, quem invictum audierant, nec cum exercitu ejus, qui totum Orientem devicerat, bellum

lum gerant; sed cum Philippo puero immaturæ ætatis, qui regni terminos adversus finitimos ægre defendat, & cum his Macedonibus, qui non ita pridem prædæ Dardanis fuerunt. Illos majorum decora, se suorum militum commemorare. Non enim alio exercitu Annibalem & Pœnos, & totum ferme Occidentem, sed his ipsis, quos in acie habeat militibus, subactos. His adhortationibus utrinque concitari milites, prœlio concurrunt, alteri Orientis, alteri Occidentis imperio gloriantes; ferentesque in bellum, alii majorum suorum antiquam & obsoletam gloriam, alii virentem recentibus experimentis virtutis florem. Sed Macedonas Romana fortuna vicit. Fractus itaque bello Philippus, pace à Flaminino consule petita, nomen quidem regium retinuit: sed omnibus Græciæ urbibus, velut regni membris extra terminos antiquæ possessionis amissis, solam Macedoniam retinuit. Offensi tamen Ætoli, quod non ex arbitrio eorum Macedonia quoque adempta regi, & data sibi in præmium belli esset, legatos ad Antiochum mittunt, qui eum adulatione magnitudinis, in Romana bella, spe societatis universæ Græciæ, impellerent.

LIBER XXXI.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. Romani Antiochum Syrum legatione coercent. A Nabide Græciam liberari jubent. Annibalis nomen Romanis formidabile.
2. Annibal Romanorum insidias fugiens ad Antiochum cursum dirigit.
3. Nabis duobus præliis fractus post Romanorum discessum arma movet. Annibalis ad Antiochum de opprimendis Romanis consilium.
4. Carthaginienses ab Antiocho sollicitati rem Romanis significant, qui politico strategemate Annibalem ab Antiocho divellunt.
5. Iteratum Annibalis consilium de bello in Italia Romanis inferendo.
6. Antiochi adulatores Annibalis sana consilia vident; inde subversio Antiochi, qui terrestri & navali prælio à Romanis superatur.
7. Scipionis ducto in Africam exercitu pacis leges Antiocho præscribunt, quas ipse repudiat.
8. Bello reparato & pugna commissa, cæsis quinquaginta Asiaticorum millibus, Antiochus subactus pacem petit & obtinet.

CAP. I.

MOrtuo Ptolemæo Philopatore rege Ægypti, contemptaque parvuli filii ejus ætate, qui in spem regni relictus, præda etiam domesticis erat, Antiochus rex Syriæ occupare Ægyptum statuit. Itaque Phœnicen, ceterasque Syriæ quidem, sed juris Ægypti civitates cum invasisset, legatos ad eum Senatus mittit, qui denuntiarent ei, abstinere regno pupilli, postremis patris

tris precibus fidei suæ traditi. Quibus spretis, interjecto tempore alia legatio supervenit, quæ omissa pupilli persona, civitates, jure belli factas populi Romani, in integrum restitui jubebat. Abnuenti, bellum denuntiatum: quod ille facile susceptum, infeliciter gessit. Eodem tempore & Nabis tyrannus multas Græciæ civitates occupaverat. Igitur senatus, ne uno tempore duplici bello Romanæ vires detinerentur, scripsit Flaminino, si ei videatur, sicuti Macedoniam à Philippo, ita Græciam à Nabide liberet. Ob quam causam imperium ei prorogatum est. Terribile quippe Antiochi bellum Annibalis nomen faciebat, quem æmuli ejus, occultis mandatis, cum Antiocho iniisse societatem, apud Romanos criminabantur: negantes eum æquo animo sub legibus vivere; assuetum imperio, & immoderata licentia militari, semperque tædio quietis urbanæ, novas belli causas circumspicere: Quæ etsi falsa nuntiata fuissent, apud timentes tamen pro veris habebantur.

CAP. II. Denique senatus metu perculsus, ad speculandos actus Annibalis, legatum in Africam Gnæum Servilium

mittit : eique tacitis mandatis præcipit, si posset, eum per æmulos ejus interficeret, metuque invisi nominis tantum populum Romanum liberaret. Sed res Annibalem non diu latuit, virum ad prospicienda cavendaque pericula peritum : nec minus in secundis adversa, quam in adversis secunda cogitantem. Igitur cum tota die in oculis principum, legatique Romani in foro Carthaginiensium observatus in supremum fuisset, appropinquante vespere, equum conscendit; & rus urbanum, quod propter littus maris habebat, ignaris servis, jussisque ad portam revertentem opperiri, contendit. Habebat ibi naves cum remigibus, occulto sinu littoris absconditas : erat & grandis pecunia in eo agro præparata, ut cum res exegisset, nec facultas fugam, nec inopia moraretur. Lecta igitur servorum juventute, quorum copiam Italicorum captivorum numerus augebat, navem conscendit, cursumque ad Antiochum dirigit. Postera die civitas principem suum actum temporis consulem, in foro exspectabat. Quem ut profectum nuntiatum est, non aliter quam si urbs capta esset, omnes trepidavere, exitiosamque sibi fugam ejus ominati

nati sunt. Legatus veto Romanus, quasi bellum jam illatum Italiæ ab Annibale esset, tacitus Romam regreditur, trepidumque nuntium refert.

CAP. III. Interim in Græcia Flamininus, juncta cum quibusdam civitatibus societate, Nabidem tyrannum duobus continuis prœliis subegit; & graviter fractum, velut exanguem, in regno reliquit. Sed libertate Græciæ restituta, deductisque ab urbibus præsidiis, cum Romanus exercitus in Italiam reportatus esset, velut vacua rursus possessione solicitatus, multas civitates repentino bello invasit. Quibus rebus extorriti Achæi, ne vicinum malum etiam ad se serperet, bellum adversus Nabidem decernunt, ducemque prætorem suum Philopœmenem, insignis industriæ virum, constituunt: cujus in eo bello tanta virtus enituit, ut opinione omnium Flaminino Romano imperatori compararetur. Eodem tempore Annibal cum ad Antiochum perveniisset, velut deorum munus excipitur: tantusque ejus adventu ardor animis regis accessit, ut non tam de bello, quam de præmiis victoriæ cogitaret. Sed Annibal, cui nota Romana virtus erat, negabat opprimi Romanos

manos nisi in Italia posse. Ad hoc sibi centum naves, & decem millia peditum, & mille equites poscebat: promittens, hac manu non minus bellum, quam gesserit, Italiæ restauraturum; & in Asiam regi sedenti, aut victoriam de Romanis, aut æquas pacis conditiones relaturum: quippe & Hispanis bello flagrantibus, ducem tantum deesse; & Italiam notiorem sibi nunc, quam pridem fuisse: sed nec Carthaginem quieturam, sociamque se ei sine mora præbituram.

CAP. IV. Cum regi consilia placuissent, mittitur Carthaginem unus ex comitibus Annibalis, qui in bellum cupidos hortetur, Annibalemque cum copiis affuturum nuntiet: nihil, dicat, partibus, nisi animos Carthaginiensium deesse: Asiam & vires belli, & sumptum præbituram. Hæc cum relata Carthaginem essent, nuntius ipse ab inimicis Annibalis comprehenditur, & perductus in senatum, cum interrogaretur, ad quem missus esset, Punico ingenio respondit, se ad universum senatum missum, nec enim hoc opus singulorum, sed universorum esse. Dum multis diebus deliberant, an eum Romam ad purgandam publicam conscientiam mittant, tacitus con-

conscensa nave ad Annibalem revertitur: quo cognito, Carthaginienses ultro rem Romam per legatum deferunt. Romam per legatum deferunt. Romani quoque ad Antiochum legatos misere, qui sub specie legationis, & regis apparatum specularentur, & Annibalem aut Romanis mitigarent, aut assiduo colloquio suspectum invisumq; regi redderent. Itaque legati cum Ephesi convenissent ad Antiochum, mandata ei senatus tradunt. Dum responsum exspectant, omnibus diebus assidui circa Annibalem fuere: dicentes, timide eum à tria recessisse, cum pacem Romani, non tam cum republica ejus, quam cum eo factam, summa fide custodiant: nec bella cum Romanorum magis odio, quam patriæ amore gessisse, cui ab optimo quoque etiam spiritus ipse debeatur. Has enim publicas inter populos, non privatas inter duces, bellandi causas esse. Inde res gestas ejus laudare. Quorum sermone lætus, sæpius cupidiusq; cum legatis colloquebatur, ignarus quod familiaritate Romana odium sibi apud regem crearet. Quippe Antiochus tam assiduo colloquio, reconciliatam ejus cum Romanis gratiam existimans, nihil ad eũ sicuti solebat referre; expertemq; totius

consilii, veluti hostem proditoremque suum, odisse cœpit. Quæ res tantum apparatum belli, cessante imperatoria arte, corrupit. Senatus mandata fuerant, ut contentus terminis Asiæ esset, ne ipsis ingrediendi Asiam necessitatem imponeret. Quibus spretis, non accipiendum bellum statuit, sed inferendum.

CAP. V. Dicitur, quum frequenter de bello consilium habuisset, remoto Annibale, tandem eum vocare jussisse, non ut ex sententia ejus aliquid ageret, sed ne per omnia eum spreviſse videretur; omnibusque perrogatis postremum interrogasse. Quo illo animadverso, intelligere se professus est, non quia egeat consilio, sed ad supplendum numerum sententiarum se vocatum: tamen & odio Romanorum, & amore regis, apud quem solum tutum sibi exilium relictum sit, se viam gerendi belli edisserturum. Veniam deinde libertati præfatus, nihil aut se consiliorum, aut cœptorum præsentium, probare ait: neque sedem belli Græciam sibi placere, cum Italia uberior materia sit: quippe Romanos vinci non nisi armis suis posse; nec Italiam aliter, quam Italicis viribus subigi: siquidem diversum ceteris mortalibus esse

esse illud & hominum & belli genus. Aliis bellis plurimum momenti habere, priorem aliquam cepisse occasionem loci temporisque, agros diripuisse, urbes aliquas expugnasse: cum Romano, seu occupaveris prior aliqua, seu viceris, tum etiam cum victo & jacentem luctandum esse. Quamobrem si quis eos in Italia lacessat, suis eos opibus, suis viribus, suis armis posse vincere; sicut ipse fecerit. Sin verò quis illis Italia velut fonte virium cesserit, pridem falli, ac si quis amnes non ab ipsis fontium primordiis derivare, sed concretis jam aquarum molibus avertere vel exsiccare velit. Hæc & secreto se censuisse, ultroq; ministerium consilii sui obtulisse, & nunc præsentibus amicis ideo repetisse, ut scirent omnes rationem cum Romanis gerendi belli; eosque foris invictos, domi fragiles esse. Nam prius illos urbe quam imperio; prius Italia quam provinciis exui posse: quippe & à Gallis captos, & à se prope deletos esse: neque se unquam victum prius, quam terris eorum cesserit. Reverso Carthaginem, statim cum loco fortunam belli mutatam.

CAP. VI. Huic sententiæ obtrectatores amici reges erant: non utilitatem

rei cogitantes; sed verentes, ne probato consilio ejus, primum apud regem locum gratiæ occuparet. Et Antiocho non tam consilium, quam auctor displicebat, ne gloria victoriæ, Annibalis, non sua, esset. Omnia igitur variis assentationum adulationibus corrumpebantur: nihil consilio vel ratione agebatur. Rex ipse per hyemem in luxuriam lapsus, novis quotidie nuptiis deditus erat. Contra Acilius Romanus consul, qui ad hoc bellum missus erat, copias, arma, ceteraque bello necessaria, summa industria, parabat: civitates socias confirmabat; dubias illiciebat; nec alius exitus belli, quam apparatus utriusque patris fuit. Itaque prima belli congressione, cum cedentes suos rex cerneret, non laborantibus auxilium tulit, sed fugientibus se ducem præbuit, castraque ditia victoribus reliquit. Deinde cum in Asiam, prædâ Romanis occupatis, fugiendo pervenisset, pœnitere neglecti consilii cœpit; revocatoque in amicitiam Annibale, omnia ex sententia ejus agere. Interim nuntiatur, Æmylium Romanum ducem, cum octoginta rostratis navibus in bellum navale a senatu missum, adventare: quæ res illi spem restituendæ fortunæ

tunæ dedit. Itaque priusquam sociæ civitates ad hostes deficerent, decernere navali prælio statuit, sperans, cladem, in Græcia acceptam, nova posse victoria aboleri. Tradita igitur Annibali classe, prœlium committitur: sed nec Asiani milites Romanis, neque naves eorum pares rostratis navibus fuere: minor tamen clades ducis solertia fuit. Romam nondum opinio victoriæ venerat, & idcirco in consulibus creandis suspensa civitas erat.

CAP. VII. Sed adversus Annibalem ducem quis melior quam Africani frater crearetur, cum vincere Pœnos opus Scipionum esset? Creatur igitur Consul Lucius Scipio: eique detur legatus frater Africanus; ut intelligeret Antiochus, non majorem fiduciam se in Annibale victo, quam Romanos in victore Scipione habere. Trajicientibus in Asiam Scipionibus exercitum, jam utrobique profligatum bellum nuntiatum est, victumque Antiochum terrestri, Annibalem navali bello invenerunt. Primo igitur adventu eorum, legatos pacem petentes ad eos Antiochus mittit, peculiare donum Africano ferentes ipsius filium, quem rex parvo navigio tra-

jicientem ceperat. Sed Africanus privata beneficia à rebus publicis secreta esse dixit; aliaqua esse patris officia, alia patriæ jura, quæ non liberis tantum, verum etiam vitæ ipsi præponantur. Proinde gratum se munus accipere, privatoque impendio munificentiæ regis responsurum. Quod ad bellum pacemque pertineat, nihil neque gratiæ dari, neque de jure patriæ decidi posse, respondit. Nam neq; de redimendo filio unquam tractavit, nec senatum de eo agere permisit; sed ut dignum majestate ejus erat, armis se recepturum filium dixerat. Post hæc leges pacis dicuntur: ut Asia Romanis cederet: contentus Syriæ regno esset: naves universas, captivos & transfugas traderet; sumptumque omnem belli Romanis restitueret. Quæ cum nuntiata Antiocho essent, nondum ita victum se esse respondit, ut spoliari se regno pateretur, bellique ea irritamenta, non pacis blandimenta esse.

CAP. VIII. Igitur cum ab utriusque bellum pararetur, ingressique Asiam Romani Ilion venissent; mutua gratulatio Ilienſium ac Romanorum fuit. Ilienſibus Æneam, ceterosque cum eo duces à se profectos, Romanis se ab his procrea-

creatos referentibus. Tantaque lætitia omnium fuit, quanta esse post longum tempus, inter parentes & liberos solet. Juvabat Ilienses, nepotes suos, Occidente & Africa domita, Asiam ut avidum regnum vindicare, optabilem Trojæ ruinam fuisse dicentes, ut tam feliciter renalceretur. Contra Romanos, avitos lares, & incunabula majorum, templaq; ac deorum simulacra, inexplebile desiderium videndi tenebat. Profectis ab Ilio Romanis, Eumenes rex cum auxiliis occurrit: nec multo post prœlium cum Antiocho commissum. Cum in dexteriore cornu pulsa legio Romana, majore dedecore, quam periculo ad castra fugeret, M. Æmylius tribunus militum ad tutelam castrorum relictus, armare se milites suos, & extra vallum progredi jubet, strictisqae gladiis fugientibus minari, moriturus dicens, nisi in prœlium revertantur; infestioraque sua, quam hostium castra inventuros. Attonita tam ambiguo periculo legio, comitantibus commilitonibus qui fugere eos prohibuerant, in prœlium revertitur, magnaque cæde edita, initium victoriæ fuit. Cæsa hostium quinquaginta millia, capta XI Antiocho pacem petenti, nihil

ad

ad superiores conditiones additũ, Africano prædicante, neque Romanis, si vindicantur animos minui; neque si vincant, secundis rebus insolescere. Captas civitates inter socios divisere Romani, aptiorem gloriam, quam possessiones voluptarias judicantes, quippe victoriæ gloriam Romano nomini vindicandum: opus luxuriã sociis relinquerendã.

LIBER XXXII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Ætoli libertate spoliantur. Bellum inter Messenios & Achæos, Philopœmenis captus & veneno interemptus: Unde Messeniorum clades.*
2. *Antiochus Syrus dum sacrilegio sibi prov dere putat, interficitur. Senatus Romanus Philippo parcit, ob Demetrii filii virtutem. Cui Perseus frater invidet, & Demetrium impiis artibus de medio tollit.*
3. *Philippi obitus: & belli apparatus adversus Romanos, Galli hujus belli societatem pertractis: de quorum migrationibus subjicitur narratio.*
4. *Bellum inter Prusiam & Eumenem, in quo Annibalis opera Prusias superior evadit. Pace inter Reges sancita, Romani Hannibalem persequuntur. Is hausto veneno legationem morte prævenit. Adjunctum ejusdem Hannibalis elogium.*

CAP. I.

ATOli, qui Antiochum in bella Romana impulerant, victo eodem, soli adversus Romanos, & viribus impares, & omni auxilio destituti, remanserunt: nec multo post victi, libertatem quam illibatam adversus dominationem

tionem Athenienſium & Spartanorum, inter tot Græciæ civitates ſoli retinuerant, amiſerunt. Quæ conditio tanto amarior illis, quanto ſerior fuit, reputantibus tempora illa, quibus tantis Perſarum opibus, domeſticis viribus reſtiterant; quibus Gallorum violentiam, Aſiæ Italiæq; terribilem, Delphico bello fregerant. Quæ glorioſa recordatio, majus deſiderium libertatis augebat. Dum hæc aguntur; medio tempore inter Meſſenios & Achæos de principatu primo diſſenſio, mox bellum ortum eſt. In ea nobilis Achæorum Philopœmenes imperator capitur: non quia pugnando vitæ pepercit, ſed dum ſuos, in prœlium revocat, in tranſitu foſſæ equo præcipitatus, à multitudine hoſtium oppreſſus eſt, quem jacentem Meſſenii, ſeu metu virtutis, vel verecundia dignitatis, interficere auſi non fuerunt. Itaq; velut in illo omne bellum confeciſſent, captivum per univerſam civitatem, in modum triumphi, circumduxerunt, effuſo obviam populo, ac ſi ſuus, non hoſtium imperator adventaret. Nec victorem Achæi avidus vidiſſent, quam victum hoſtes viderunt. Igitur eundem in theatrum duci poſſerunt, ut omnes contuerentur, quem potuiſſe

tuisse capi incredibile singulis videbatur. Inde in carcerem ducto, verecundia magnitudinis ejus, venenum dederunt: quod ille lætus, ac si vicisset, accepit: quæsito prius, an Ligortas præfectus Achæorum, quem secundum à se esse scientia rei militaris sciebat, incolumis effugisset? Quem ut accepit evasisse, non in totum dicens consultum male Achæis, exspiravit. Nec multo post, reparato bello. Messenii vincuntur, pœnasq; interfecti Philopœmenis pependerunt.

CAP. II. Interea in Syria rex Antiochus, cum gravi tributo pacis á Romanis victus oneratusque esset, seu inopia pecuniæ compulsus, seu avaritia sollicitatus, qua sperabat se, sub specie tributariæ necessitatis, excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu, nocte templum Didymæi Jovis aggreditur. Qua re prodita, concursu insularium, cum omni militia interficitur. Romæ, cum multæ Græciæ civitates, quæstum de injuriis Philippi regis Macedonum veniissent, & disceptatio in senatu inter Demetrium Philippi filium, quem pater ad satisfaciendum senatui miserat, & legatos civitatium esset; turba querelarum confusus adolescens, repente obticuit.

Tunc

Tunc senatus verecundia ejus motus, quæ probata etiam antea, cum obses Romæ esset, omnibus fuerat, causam illi donavit: atque ira modestia sua Demetrius veniam patri, non jure defensionis, sed patrocinio pudoris obtinuit: quod ipsum decreto senatus significatum est, ut appareret, non tam absolutum regem, quam donatum filio patrem. Quæ res Demetrio, non gratiam legationis; sed odium obtrectationis comparavit. Nam apud fratrem Perseum æmulatio illi invidiam contraxit; & apud patrem nota absolutionis, causa offensæ fuit, indignante Philippo, plus momenti apud senatum personam filii, quam auctoritatem patris, ac dignitatem regiæ majestatem habuisse. Igitur Perseus perspecta patris ægritudine, quotidie absentem Demetrium apud eum criminari; & primo invisum, post etiam suspectum reddere: nunc amicitiam Romanorum, nunc proditionem ei patris objectare. Ad postremum, insidias sibi ab eo paratas confingit: ad cujus rei probationem immittit indices, testes subornat, & facinus quod objicit, admittit. Quibus rebus compulso ad parricidium patre, funestam omnem regiam facit.

CAP.

CAP. III. Occiso Demetrio, sublatoque æmulo, non negligentior tantum Perseus in patrem, verum etiam contumacior erat; nec hæredem regni, sed regem se gerebat. His rebus offensus Philippus, impatientius in dies mortem Demetrii dolebat, tunc & insidiis circumventum suspicati, testes indicesq; torquere. Atq; ita cognita fraude, non minos scelere Persei, quam innoxia Demetrii morte cruciabatur; peregisseteque ultionem, nisi morte præventus fuisset. Nam brevi post tempore, morbo ex ægritudine animi contracto, decessit, relicto magno belli apparatu adversus Romanos, quo postea Perseus usus est. nam & Gallos Scordiscos ad belli societatem perpulerat: feciseetque Romanos grave bellum, nisi decessisset. Namq; Galli bello adversus Delphos infeliciter gesto, in quo majorem vim numinis, quàm hostium, senserant, amisso Brenno duce, pars in Asiam, pars in Thraciam extorres fugerant. Inde per eadem vestigia qua venerant, antiquam patriam repetivere. Ex his manus quædam in confluente Danubii & Sabi consedit, Scordicosq; se appellari voluit. Tectosagi autem cum in antiquam patriam Tolo-

sam

sam veniſſent, comprehenſiq; peſtifera lue eſſent, non prius ſanitatem reciperavere, quàm aruſpicum reſponſis moniti, aurum argentumque, bellis ſacrilegiisque quæſitum, in Toloſenſem lacum mergerent. Quod omne magno poſt tempore Cæpio Romanus conſul abstulit. Fuere autem argenti pondo centum decem millia: auri pondo quinquies decies centum millia. Quod ſacrilegiũ cauſa excidii Cæpioni exercituiq; ejꝰ poſtea fuit. Romanos quoq; Cimbrici belli tumultus, velut ultro ſacræ pecuniæ, inſecutus eſt. Ex gente Tectoſagorum non mediocris populus, prædæ dulcedine, Illyricum repetivit, ſpoliatisque Iſtris, in Pannonia conſedit. Iſtriorum gentem fama eſt originem à Colchis ducere, miſſos ac Æeta rege ad Argonautas, raptoresque filiæ perſequendos: qui ut à ponto intraverunt Iſtrum, alveo Sabi fluminis penitus invecti, veſtigia Argonautarum inſequentes, naves ſuas humeris per juga montium, usq; ad littus Adriatici maris transtulerunt; cognito quod Argonautæ idem propter magnitudinem navis priores feciſſent: quos ut avectos Colchi non reperiunt, ſive metu regis, ſive tædio longæ navigationis, juxta Aquileiam

jam consedere, Istrique ex vocabulo amnis, quo à mari concesserant, appellati. Daci quoque suboles Getarum sunt: qui, cum Orole rege adversus Bastarnas male pugnassent, ad ultionem segnitiæ, capturi somnum capita loco pedum ponere jussu regis cogebantur; ministeriaque uxoribus, quæ ipsis antea fieri solebant, facere, Neque hæc ante mutata sunt, quam ignominiam bello acceptam virtute delerent.

CAP. IV. Igitur Perseus, cum imperio Philippi patris successisset, omnes has gentes adversus Romanos in societatem belli sollicitabat. Interim inter Prusiam regem, ad quem Annibal post pacem Antiocho à Romanis datam, perfugerat, & Eumenem bellum ortum est, quod Prusias, Annibalis fiducia rupto fœdere, prior intulit. Namque Annibal, cum ab Antiocho Romani, inter ceteras conditiones pacis, deditionem ejus deposcerent, admonitus à rege, in fugam versus, Cretam defertur. Ibi cum diu quietam vitam egisset, invidiosumque se propter nimias opes videret, amphoras plumbo repletas in templo Dianæ, quasi fortunæ suæ præsidia, deponit: atque ideo nihil de illo sollicita civi-

civitate, quoniam velut pignus opes ejus tenebat, ad Prusiam contendit, auro suo in statuis, quas secum portabat, infuso, ne conspectæ opes vitæ nocerent. Dein cum Prusias terrestri bello ab Eumene victus esset, & prœlium in mare transtulisset, Annibal novo commento auctor victoriæ fuit. Quippe omne serpentium genus in fictiles lagenas conjici jussit, medioque prœlio in naves hostium mittit. Id primum Ponticis ridiculum visum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed ubi serpentibus repleri naves cœpere, ancipiti periculo circumventi, hosti victoriam cessere. Quæ ubi Romam nuntiata sunt; missi à senatu legati sunt, qui utrumque regem in pacem cogerent, Annibalemque deposcerent. Sed Annibal re cognita, sumpto veneno, legationem morte prævenit. Insignis hic annus trium toto orbe maximorum imperatorum mortibus fuit, Annibalis, & Philopœmenis, & Scipionis Africani. Ex quibus constat, Annibalem, nec tum cum Romano tonantem bello Italia contremuit, nec cum reversus Carthaginem summum imperium tenuit, aut cubantem cœnasse, aut plus quam sextario vini indulsisse; pudicitiamque eum tantam

tantam inter tot captivas habuisse, ut in Africa natum quisvis negaret. Moderationis certe ejus fuit, ut cum diversarum gentium exercitus rexerit, neque insidiis suorum militum sit petitus unquam, neque fraude proditus, quum utrumque hostes sæpe entassent.

LIBER XXXIII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Macedonicum bellum. Persei & Consulum Romanorum animus,*
2. *Pugna in qua Macedones fusi fugatique sunt. Persei & filii capti in fuga. Macedonia in provinciam redacta: & Ætoli oppressi.*

CAP. I.

MInore quidem rerum motu Romani Macedonicum, quàm Punicum bellum gesserunt; sed tanto clarius quanto nobilitate Macedones Pœnos anteceserunt. Quippe cum gloria Orientis domiti, tum & auxiliis omnium regum juvabantur. Itaque Romani & legiones plures numero conscripserunt; & auxilia à Masinissa rege Numidarum, ceterisque sociis omnibus acciverunt, & Eumeni regi Bithyniæ denuntiatum, ut bellum summis viribus juvaret. Perseo præter Macedonicum invictæ opinionis exercitum decennis belli sumptus

sumptus à Patre paratus, in thesauris & horreis erat: Quibus rebus inflatus, oblitus fortunæ paternæ, veterem Alexandri gloriam considerare suos jubebat. Prima equitum congressio fuit, qua victor Perseus suspensam omnium exspectationem in favorem sui traxit: misit tamen legatos ad consulem, qui pacem peterent, quam patri suo Romani etiam victo dedissent, impensas belli lege victi susceperus. Sed Consul Sulpitius non minus graves quam victo leges dixit. Dum hæc aguntur, metu tam periculosi belli Romani Æmylium Paulum consulem creant, eique extra ordinem Macedonicum bellum decernunt: qui cum ad exercitum venisset, non magnam moram pugnæ fecit. Pridie quam prælium conferetur, luna nocte defecit: triste ad ostentum Perseo omnibus præsagientibus, finemque Macedonici regni portendi vaticinantibus.

CAP. II. In ea pugna M. Cato, Catonis oratoris filius, dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat, equo delapsus, pedestre prælium aggreditur. Nam cadentem manipulus hostium cum horrido clamore, veluti jacentem obtruncaturus circumsteterat: ad ille citius

tius corpore collecto, magnas strages edidit. Quum ad unum opprimendum undique hostes convolarent, dum procerum quendam petit, gladius ei è manu elapsus, in mediam cohortem hostium decidit: ad quem reciperandum umbone se protegens, inspectante utroque exercitu, inter mucrones se hostium immersit; recollectoque gladio, multis vulneribus exceptis, ad socios cum clamore hostium revertitur. Hujus audaciam ceteri imitari, victoriam peperere. Perseus rex fuga cum decem millibus talentum Samothraciam defertur: quem Cneus Octavius, ad persequendum missus à consule, cum duobus filiis, Alexandro & Philippo, cepit; captumque ad consulem duxit. Macedonia à Carano, qui primus in ea regnavit, usque Persea triginta reges habuit. Quorum sub regno fuit quidem annis nongentis & viginti tribus; sed rerum non nisi centum nonaginta duobus annis potita. Ita cum in ditionem Romanorum cessisset, magistratibus per singulas civitates constitutis, libera facta est; legesque quibus adhuc utitur, à Paulo accepit. Ætolorum universarum urbium senatus, cum conjugibus & liberis, qui

qui dubia fide fuerant, Romam missus, ibique, ne in patria aliquid novaret, diu detentus, ægreque per multos annos legationibus civitatium senatu fatigato, in patriam quisque suam remissus est.

LIBER XXXIV.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Romani in Achæos causas belli quærunt, & inveniunt. Cruenta Achæorum seditio.*
2. *Bellum quo Achæi oppressi sunt: & Corinthus eversa. Ptolemæus Ægypto pulsus, petit à Romanis auxilium.*
3. *Populi ad Antiochum in gratiam Ptolemæi vere liberæ legatio. Antiocho mortuo Demetrius frater Roma profugus Regno potitur.*
4. *Prusias, Rex Bithyniæ, Regno & vita à filio spoliatur.*

CAP. I.

DOenis ac Macedonibus subactis, Ætolorumque viribus principum capitvitate debilitatis, soli adhuc ex Græcia universa Achæi nimis potentes tunc temporis Romanis videbantur; non propter singularum civitatium nimias opes; sed propter conspirationem universarum. Namque Achæi, licet per civitates veluti per membra divisi sint, unum tamen corpus & unum imperium habent; singularumque urbium pericula mutuis viribus propulsant. Quærentibus igitur Romanis causas belli, tempestive fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros A-

chæi propter mutuum odium populabantur. Spartanis à senatu responsum est, legatos se ad inspiciendas res sociorum, & ad injuriam demendam in Græciam missuros: sed legatis occulta mandata data sunt, ut corpus Achæorum dissolverent, singulasque urbes proprii juris facerent, quo facilius ad obsequia congerentur: & si quæ urbes contumaces essent, frangerentur. Igitur legati, omnium civitatium principibus Corinthum evocatis, decretum senatus recitant: quid consilii habeant, aperiunt. Expedire omnibus dicunt, ut singulæ civitates sua jura & suos leges habeant. Quid ubi omnibus innotuit; velut in furorem versi, universum peregrinum populum trucidant: legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi audito tumultu, trepidi fugissent.

CAP. I. Hæc ubi Romæ nuntiata sunt, statim senatus Mummio consuli bellum Achaicum decernit: qui extemplo exercitu deporato, & omnibus strenue provisis, pugnandi copiam hostibus fecit. Sed, Achæi velut nihil negotii Romano bello suscepissent, ita apud eos neglecta omnia & soluta fuere. Itaque prædam, non prœlium cogitantes;

& ve-

& vehicula ad spolia hostium reportanda duxerunt: & conjuges liberosque suos, ad spectaculum certaminis, in montibus posuerunt. Sed prœlio commisso, ante oculos suorum cæsi, lugubre his spectaculum, & gravem luctus memoriam reliquerunt. Conjuges quoque liberique eorum, de spectatoribus captivi facti, præda hostium fuere. Urbs ipsa Corinthus diruitur; populus omnis sub corona venditur: ut hoc exemplo ceteris civitatib9 metus novarum rerum imponeretur. Dum hæc aguntur, rex Syriæ Antiochus Ptolemæo, majoris sororis suæ filio, regi Ægypti, bellum infert, segni admodum, & quotidiana luxuria ita marcenti, ut non solum regiæ majestatis officia intermitteret, verum etiam sensu hominis nimia sagina careret. Pulsus igitur regno, ad fratrem minorem Ptolemæum Alexandriam confugit: participatoque cum eo regno, legatos Romam ad senatum mittunt: auxilia petunt; fidem societatis imploranr. Movere senatum preces fratrum.

CAP. III. Mittitur itaque legatus Popilius ad Antiochum: qui abstinere illum Ægypto, aut si jam incessisset, excedere juberet. Cum in Ægypto eum in-

veniſſet, oſculumque ei rex obtuliſſet; (nam coluerat inter ceteros Popilium Antiochus, cum Romæ obſes eſſet) tunc Popilius facere interim privatam amicitiam jubet, cum mandata patriæ intercedant: prolatoque ſenatus decreto, & tradito, cum cunctari eum videret, conſultationemque ad amicos referre; ibi Popilius virga quam in manu gerebat, amplo circulo incluſum, ut & amicos caperet, conſulere jubet; nec prius inde exire, quam reſponſum ſenatui daret, aut pacem, aut bellum cum Romanis habiturum. Adeoque hæc auſteritas animum regis fregit, ut pariturum ſe ſenatui reſponderet. Reverſus in regnum Antiochus, decedit relicto parvulo admodum filio: cui cum tutores dati à populo eſſent, patruus ejus Demetrius, qui obſes Romæ erat, cognita morte Antiochi fratris, ſenatum adiit, obſidemque ſe vivo fratre veniſſe, quo mortuo, cujus obſes ſit, ſe ignorare. Dimitti igitur ſe ad regnum petendum æquum eſſe, quod ſicuti jure gentium majori fratri ceſſerit, ita nunc ſibi, qui pupillum ætate antecedat, deberi. Cum ſe non dimitti animadverteret à ſenatu, tacito judicio, tutius apud pupillum

quam

quam apud eum regnum futurum, arbitrante, specie venandi ab urbe profectus, Hostiæ tacitus, cum fugæ comitibus navem conscendit. Delatus in Syriam, secundo favore omnium excipitur: regnumque ei, occiso pupillo, à tutoribus traditur.

CAP. IV. Eodem fere tempore Prusias, rex Bithyniæ, consilium cœpit interficiendi Nicomedis filii, dum consulere studet minoribus filiis, quos ex noverca ejus susceperat, & Romæ habebat. Sed res adolescenti ab his, qui facinus susceperant, proditur: hortatique sunt, ut crudelitate patris provocatus, occupet insidias, & in auctorem retorqueat scelus: nec difficilis persuasio fuit. Igitur cum accitus in patris regnum venisset, statim rex apellatur. Prusias regno spoliatus à filio, privatusque redditus, etiam à servis deseritur. Cum in latebris ageret, non minori scelere, quam filium occidi jusserat, à filio interficitur.

LIBER XXXV.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Demetrius bella quærens ab hostibus opprimitur & in acie cadit.*
2. *Qui Demetrium everterat, ejusdem filio dat pœnas, prælio victus & interfectus.*

CAP. I.

DEmetrius occupato Syriæ regno, novitati suæ ocium periculosum ratus, ampliare fines regni, & opes augere finitimorum bellis statuit. Itaque Ariarathi regi Cappadociæ propter fastiditas fororis nuptias infestus, fratrem ejus Orofernem, per injuriam regno pulsum, supplicem recepit; datumque sibi honestum belli titulum gratulatus, restituere eum in regnum statuit. Sed Orofernes ingrato animo, inita cum Antiochensibus pactione, offensis tunc Demetrio pellere ipsum regno, à quo restituebatur, consilium cepit. Quo cognito, Demetrius vitæ quidem ejus, ne Ariarathes metu fraterni belli liberaretur, pepercit: ipsum autem comprehensum, victum Seleuciæ custodiri jubet. Nec Antiochenses indicio territi, à defectione destiterunt. Itaque adjuvantibus & Ptolemæo rege Ægypti, & Attalo rege Asiæ & Ariarathe Cappadociæ, bello à Demetrio lacessiti, subornant propalam quendam, sortis extremæ juvenem, qui Syriæ regnum velut paternum armis repeteret; & ne quid contumeliæ deesset, nomen ei Alexandri inditur, genitusque ab Antiocho rege dici-

rege dicitur. Tanto odium Demetrii apud omnes erat, ut æmulo ejus non vires regiæ tantum, verumetiam generis nobilitas consensu omnium tribueretur. Igitur Alexander, admirabili rerum varietate pristinarum sordium oblitus, totius ferme Orientis viribus succinctus, bellum Demetrio infert, victumque vita pariter ac regno spoliat. Quanquam nec Demetrio animus in propulsando bello defuit. Nam & primo prœlio hostem fugavit, & regibus bellum restituentibus, multa millia in acie cecidit. Ad postremum tamen, invicto animo inter confertissimos fortissime dimicans, cecidit.

CAP. VI. Initio belli Demetrius duos filios apud Gnidium hospitem suum, cum magno auri pondere commendaverat, ut belli periculis eximerentur, & si ita fors tulisset, paternæ ultioni servarentur. Ex his major Demetrius annos pubertatis egressus, audita Alexandri luxuria, quem insperatæ opes, & alienæ felicitatis ornamenta, velut captum, inter scortorum greges desidem in regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus, securum ac nihil hostile metuentē, aggreditur. Antiochenses quoq; veterem patris offensam novis meritis correcturi, se

ei tradunt: sed & milites paterni, favore juvenis accensi, prioris sacramenti religionem novi regis superbiæ præferentes, signa ad Demetrium transferunt: atque ita Alexander non minori impetu fortunæ destructus, quam elatus, primo prœlio victus interficitur: deditque pœnas, & Demetrio, quem occiderat; & Antiocho, cujus mentitus originem fuerat.

LIBER XXXVI.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Demetrius junior bella importune movet & infeliciter persequitur. Turbæ in Syria, ubi Tripho ab Antiocho, Demetrii fratre opprimitur. Antiochus Iudæos subigit.*
2. *De Iudæorum origine, incrementis & gestis, Iustini falsa sententia.*
3. *Iudæum opes. Mare mortuum. A quibus Iudæi domiti sint.*
4. *Attali Asiæ regis delicta, mors, testamentum. Asia Romanorum fit propria, divitiæ autem & vitia sua Romam transmittit.*

CAP. I.

Receperato paterno regno Demetrius & ipse rerum successu corruptus, vitiis adolescentiæ insignitiam labitur; tantumque contemptum apud omnes inertiæ, quantum odium ex superbia pater habuerat, contraxit. Itaque cum ab imperio ejus passim civitates deficerent, ad abolendam regni-

segnitiæ maculam, bellum Parthis inferre statuit: cujus adventum non invitiOrientis populi videre; & propter Arsacidæ regis Parthorum crudelitatem, & quod veteri Macedonum imperio assueti, novi populi superbiam indigne ferebant. Itaque cum & Persarum, & Elimæorum, Bactrianorumque auxiliis juvaretur, multis proeliis Parthos fudit. Ad postremum tamen, pacis simulatione deceptus, capitur; traductusque per ora civitatium, populis qui desciverant, in ludibrium favoris ostenditur. Missus deinde in Hyrcaniam, benigne & juxta cultum pristinæ fortunæ habetur. Dum hæc aguntur, interim in Syria Typho, qui se tutorem Antiocho Demetrii privigno substitui à populo laboraverat, occiso pupillo, regnum Siriæ invadit. Quo diu potius, tandem exolescente favore recentis imperii, ab Antiocho puero admodum, Demetrii fratre, qui in Asia educabatur, bello vincitur: rursusque regnum Syriæ ad subolem Demetrii revertitur. Igitur Antiochus, memor quod & pater propter superbiam invisus, & frater propter segnitiam contemptus fuisset, ne in eadem vitia incideret, recepta in matrimonium Cleopatra,

uxore fratris, civitates quæ initio fraterni imperii defecerant, summa industria persequitur, domitasque rursus regni terminis adjicit. Judæosque, qui in Macedonico imperio sub Demetrio patre armis se in libertatem vindicaverant, subigit. Quorum vires tantæ fuere, ut post hunc nullum Macedonum regem rulerint, domesticisque imperiis ust, Syriam magnis bellis infestaverint.

CAP. II. Namq; Judæis origo Damascena, Syriæ nobilissima civitas: unde & Assyriis regibus genus, ex regina Semirami, fuit. Nomen urbi à Damasco rege inditum: in cuius honorem, Syrii sepulchrum Arathis uxoris ejus pro templo colunt; deamq; exinde sanctissimæ religionis habent. Post Damascum Azelus, mox Adores, & Abraham, & Israel reges fuere. Sed Israhelem felix decem filiorum proventus majoribus suis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna divisum filiis tradidit, omnesque ex nomine Judæ, qui post divisionem decesserat, Judæos appellavit: colique ejus memoriam ab omnibus jussit: Ejus portio omnibus accessit. Minimis ætate inter fratres Joseph fuit: cujus excellens ingenium veriti fratres, clam

clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cum magicas ibi artes sollerti ingenio percepisset, brevi ipsi regi percarus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit; nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur: adeo, ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providerit: periissetque omnis Ægyptus fame, nisi monitu ejus rex edicto servari per multos annos fruges jussisset: tantaque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, sed à Deo responsa dari viderentur. Filius ejus Moses fuit, quem præter patetnæ scientiæ hæreditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat. Sed Ægyptii, quum scabiem & vitiliginem paterentur, responso moniti eum cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægyti pellunt. Dux igitur exulum factus, sacra Ægyptiorum furto abstulit: quæ repetentes armis Ægyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt. Itaq; Moses Damascena antiqua patria repetita, montem Synan occupat: quo septem dierum jejunio, per deserta Arabiæ, cum populo suo fatigatus, cum tandem

veniſſet, ſeptimum diem, more gentis Sabbatum appellatum, in omne ævum jejunio ſacravit: quoniam illa dies famem illis erroremque finierat, Et quoniam metu contagionis pulſos ſe ab Ægypto meminerant, ne eadem cauſa inviſi apud incolas forent, caverunt, ne cum peregrinis communicarent: quod ex cauſa factum, paulatim in diſciplinam religionemque convertit. Poſt Moſen etiam filius ejus Aruas, ſacerdos ſacris Ægyptiis, mox rex creatur; ſemperque exinde hic mos apud Judæos fuit, ut eosdem, reges & ſacerdotes haberent: quorum juſtitia religione permixta incredibile quantum coaluere.

CAP. III. Opes genti ex vectigalibus opobalſami crevere, quod in his tantum regionibus gignitur. Eſt namque vallis, quæ continuis montibus, velut muro quodam, ad inſtar caſtrorum clauditur. Spatium loci ducenta jugera, nomine arcus dicitur. In ea ſilva eſt, & ubertate & amœnitate inſignis: ſiquidem palmeto & opobalſamo diſtinguitur. Arbores opobalſami, formam ſimilem piceis arboribus habent, niſi quod ſunt humiles magis, & in vinearum morem excoluntur. Hæ certo anni tempore balſa-

balsamum fudant. Sed non minor loci ejus apricitatis quam ubertatis admiratio est: quippe cum toto orbe gionis ejus ardentissimus sol sit, ibi tepidi aëris naturalis quædam ac perpetua apricitas inest. In ea regione lacus est, qui propter magnitudinem & aquæ immobilitatem, mortuum mare dicitur. Nam neq; ventis movetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur: neque navigationis patiens est, quoniam omnia vita carentia in profundum mergunt: nec materiam ullam sustinet, nisi quæ alumine illinatur. Primum Xerxes rex Persarum, Judæos domuit: posteà cum ipsis Persis in ditionem Alexandri Magni venere, diuque in potestate Macedonici imperii subjecti Syriæ regno fuere. A Demetrio cum desciviſſent, amicitia Romanorum petita, primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus.

CAP. IV. Per eadem tempora, quibus in Syria regni mutatio inter novos reges alternabatur, in Asia rex Attalus florentissimum, ab Eumene patruo acceptum regnum, cædibus amicorum, & cognatorum suppliciis fœdabat, nunc matrem

matrem anum, nunc Beronicen sponsam maleficiis eorum necatas confingens. Post hanc scelestam violentiæ rabiem, squalidam vestem sumit: barbam capillumque in modum reorum summittit; non in publicum prodire, non populo se ostendere, non domi lætiora convivia inire, aut aliquod signum fani hominis habere, prorsus ut pœnas pendere manibus interfectorum videretur. Omissa deinde regni administratione, hortos fodiebat, gramina seminabat, & noxia innoxiis permiscebat, eaq; omnia veneni succo infecta, velut peculiare munus amicis mittebat. Ab hoc studio, æreariæ artis fabricæ se tradit, cerisque fingendis, & ære fundendo procudendoq; oblectabatur. Matri deinde sepulchrum facere instituit: cui operi intentus, morbum ex solis fervore contraxit, & septima die decessit. hujus testamento heres populus Roman. tunc instituitur. Sed erat ex Eumene Aristonicus, non justo matrimonio, sed expellice Ephesia citharistæ cujusdam filia genitus, qui post mortem Attali, velut paternum regnum Asiam invasit. Cum multa secunda prœlia adversus civitates, quæ metu Romanorũ tradere se ei nolebant, fecis-

ser;

set; justusque rex jam videretur, Asia Licinio Crasso consuli decernitur: qui intentior Attalicæ prædæ, quam bello, quum extremo anni tempore inordinata acie prœlium conseruisset, victus pœnas inconsultæ avaritiæ, sanguine dedit. In hujus locum missus Perpenna consul, prima congressione Aristonicum superatum in potestatem suam redigit; Attalicasque gazas, hereditarias populi Romani, navibus impositas, Romam deportavit. Quod ægre ferens successor ejus Marcus Aquilius Consul, ad eripiendum Aristonicum Perpennæ, veluti sui potius triumphi munus esse deberet, festinata velocitate contendit. Sed contentionem Consulum mors Perpennæ diremit. Sic Asia Romanorum facta, cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit.

LIBER XXXVII.

Breviarium Capitum.

1. *Massilienses in Phocenses beneficentia. Tragœdia in Cappadocia & Ponto.*
2. *Mithridatis Ponti Regis futura magnitudo prædicta, liberatio, occupationes.*
3. *Ejusdem res gestæ; & domi ab uxore periculum.*
4. *Otii detestatio, exercitia militaria. Cappadociae & Galatiae occupatio, atque superbum Romanis responsum.*

CAP. I.

CAP. I.

CApto Aristonico, Massilienses pro Phocensibus conditoribus suis, quorum urbem senatus, & omne nomen, quod & tunc, & antea Antiochi bello, infesta contra populum Romanum arma tulerant, deleri jusserat, legatos Romam deprecatum misere, veniamq; his à senatu obtinuere. Post hæc regibus, qui adversus Aristonicum auxilia tulerant, præmia persoluta: Mithridati Pontico Syria major; filiis Ariarathis regis Cappadociæ, qui eodem bello occiderat, Lycaonia & Cilicia datæ; fideliorq; populus Romanus in socii filios, quam mater in liberos fuit: Quippe hinc parvulis auctum regnum, inde vita adempta. Namque Laodice ex numero sex filiorum, quos virilis sexus ex Ariarathe rege susceperat, timens ne non diutinam regni administrationem adultis quibusdam potiretur, quinq; parricidiali veneno necavit: unum parvulum sceleri matris cognatorum custodia eripuit, qui post necem Laodices (nam propter crudelitatem, eam populus extinxerat) solus regno potitus est. Mithridates quoq; repentina morte intercepto, filium, qui & ipsi Mithridates dictus est, reli-

reliquit. Cujus ea postea magnitudo fuit, ut non sui tantum temporis, verum etiam superioris ætatis omnes reges majestate superaverit, bellaque cum Romanis per XLVI annos varia victoria gesserit: Cum eum summi imperatores, Sylla, Lucullus, ceterique, in summa Cneus Pompejus ita vicerint, ut major clariorque in restaurando bello resurgeret, damnisq; suis terribilior redderetur. Denique ad postremum, non vi hostili victus, sed voluntaria morte, in avito regno, senex, herede filio, decessit.

CAP. II. Hujus futuram magnitudinem etiam cælestia ostenta prædixerant. Nam & quo genitus est anno, & eo quo regnare primum cœpit, stella cometes per utrumque tempus septuaginta diebus ita luxit, ut cœlum omne conflagrare videretur. Nam & magnitudine sui quartam partem cœli occupaverat, & fulgore sui, Solis nitorem vicerat; & cum oriretur occumberetque, quatuor spatium horarum consumebat. Puer tutorum insidias passus est, qui cum fero equo impositum, equitate jacularique cogebant: qui conatus cum eos fefellissent, supra ætatem regente equum Mithridate, veneno eum appetivere. Quod metuens,

tuens, antidota sæpius bibit, & ita se adversus insidias exquisitis tutioribus remediis stagnavit, ut ne volens quidem senex veneno mori potuerit. Timens deinde, ne inimici, quod veneno non potuerant, ferro peragerent, venandi studium finxit: quo per septem annos neque urbis, neque ruris tecto usus est: sed per silvas vagatus, diversis montium regionibus pernoctabat, ignaris omnibus, quibus esset locis: assuetas feras cursu aut fugare, aut persequi, cum quibusdam etiam, viribus congredi. Quibus rebus, & insidias vitavit, & corpus ad omnem virtutis patientiam duravit.

CAP. III. Ad regni deinde administrationem cum accessisset, statim non de regendo, sed de augendo regno cogitavit. Itaque Scythas invictos antea, qui Sopyriona, Alexandri Magni ducem, cum triginta millibus armatorum deleverant, qui Cyrum, Persarum regem, cum ducentis millibus trucidaverant, qui Philippum Macedonum regem fugaverant, ingenti felicitate perdomuit. Auctus igitur viribus, Pontum quoque, ac deinceps Cappadociam occupavit. Cum de Asia tractaret, tacitus cum quibusdam amicis regno profectus, universam nemi-

nemine sciente pervagatus est, omniumque urbium situm ac regiones cognovit. Inde Bithyniam transcendit, & quasi dominus Asiæ, opportuna quæque victoriæ suæ metatus est. Post hæc in regnum, cum jam perisse crederetur, reversus est, invento parvulo filio, quem per absentiam ejus Laodice soror uxorque enixa fuerat. Sed inter gratulationem adventus sui, & filii geniti, veneno periclitatus est. siquidem Laodice soror, cum perisse eum crederet, in concubitus amicorum projecta, quasi admissum facinus majore scelere tegere posset, venenum adveniente paravit. Quod cum ex ancilla Mithridates cognovisset, facinus in auctores vindicavit.

CAP. IV. Hieme deinde imminente, non in convivio, sed in campo; non in vacationibus, sed in exercitationibus: nec inter sodales, sed inter coæquales, aut equo, aut cursu, aut viribus contendebat. Exercitum quoque suum ad parem laboris patientiam quotidiana exercitatione durabat: atque ita invictus ipse inexpugnabilem exercitum fecerat. Inita deinde cum Nicomede societate, Paphlagoniam invadit, victamq; cum socio dividit. Quam cum teneria

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0385
DFG

ri à regibus senatui nuntiatum esset, legatos ad utrumque misit, qui gentem restitui in pristinum statum juberent. Mithridates cum se jam parem magnitudini Romanorum crederet, superbo, responso, hereditarium patri suo regnum obvenisse, respondit: mirarique se, quod ei relata controversia non fuerit, sibi referatur. Nec territus minis, Galatiam quoque occupat. Nicomedes quoniam se tueri jure non potuerat, justo regi redditurum respondit. Atque ita filium suum mutato nomine, Philiamenem Paphlagonum regum nomine appellat, & quasi stirpi regiæ reddidisset regnum falso nomine tenet. Sic ludibrio habiti legati, Romam revertuntur.

LIBER XXXVIII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Mithridates regni sui auspicia parricidiis poluit; & callidis artibus Ariarathem Cappadocem rucidat*
2. *Novæ Mithridatis & Nicomedis tragediæ, quas senatus Romanus utcunque sedat,*
3. *Mithridates Tigranem in societatem belli adversus Romanos trahit, & Proconsulibus Rom. fusis, ingenti civitatum Asianarum favore excipitur.*
4. *Oratio Mithridatis, in qua ratione suas exponit, cur bellum si. Romanis inferendum.*
5. *Romanos, dum occupati essent, adoriundos esse censet, justum bellum illud ostendens.*
6. *Malas eorundem artes, & originem detegit,*
7. *Stirpis suæ nobilitatem, suorumq; libertatem ac fortitudi-*

di-

dmem opponit ; nec non belli facilitatem, liberalitate ac munificentia milites allicens.

8. *Ptolemæus Physcon in Ægypto multiplici scelere omnia turbat, & à suis pellitur*

9. *Demetrii Syriæ Regis fortunæ ludibrii casus varii.*

10 *Antiochus Demetrii frater, Parthos bello aggressus, in acie à suis desertus occiditur.*

CAP. I.

MIthridates parricidia nec uxoris auspicatus, sororis alterius Laodices filios, cujus virum Ariarathem regem Cappadociæ per Gordium insidiis occiderat, tollendos statuit : nihil actum morte patris existimans, si adolescentes paternum regnum, cujus ille cupiditate flagrabat, occupassent Igitur dum in his cogitationibus versatur, interim Nicomedes rex Bithyniæ, vacuam morte regis Cappadociam invadit. Quod cum nuntiatum Mithridati fuisset, per simulationem pietatis auxilia fratri ad expellendum Cappadocia Nicomedem mittit. Sed jam Laodice per pactionem se Nicomedi in matrimonium tradiderat. Quod ægre ferens Mithridates, præsidia Nicomedis Cappadocia expellit; regnumq; sororis filio restituit : egregium prorsus factum, nisi subsequuta fraus esset. Siquidem interjectis mensibus, simulat se Gordium, quo mi-

ministro usus in Ariarathe interficiendo fuerat, restituere in patriã velle, sperans, si obsisteret adolescens, causas belli futuras: aut si permitteret, per eundem, filium tolli posse, per quem interfecerat patrem. Quod ubi Ariarathes junior moliri cognovit, graviter ferens interfectorem patris per avunculum potissimum ab exilio revocari, ingentem exercitum contrahit. Igitur cum in aciem eduxisset Mithridates peditum octoginta millia, equitum decem millia, currus falcatos DC; nec Ariarathi, auxiliantibus finitimis regibus, minores copiæ essent: incertum belli timens, consilia ad insidias transfert: sollicitatoq; juvene ad colloquium, cum ferrum occultatum inter fascias gereret, scrutatori ab Ariarathe regio more misso, curiosius imum ventrem pertractanti, ait, caveret, ne aliud telum inveniret, quam quæreret. Atq; ita risu protectis insidiis, evocatum ab amicis velut ad secretum sermonem, inspectante utroque exercitu, interficit: regnum Cappadociæ octo annorum filio, impositoque Ariarathis nomine, additoque ei rectore Gordio, tradidit.

CAP. II. Sed Cappadoces, crudelitate ac libidine præfectorum vexati, à Mithri-

Mithridate deficiunt; fratremque regis, & ipsum Ariarathem nomine, ab Asia ubi educabatur, revocant: cum quo Mithridates prœlium renovat, victumque Cappadociæ regno expellit. Nec multo post adolescens, ex ægritudine collecta infirmitate, decedit. Post hujus mortem Nicomedes timens, ne Mithridates accessione Cappadociæ, etiam Bithyniam finitimam invaderet, subornat puerum eximiæ pulchritudinis, quasi Ariarathes tres, non duos filios genuisset, qui à senatu Romano paternum regnum peteret. Uxorem quoq; Laodicem Romam mittit, ad testimoniũ trium ex Ariarathe susceptorum filiorum. Quod ubi Mithridates cognovit, & ipse pari impudentia Gordium Romam mittit, qui senatui assereret, puerum cui Cappadociæ regnum tradiderat, ex eo Ariarathe genitum, qui bello Aristonici auxilia Romanis ferens cecidisset. Sed senatus, studio regnum intellecto, aliena regna falsis nominibus furantium, & Mithridati Cappadociam, & Nicomedi, ad solatium ejus, Paphlagoniam ademit. Ac ne contumelia regum foret, ademptum illis, quod daretur aliis, uterque populus libertate donatus est. Sed Cappadoces

munus libertatis abnuentes, negant vivere gentem sine rege posse. Atque ita rex illis à senatu Ariobarzanes constituitur.

CAP. III. Erat eo tempore Tigranes rex Armeniæ, obses Parthis ante multum temporis datus, sed olim ab iisdem in regnum paternum remissus. Hunc Mithridates mire ad societatem Romani belli, quod olim meditabatur, pellicere cupiebat. Nihil igitur de offensa Romanorum sentientem, per Gordium impulit, ut Ariobarzani, segni admodum, bellum inferat: & ne quis dolus subesse videretur, filiam suam ei Cleopatram in matrimonium tradit. Primo igitur adventu Tigranis, Ariobarzanes sublatis rebus suis, Romam contendit. Atque ita per Tigranem rursus Cappadocia juris esse Mithridatis coepit. Eodem tempore mortuo Nicomede, etiam filius ejus & ipse Nicomedes regno à Mithridate pellitur, qui cum supplex Romam venisset, decernitur in senatu, ut uterque in regnum restituantur: in quod tum missi Aquilius & Manlius Maltinus legati. His cognitis Mithridates societatem cum Tigrane, bellum adversus Romanos gesturus, jungit: pactiq; inter se sunt, ut urbes agrique Mithridati, homi-

homines vero & quæcunq; auferri poſſent, Tigrani cederent. Poſt hæc Mithridates intelligens, quantum bellum ſuſcitaret, legatos ad Cimbros, alios ad Gallogræcos, & Sarmatas, Baſtarnasque, auxilium petitum mittit. Nam omnes has gentes Romanum meditabundus bellum, variis beneficiorum muneribus jam ante illexerat. Ab Scythia quoq; exercitum venire jubet, omnemque Orientem adverſus Romanos armat. Non magno igitur labore Aquilium & Maltinum, Aſiano exercitu inſtructos vincit: quibus ſimul cum Nicomede pulſis, ingenti favore civitatium excipitur: multum ibi auri argentique, ſtudio veterum regum, magnumq; belli apparatum invenit: quibus inſtructus, debita civitatibus publica privataque remittit, & vacationem quinquennii concedit. Tunc ad concionem milites vocat, eosque variis exhortationibus ad Romana bella ſive Aſiana incitat. Quam orationem dignam duxi, cujus exemplum brevitati hujus operis inſererem, quam obliquam Pompejus Trogus expoſuit: quoniam in Livio & in Salluſtio reprehendit, quod, conciones directas pro ſua oratione operi ſuo inſerendo, hiſtoriæ modum exceſſerint.

CAP. IV. Optandum sibi fuisse ait, ut de eo liceret consulere, bellumne sit cum Romanis, an pax habenda: quin vero, sit resistendum impugnantibus, nec eos quidem dubitare, qui spe victoriæ careant. Quippe adversus latronem, si nequeant pro salute, pro ultione tamen sua, omnes ferrum stringere. Ceterum quia non id agitur, an liceat quiescere, non tantum animo hostiliter, sed etiam prœlio congressus, consulendum, qua ratione ac spe cœpta bella sustineant. Esse autem sibi victoriæ fiduciam, si sit illis animus: Romanosq; vinci posse, cognitum non sibi magis, quam ipsis militibus, qui & in Bythinia Aquilium, & Maltinum in Cappadocia fuderint. At si quem aliena magis exempla, quam sua experimenta noveant, audire se, à Pyrrho rege Epiri, non amplius quam quinque millibus Macedonum instructo, fusos tribus prœliis Romanos. Audire, Annibalem sexdecim annis Italiæ victorem immoratum: & quia ipsam caperet urbem, non Romanorum illi vires obstitisse, sed domesticæ æmulationis atq; invidiæ studium. Audire, populos Transalpinæ Galliæ, Italiam ingressos, maximis eam plurimisque urbibus possi-

possidere ; & latius aliquanto solum finium quam in Asia, quæ dicatur imbellis, eosdem Gallus occupasse : nec victam solum dici sibi Romam à Gallis, sed etiam captam ; ita ut unius illis montis tantum cacumen relinqueretur ; nec bello hostem, sed pretio remotum ; Gallorum autem nomen, quod semper Romanos terruit, in partem virium suarum ipse numeret. Nam hos qui Asiam incolunt Gallos, ab illis, qui Italiam occupaverant, sedibus tantum distare : originem quidem ac virtutem, genusque pugnæ idem habere ; tantoque his sagaciora esse quam illis ingenia, quanto longiori ac difficiliori spatio per Illyricum Thraciamque prodierint, pene operosius transitis eorum finibus, quam ubi consedere, possessis. Jam ipsam Italiam audire se nunquam, ut Roma condita sit, satis illi pacatum, sed assidue per omnes annos pro libertate alios, quosdam etiam pro jure imperii bellis continuis perseverasse ; & à multis civitatibus Italia deletos Romanorum exercitus ferro, à quibusdam novo contumeliæ more subjugum missos. Ac ne veteribus immoremur exemplis, hoc ipso tempore universam Italiam bello Marsico consurrexisse,

non jam libertatem, sed consortium imperii, civitatisque poscentem. Nec gravius vicino Italiæ bello, quam domesticis principum factionibus urbem premi, multoque periculosius esse Italico civile bellum: simul & à Germania Cimbros, immensa millia ferorum atq; immitium populorum, more procellæ, inundasse Italiam: quorum tametsi singula bella sustinere Romani possent, universis tamen obruantur, ut ne vacaturos quidem bello suo putet.

CAP. V. Utendum igitur occasione; & rapienda incrementa virium, ne si illis occupatis quieverint, mox adversus vacuos & quietos, majus negotium habeant. Non enim quæri, an capienda sit arma, sed utrum sua potius occasione, an illorum. Nam bellum equidem jam tunc secum ab illis geri cœptum; cum sibi pupillo majorem Phrygiam ademerint, quam patri suo præmium dari adversus Aristonicum auxilii concesserant, gentem quam & proavo suo Mithridati Seleucus Callinicus in dotem dedisset. Quid cum Paphlagonia se decedere jusserunt? non alterum illud genus belli fuisse; quæ non vi, non armis, sed adoptione testamenti, & regum

gum domesticorum interitu, hereditaria patri suo obvenisset : cum inter hanc decretorum amaritudinem parendo, non tamen eos mitigaret, quin acerbius se in dies gerant, non obtinuisse. Quod enim à se non præbitum illis obsequium? non Phrygiam, Paphlagoniamque dimissas? non Cappadocia filium eductum, quam jure gentium victor occupaverat? Raptam tamen sibi esse victoriam ejus ab illis, quorum nihil est nisi bello quæsitum. Non regem Bithyniæ Chreston, in quem senatus arma decreverat, à se in gratiam illorum occisum? tamen nihilominus imputari sibi, si qua Gordius aut Tigranes faciat: libertatem etiam in contumeliam sui à senatu ultro delatam Cappadociæ, quam reliquis gentibus abstulerunt : deinde populo Cappadocum, pro libertate oblata, Gordium regem orante, ideo tantum quoniam amicus suus esset, non obtinuisse. Nicomedem præcepto illorum bellum sibi intulisse, quia ultum ierit se : ab ipsis ventum obviam in eo, & nunc eam secum bellandi illis causam fore, quod non impune se Nicomedi lacerandum, saltatricis filio, præbuerit.

CAP. VI. Quippe non delicta regum illos, sed vires ac majestatem insequi: neque in se uno, sed in aliis quoque omnibus hac semper arte grassatos. Sic & avum suum Pharnacem, per cognationum arbitria, succedaneum regi Pergameno Eumeni datum: sic rursus Eumenem: cujus classibus primum in Asiam fuere transvecti, cujus exercitu magis quam suo, & Magnum Antiochum, & Gallos in Asia, & mox in Macedodonia regem Persem domuerant; & ipsum pro hoste habitum, eique interdictum Italia: & quod cum ipso deforme sibi putaverant, cum filio ejus Aristonico bellum gessisse. Nullius apud eos majora, quam Masinissæ regis Numidarum haberi merita. Huic imputari victum Annibalem, huic captum Syphacem, huic Carthaginem deletam: hunc inter duos illos Africanos tertium servatorem urbis referri: tamen cum hujus nepote bellum modo in Africa gestum adeo inexpiabile, ut ne victum quidem memoriæ patris donarent, quin carcerem ac triumphi spectaculum experiretur. Hanc illos regibus omnibus legem odiorum dixisse, scilicet quia ipsi tales reges habuerint, quorum etiam nominibus erubescant,

bescant, aut pastores Aborigenum, aut auruspices Sabinorum, aut exules Corinthiorum, aut servos vernasque Thuscorum, aut, quod honoratissimum nomen fuit inter hæc, Superbos, atque ut ipsi ferunt, conditores suos lupæ uberibus altos: sit omnem illum populum luporum animos, inexplebiles sanguinis atq; imperii, divitiarumq; avidos ac jejunos habere.

Cap. VII. Se autem, seu nobilitate illis comparetur, clariorem illa colluvie convenarum esse, qui paternos majores suos à Cyri Darioque conditoribus Persici regni, maternos à Magno Alexandro, ac Nicatore Seleuco, conditoribus imperii Macedonici, referat: seu populus illorum conferatur suo, earum se gentium esse, quæ non modo Romano imperio sint pares, sed Macedonico quoque obstiterint. Nullam subjectarum sibi gentium expertam peregrina imperia: nullis unquam nisi domesticis regibus paruisse: Cappadociam velint, an Paphlagoniam recensere; rursus Pontum an Bithyniam; itemq; Armeniam majorem minoremque: quarum gentium nullam neq; Alexander ille, qui totam pacavit Asiam, nec quisquam successorum

ejus, aut posterorum attigisset. Scythiam duos unquam ante se reges, non pacare, sed tantum intrare ausos, Darium & Philippum; ægre inde fugam sibi expedisse; unde ipse magnam partem adversus Romanos virium haberet. Multoque se timidius ac diffidentius bella Pontica ingressum, cum ipse rudis ac tiro esset: Scythiæ præter arma, virtutemque animi, locorum quoque solitudinibus, vel frigoribus instructæ, quæ per denuntiaretur ingens militiæ labor ac periculum. Inter quas difficultates ne spes quidem præmii foret ex hoste vago; nec tantum pecuniæ, sed etiam sedis inope. Nunc se diversam belli conditionem ingredi, Nam neq, cælo Asiæ esse temperatius aliud, nec solo fertilius, nec urbium multitudine amœnius; magnamque temporis partem, non ut militiam, sed ut festum diem acturos, bello dubium facili magis an uberi: si modo aus proximas regni Attalici opes, aut veteres Lydiæ Joniæque audierint, quas non expugnatum eant, sed possessum: tantumque se avide exspectat Asia, ut etiam vocibus vocet: adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas Proconsulum, sectio publicanorum, calumniæ litium.

litium. Sequantur se modo fortiter; & colligant, quid se duce possit efficere tantus exercitus, quem sine cujusquam militum auxilio, suamet unius opera, viderint Cappadociam cæso rege cepisse; qui solus mortalium Pontum omnem Scythiamque pacaverit, quam nemo ante transire tuto atq; adire potuerit. Nam justitiæ atq; liberalitatis suæ, ne ipsos milites, qui experiantur, testes refugere: & illa indicia habere, quod solus regum omnium non paterna solum, verum etiam externa tegna, hereditatibus propter munificentiam acquisita possideat, Colchos, Paphlagoniam, Bosphorum.

CAP. VIII. Sic excitatis militibus, post annos tres & viginti sumpti regni, in Roma bella descendit. At in Ægypto mortuo rege Ptolemæo, ei qui Cyrenis regnabat Ptolemæo, per legatos regnum & uxor Cleopatra regina, soror ipsius, defertur. Lætus igitur hoc solo Ptolemæus, quod sine certamine fraternum regnum recepisset, in quod subornati & à matre Cleopatra, & favore principum, fratris filium cognoverat: ceterum infestus omnibus, statim ubi Alexandriam ingressus est, fautores pueri trucidari jussit. Ipsum quoque die nu-

ptiarum quibus matrem ejus in matrimonium recipiebat, , inter apparatus epularum & solemnia religionum, in complexu matris interficit: atque ita thorum sororis, cæde filii ejus cruentus, ascendit. Post quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocaverant, fuit. Siquidnm peregrinis militibus licentia cædis data, omnia sanguine quotidie manabant: ipsam quoque sororem, filia ejus virgine per vim stuprata, & in matrimonium adscita, repudiat. Quibus rebus territus populus, in diversa labitur, patriamque, metu mortis, exul relinquit. Solus igitur in tanta urbe cum suis relictus Ptolemæus, cum regem se non hominum, sed vacuarum ædium videret, edicto peregrinos solicitat. Quibus confluentibus, obvius legatis Romanorum, Scipioni Africano, & Spurio Mummio, & L. Metello, qui ad inspicienda sociorum regna veniebant, procedit. Sed quam cruentus civibus, tam ridiculus Romanis fuit. Erat enim & vultu deformis, & statura brevis, & sagina ventris non homini, sed belluæ similis. Quam fœditatem nimia subtilitas perlucidæ vestis angebat, prorsus quasi astu inspicienda præberentur, quæ omni studio occultanda

anda pudibundo viro erant. Post discessum deinde legatorum (quorum Africanus, dum inspicit urbem, spectaculo Alexandrinis fuit,) jam etiam populo peregrino invisus, cum filio, quem ex sorore susceperat, & cum uxore mattris pellice, metu insidiarum, tacitus in exilium proficiscitur; contractoque mercenario exercitu bellum sorori pariter ac patriæ infert. Arcessitum maximum deinde à Cyrenis filium, ne eum Alexandrini contra se regem crearent, interficit. Tunc populus statuas & imagines ejus detrahit. Quod factum studio sororis existimans, filium quem ex ea susceperat, interficit, corpusque in membra divisum, & in cista compositum, matri die natalis ejus inter epulas offerri curat. Quæ res non reginæ tantum, verum etiam universæ civitati, acerba & luctuosa fuit: tantumque mœrorem festivissimo convivio intulit, ut regia omnis repetentino luctu incenderetur. Verso igitur studio principũ ab epulis in exsequias, membra lacera populo ostendunt; & quid sperare de rege suo debeant, filii cæde demonstrant.

CAP. IX. Finito luctu orbitatis, Cleopatra cum urgeri se fraterno bello vide-

deret, auxilium à Demetrio regæ Syriæ per legatos petit: cujus ipsius varii & memorabiles casus fuere. Namque Demetrius, ut supra dictum est, cum bellum Parthis intulisset, & multis congressionibus victor fuisset, repente insidiis circumventus, amisso exercitu capitur. Cui Arsacides Parthorum rex, magno & regio animo misso in Hyrcaniam, non cultum tantum regium præstitit: sed & filiam in matrimonium dedit, regnumque Syriæ, quod per absentiam ejus Trypho occupaverat, restituturum promittit. Post hujus mortem desperato reditu, non ferens captivitatem Demetrius, privatam etsi opulentam vitam pertæsus, tacitus in regnum fugam meditatur. Hortator illi & comes Gallimander amicus erat: qui post captivitatem ejus à Syria per Arabiæ deserta, ducibus pecunia comparatis, Parthico habitu Babylonem pervenerat. Sed fugientem Phrahates, qui Arsacidæ successerat, equitum celeritate, per compendiosos tramites occupatum retrahit. Ut est deductus ad regem, Gallimandro quidem non tantum venia, verum etiam præmium fidei datum: Demetrium autem & graviter castigatum ad conjugem in Hyrcaniam

am remittit, arctioribusque custodiis observari jubet. Interjecto deinde tempore, cum fidem illi etiam suscepti liberi facerent, eodem amico comite repetita fuga est: sed pari infelicitate prope fines regni sui deprehenditur; ac denuo perductus ad regem, ut invisus à conspectu summovetur. Tunc quoque uxori & liberis donatus, in Hyrcaniam, pœnalem sibi civitatem, remittitur, talisq; aureis ad exprobationem puerilis levitatis donatur. Sed hanc Parthorũ tam mitem in Demetrium clementiam non misericordia gentis faciebat, nec respectus cognationis: sed quod Syriæ regum affectabant, usuri Demetrio adversus Antiochum fratrem, prout res, vel tempus, vel fortua belli exegisset.

CAP. X. His auditis, Antiochus occupandũ bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis induraverat, adversus Parthos ducit. Sed luxuriæ non minor apparatus, quam militiæ fuit: quippe LXXX millia armatorum, sequuntur sunt cccc millia lixarum; ex quibus coquorum, pistolorum, soenicorumque, major numerus fuit. Argenti certe aurique tantum, ut etiam gregarii milites caligas auro figerent, proculant-

rentque materiam, cujus amore populi ferro dimicant. Culinarum quoque argentea instrumenta fuere, prorsus quasi ad epulas non ad bella pergerent. Adventi Antiocho multi Orientales reges occurrere, tradentes se regnaque sua, cum execratione superbiæ Parthicæ. Nec mora congressioni fuit. Antiochus tribo prœliis victor, cum Babyloniam occupasset, magnus haberi cœpit. Itaque omnibus ad eum populis deficientibus, nihil Parthis reliqui præter patrios fines fuit. Tunc Phrahates Demetrium in Syriam ad occupandum regnum cum Parthico præsidio mittit, ut eo pacto Antiochus ad sua tuenda à Parthia revocaretur. Interim quoniam viribus non poterat, insidiis Antiochum ubique tentabat. Propter multitudinem hominum, exercitum suum Antiochus per civitates in hyberna diviserat: quæ res exitii causa fuit. Nam cum gravari se copiarum præbitione, & injuriis militum, civitates viderent, ad Parthos deficiunt; & die statuta omnes apud se divisum exercitü per insidias, ne invicem ferre auxilia possent, aggrediuntur. Quæ cum nuntiata Antiocho essent, auxilium proximis laturus, cum ea manu, quæ secum hie-

ma-

mabat, progreditur. In itinere obvium regem Parthorum habuit, adversus quem fortius, quam exercitus ejus, dimicavit. Ad postremum tamen cum virtute hostes vincerent, metu sorum desertus, occiditur: cui Phrahates exsequias regio more fecit, filiamque Demetri, quam secum Antiochus adduxerat, captus amore virginis, uxorem duxit. Pœnitere deinde dimissi Demetrii cœpit: ad quem retrahendum cum turmas equitum festinato misisset, Demetrium, hoc ipsum metuentem, jam in regno missi invenerunt: frustraque omnia canoti, ad regum suum reversi sunt.

LIBER XXXIX.

Breviarium Capitum.

1. *Demetrius interfecto fratre Antiocho dum Ægyptum tentat, Syriam amittit & tandem cruento fato tollitur.*
2. *Alexander ex ignobili Rex factus, dum fortunam suam non reverenter habet, fœde perit interfectus à Grypho, qui matrem & fratrem extinguit.*
3. *Cleopatra Regina mater in Ægypto gravissimas turbas concitat: undæ horrendæ lanienæ ex mulierum, ira, quarum interitus describitur.*
4. *Peculiares tragœdiæ quas Cleopatra inter suos excitat. Tandem illa à filio Alexandro occupata interficitur.*
5. *Alexander in exilium agitur, revocato Ptolemæo Notho. Romani ad orientalia regna excurrentibus, Syria & Ægyptus vexatur.*

CAP. I.

CAP. I.

ANtiocho in Parthia cum exercitu deleto, frater ejus Demetrius, obsidione Parthorum liberatus, ac restitutus in regnum, cum omnis Syria in luctu propter amissum exercitum esset; quasi Parthica ipsius ac fratris bella, quibus alter captus, alter occisus erat, prospere gessit, ita Ægypto bellum inferre statuit; regnum Ægypti Cleopatra socru, pretium auxilii adversus fratrem suum, pollicente. Sed dum aliena affectat, ut assolet fieri, propria per defectionem Syriæ amisit. Siquidem Antiochenses primi, duce Tryphone, execrantes superbiam regis, quæ conversatione Parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat, mox Apamenii, ceteræque civitates exemplum sequutæ, per absentiam regis á Demetrio defecere. Ptolemæus quoq; rex Ægypti, bello ab eodem petitus, cũ cognovisset, Cleopatram sororem suã, opibus Ægypti navibus impositis, ad filiam & Demetrium in Syriam profugisse, immittit juvenem quendam Ægyptium, Frotarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriæ armis peteret. Et composita fabula, quasi per adoptionem Antiochi regis receptus in fa-

familiam regiam esset. nec Syriis quem libet regem aspernantibus, ne Demetrii paterentur superbiam: nomen juveni Alexandri imponitur, auxiliaque ab Ægypto ingentia mittuntur. Interea corpus Antiochi, interfecti à rege Parthorum, in loculo argenteo ad sepulturam in Syriam remissum pervenit: quod cum ingenti studio civitatium & regis Alexandri, ad firmandam fabulæ fidem excipitur. Quæ res illi magnum favorem popularium conciliavit, omnibus non fictas in eo, sed veras lacrimas existimantibus. Demetrius autem victus ab Alexandro, cum undique circumstantibus malis premeretur, ad postremum etiam ab uxore filiisque deseritur. Relictus igitur cum paucis servulis, cum Tyrum, religione templi se defensurus petisset, navi egrediens, præfecti jussu interficitur. Alter ex filiis Seleucus, quoniam sine matris auctoritate diadema sumpsisset, ab eadem interficitur; alter, cui propter nasi magnitudinem cognomen Grypo fuit, rex à matre hactenus constituitur, ut nomen regis penes filium, jus autē omnis imperii penes matrem esset.

CAP. II. Sed Alexander, occupato Syriæ regno, tumens successu rerum, sper-

spernere jam etiam ipsum Ptolemæum, à quo fuerat subernatus in regnum, superbâ insolentia cœpit. Itaque Ptolemæus, reconciliata sororis gratia destrue e Alexandri regnum, quod odio Demetrii, viribus suis acquisierat, summis opibus instituit. Mittit igitur ingentia Grypo auxilia, & filiam Tryphænam Grypo nupturam, ut populos in auxilium nepotis, non societate tantum belli, verum & affinitate sua solicitaret. Nec res frustra fuit: nam cum omnes Grypum instructum Ægypti viribus viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœpere. Fit deinde inter reges prœlium, quo victus Alexander, Antiochiam profugit: ibi inops pecuniæ, cum stipendia militibus deessent, templo Jovis solidum exauro Victoriæ signum tolli jubet, facetis jocis sacrilegium circumscribens: nam Victoriam commodatam sibi ab Jove esse dicebat. Interjectis deinde diebus, cum ipsius Jovis aureum simulacrum infiniti ponderis tacite evelli jussisset, deprehensusque in sacrilegio, concursu multitudinis esset in fugam versus, magna vi tempestatis oppressus, ac desertus à suis, à latronibus capitur; perductusque ad Grypum, interficitur.

Gry-

Grypus porro, reciperato patrio regno, externisque periculis liberatus, insidiis matris appetitur. Quæ cum cupiditate dominationis, prodito marito Demetrio, & altero filio interfecto, hujus quoque victoria inferiorem dignitatem suam factam doleret, venienti ab exercitatione populum veneni obtulit. Sed Grypus, prædictis jam ante insidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam jubet; abnuenti instat. Postremum prolato indice eam arguit, solam defensionem sceleris superesse affirmans si bibat, quod filio obtulit. Si victa regnia scelere in se verso, veneno, quod alii paraverat, extinguitur. Parta igitur regni securitate, Grypus octo annis quietem & ipse habuit, & regno præstitit. Natus deinde illi est æmulus regni, frater ipsius Cyzicenus, eadem matre genitus, sed ex Antiocho patruo susceptus: quem cum veneno tollere voluisset, ut maturius armis cum eo de regno contenderet, excitavit.

CAP. III. Inter has regni Syriæ parricidiales discordias, moritur rex Ægypti Ptolemæus, regno Ægypti uxori & alteri ex filiis, quem illa legisset, relicto, videlicet quasi quietior Ægypti status, quam

quam Syriæ regnum esset, quum mater altero ex filiis electo, alterum hostem esset habitura. Igitur cum pronior in minorem filium esset, à populo complebitur majorem eligere: cui prius quàm regnum daret, uxorem ademit; compulsumque repudiare carissimam sibi sororem Cleopatram, minorem sororem Selenem ducere jubet, non materno inter filias judicio, cum alteri maritum eriperet, alteri daret. Sed Cleopatra non tam à viro repudiata, quàm à matre divortio viri dimissa, Cyziceno in Syria nubit: eique ne nudum uxoris nomen afferret, exercitum Cypri solicitarum, velut dotalem, ad maritum deducit. Par igitur viribus fratris Cyzicenus prœlium committit, ac victus in fugam vertitur, Antiochiamque venit. Tunc Antiochiam Grypus, in qua erat Cyziceni uxor Cleopatra, obsidere cœpit: qua capta, Tryphæna uxor Grypi nihil antiquius quàm sororem Cleopatram requiri jussit: non ut captivæ opem ferret, sed ne effugere captivitatis mala posset, quæ sui æmulatione in hoc potissimum regnum invaserit, hostique sororis nubendo hostem se ejus effecerit. Tum peregrinos exercitus in certamina fratrum adduc-

ductos, tam repudiatam à fratre, contra matris voluntatem, extra Ægyptum nuptam accusat. Contra Grypus orare, ne tam fœdum facinus facere cogatur: à nullo umquam majorum suorum inter tot domestica, tot externa bella, post victoriam in feminas sævitum, quas sexus ipse & periculis bellorum, & sævitiæ victorum eximat: in hac vero, præter commune bellantium fas accedere necessitudinem sanguinis: quippe ipsius quæ tam cruente sæviat, sororem equidem germanam esse, suam vero consobrinam: liberorum deinde communium materteram. His tot necessitudinibus sanguinis, adjicit superstitionem templi; quo abdita profugerit, tantoque religiosius colendos sibi deos, quo magis his propitius ac faventibus vicisset: tum neque occisa illa, se virium quicquam Cyziceno dempturum, nec servatorum reddita. Sed quanto Grypus abnuit, tanto soror muliebri pertinacia accenditur, rata non misericordiæ hæc verba, sed amoris esse. Itaque vocatis ipsa militibus, mittit qui sororem confoderent. Qui ut in templum intraverunt, cum evellere eam non possent, manus amplexantis deæ simulacrũ præciderunt. Tunc Cle-

Cleopatra execratione parricidarum, mandata violatis numinibus ultione sui, decedit. Nec multo post repetita prœlii congressione, victor Cyzicenus uxorem Grypi Tryphænam, quæ paulo ante sororem interfecerat, capit; ejusque supplicio uxoris manibus parentavit.

CAP. IV. At in Ægypto Clopotra cum graveretur socio regni, filio Ptolemæo populum in eum incitat; abductaque ei Salene uxore eo indignius, quod ex Selene jam duos filios habebat, exulare cogit, arcessito minore filio Alexandro, & rege in locum fratris constituto: nec filium regno expulisse contenta, bello Cypri exulantem persequitur. Unde pulso, interficit ducem exercitus sui, quod vivum eum è manibus dimisisset: quanquam Ptolemæus verecundia materni belli, non viribus minor, ab insula recesit. Igitur Alexander, territus hac matris crudelitate, & ipse eam reliquit, periculoso regno securam ac tutam vitâ anteponens. Cleopatra vero timens, ne major filius Ptolomæus ab Cyziceno ad reciperandam Ægyptum auxiliis juvaretur, ingentia Grypo auxilia, & Selenen uxorem nupturam hosti prioris mariti, mittit; Alexandrum-

drumque filium per legatos in regnum revocat: cui cum occultis insidiis exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur, spiritumque non fato, sed parricidio dedit: digna prorsus hac mortis infamia, quæ etiam matrem thoro expulit; & duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecit; & filio alteri in exilium acto bellum intulit, alteri erepto regno exitiū per insidias machinata est.

CAP. V. Sed nec Alexandro cædes tam nefanda inulta fuit. Nam ubi primum compertum est, scelere filii matrem interfectam, consursu populi in exilium agitur, revocatque Ptolemæo regnū redditur: qui neque cum matre bellum gerere voluisset, nec à fratre amis repetere, quod prior possedisset. Dum hæc aguntur, frater ejus ex pellice susceptus, cui pater Cyrenarum regnum testamento reliquerat, herede populo Romano instituto, decedit. Jam enim fortuna Romana porrigere se ad Orientalia regna, non contenta Italiæ terminis, cœperat. Itaque & ea pars Lybiæ provincia facta est: postea Creta, Ciliciaque piratico bello perdomitæ, in formam provinciæ rediguntur. Quo facto, & Syriæ, & Ægypti regna Romana vicini-

tate artata, quæ incrementa de finitimis bellis quærere solebant, adempto vagandi arbitrio, fires suas in perniciem mutuam converterentut: Adeo, ut assiduis prœlius consumpti, in contemptum finitimorum venerint, prædæque Arabum genti, imbelli antea, fuerint. Quorum rex Erotimus, viducia septingentorum filiorum, quos ex pellicibus susceperat, divisis exercitibus, nunc Ægyptum, nunc Syriam infestabat: magnumque nomen Arabum, viribus finitimorum exsanguinibus, fecerat.

LIBER XL.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Syri Tigranem Armenium Regem sibi deligunt.*
2. *Victo Tigrane, Antiochus Cyzicenus filius creatur Rex Syriæ. Quæ postea in Provinciæ formam redigitur.*

CAP. I.

MUtuis fratrum odiis, & mox filiis inimicitiis parentum succedentibus, cum inexpiabili bello, & reges, & regnum Syriæ consumptum esset, ad externa populus auxilia concurrit, peregrinosque sibi reges circumspicere cœpit. Itaque cum pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemæum ab Ægypto arcessendum censeret: occurrere tq; quod Mithridates implicitus

tus bello Romano esset, Ptolemæus quoque semper hostis fuisset Syriæ; omnes in Tigranem regem Armeniæ consensere, instructum præter domesticas vires, & Parthica societate, & Mithridatis affinitate. Igitur accitus in regnum Syriæ, per XVIII annos tranquillissimo regno potius est: neque bello alium lacessere, neque lacessitus inferre alii bellum necesse habuit.

CAP. II. Sed sicut ab hostibus tuta Syria fuit, ita terræ motu vastata est, quo centum septuaginta millia hominum, & multæ urbes perierunt. Quod prodigium mutationem rerum portendere aruspices responderunt. Igitur Tigrane à Lucullo victo, rex Syriæ Antiochus, Cyziceni filius, ab eodem Lucullo appellatur. Sed quod Lucullus dederat, postea ademit Pompeius: qui poscenti regnum respondit, ne volenti quidem Syriæ nedum recusanti, daturum se regem, qui XVIII annos, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciæ latuerit; victo autem eodem Tigrane à Romanis, alieni operis præmia postulet. Igitur ut habenti regnum non ademerit, ita quo cesserit, Tigrani non daturum, quod tueri nesciat: ne rursus Syriam Judæorum

& Arabum latrociniis infestam reddat. Atque ira Syria in provinciæ formam redigit : paulatimque Oriens Romanorum, discordia consanguineorum regum, factus est.

LIBER XLI.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Parthorum origo, nominis obscuritas, successus, imperium.*
2. *Regni Parthici administratio. Parthorum sermo, vestes, arma, exercitus, præliandi mos*
3. *Mores domestici, sepultura, religio, ingenium, virtutes & vitia.*
4. *Parthorum Regum res gestæ paucis describuntur.*
5. *Arsacis sapientissimi Parthorum regis vita, & mors placida.*
6. *Bactriani Regni status sub Eucratide : qui à filio oppriuitur, Parthorum bellici successus.*

CAP. I.

PArthi, penes quos, velut divisione orcis cum Romanis facta, nunc Orientis imperium est, Scytharum exules fuere. Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur. nam Scythico sermone Parthi exules dicuntur. Hi & Assyriorem & Medorum temporibus, inter Orientis populos obscutissimi fuere. Postea quoque cum imperium Orientis à Medis ad Persas translatum est, veluti vulgus sine nomine, præda victorum fuere. Postremo

mo Macedonibus triumphato Oriente servierunt: ut cuivis mirum videatur, ad tantam eos felicitatem per virtutem provectos, ut imperent gentibus, sub quarum imperio veluti servile fulgeus fuere. A Romanis quoque, trinis bellis, per maximos duces, florentisfimis temporibus lacessiti, soli ex omnibus gentibus non pares solum, verum etiam victores fuere: quanquam plus gloriæ sit, inter Assyria & Medica, Persicaque, memoreta olim regna, & opulentisfimum mille urbium Bactrianum imperium, emergere potuisse, quàm longinqua bella vicisse; præterea cum gravibus Scythicis, & vicinalibus bellis assidue vexati, variis periculorum certaminibus urgerentur. Hi domesticis seditionibus Scythia pulsi, solitudines inter Hyrcaniam, & Dahas, & Areos, & Spartanos, & Margianos furtim occupavere. Fines deinde, non intercedentibus primo finitimis, postea etiam prohibentibus, in tantum protulere, ut non immensa tantum ac profunda camporum, verumetiam prærupta collium, montiumque ardua occupaverint. Ex quo fit, nt Parthiæ pleraque finium aut æstus, aut frigoris magnitudo possideat: quippe cum montes nix, & campos æstus infestet.

CAP. II. Administratio gentis post defectionem Macedonici imperii, sub regibus fuit, Proximus majestati regum, populorum ordo est: ex hoc duces in bello ex hoc rectores in pace habent. Sermo his inter Scythicum Medicumque medius, & utrisq; mixtus. Vestis olim sui moris: postea quam accessere opes, ut Medis perlucida ac fluida. Armorum patrius ac Scythicus mos. Exercitum non ut aliæ gentes liberorum, sed majorem partem servorum habent: quorum vulgus, nulli manumittendi potestate permissa, ac per hoc omnibus servis nascentibus, in dies crescit. Hos pari ac liberos suos cura habent: & equitare & sagittare magna industria docent. Locupletissimus ut quisque est, ita plures in bello equites regi suo præbet. Denique Antonio bellum Parthis inferenti, cum quinquaginta millia equitum occurrerent, soli cccc liberi fuere. Cominus in acie prœliari, aus obsessas expugnare urbes nesciunt. pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus: sæpe etiam fugam simulant, ut incautiores adversum vulnera insequentes habeant. Signum his in prœlio non tuba, sed tympano datur. Nec pugnare diu possunt: ceterum

rum intolerandi forent, si quantus his impetus est, vis tanta & perseverantia esset. Plerumque in ipso ardore certaminis prœlia deserunt, ac paullo post, pugnam ex fuga repetunt, ut cum maxime vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit. Munimentum ipsis equisque loricæ plumatæ sunt, quæ utrumq; toto corpore tegunt, Auri argentique nullus nisi in armis usus.

CAP. III. Uxores dulcedine variæ libidinis singuli plures habent: nec ulla delicta adulterio gravius vindicant. Quãobrem fœminis non convivia tantum virorum, verumetiam conspectum interdicunt. Carne non nisi venatibus quæsita vescuntur. Equis omni tempore vectantur; illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obeunt: super illos ire, consistere, mercari, colloqui. Hoc denique discrimen inter servos liberosque est, quod servi pedibus, liberi non nisi equis incedunt. Sepultura vulgo aut avium, aut canum laniatus est. Nuda demum ossa terra obruunt. In superstitionibus atque cura deorum, præcipua omnibus veneratio est. Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia; quippe violentiam viris,

manſuetudinem mulieribus aſſignant. Semper aut in externos, aut in domeſticos motus inquieti: natura taciti: ad faciendum, quam ad dicendum promptiores: proinde ſecunda adverſaque ſilentio tegunt. Principibus metu, non pudore parent. In libidinem projecti, in cibum parci. Fides dictis promiſſisque nulla, niſi quantenus expedit.

CAP. IV. Poſt mortem Alexandri Magni, cum inter ſucceſſores ejus, Orientis regna dividerentur, nullo Macedonum dignate Parthorum imperium, Stagnori externo ſocio traditur. Hi poſtea deductis Macedonibus in bellum civile, cum ceteris ſuperioris Aſiæ populis Eumenem ſequuti ſunt; quo victo, ad Antigonum tranſiere. Poſt hunc à Nicatore Seleuco, ac mox ab Antiocho & ſucceſſoribus ejus poſſeſſi: à cujus pronepte Seleuco primum defecere, primo Punico bello, L. Manlio Bulſone, M. Attilio Regulo conſulibns. Hujus defectionis impunitatem illis duorum fratrum regum, Seleuci & Antiochi diſcordia decit: qui dum ſibi invicem eripere regnum volunt, perſequi defectores omiſerunt. Eodem tempore etiam

The-

Theodotus mille urbium Bactrianarum præfectus, defecit, regemque se appellari jussit: quod exemplum sequuti totius Orientis populi, à Macedonibus defecere. Erat eo tempore Arsaces, vir sicut incerte orignis, ita virtutis expertæ. Hic solitus latrociniis & rapto vivere, accepta opinione, Seleucũ à Gallis in Asia victũ, solutus regis metu, cũ prædonũ manu Parthos ingressus, præfectum eorum Andragorã oppressit; sublatoq; eo, imperium gentis invasit. Non magno deinde post tempore, Hyrcanorum quoq; regnum occupavit: atq; ita duarum civitatium imperio præditus, grandem exercitum parat, metu Seleuci & Theodoti Bactrianorum regis. Sed cito, morte Theodoti, metu liberatus, cum filio ejus & ipso Theodore fœdus ac pacem fecis: nec multo post cum Seleuco rege, ad defectores persequẽdos veniente, congressq, victor fuit: quem diem Tarthi exinde solemnẽ velut initum liberatis, observant.

CAP. V. Revocati de inde Seleuco novis motibus in Asiam, dato laxamento, regnum Parthicum format militem legit, castella munit, civitates firmat. urbem quoque, nomine Daram, in monte Zapaorte non condit: cujus loci ea

conditio est, ut neq; munitius quicquam esse, neque amœnius possit Ita enim & præruptis rupibus undique cingitur ut tutela loci nullis defensoribus egeat: & soli circumjacentis tanta ubxetas est, ut propriis opibus expleatur. Jam fontium ac silvarum ea copia est. ut & aquarum abundantia irrigetur, & venationum voluptatibus exornetur. Sic Arsaces, quæsito simul constitutoque regno, non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura senoctute decedit. Cujus memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent. Hujus filius & successor regni, Arsaces & ipse nomine, adversus Antiochum Seleuci filium, centum millibus peditum, ex xx millib9 peritum instructũ, mira virtute pugnavit: ad postremum insocietatem ejus assumptus est. Tertius Parthis rex Priapatius fuit, sed & ipse Arsaces dictus. Nam sicut supra dictum est, õnes reges suos hoc nomine, sicuti Romani, Cæsares, Augustosq;, cognominavere. Hic actis in regno quindecim annis decessit, relictis duobus filiis Mithridate & Phrahate .: quorum

ma-

major Phrahates more gentis, heres regni, Mardos validam gentem bello domuit; nec multo post decesit, multis filiis relictis: quibus præteritis, fratri potisimum Mithridati, insignis virtutis viro, reliquit imperium: Plus regio quam patrio deberi nomini ratus: potiusque patriæ, quam liberis consulendum.

CAP. VI. Eodem ferme tempore, sicuti in Parthis Mithridates, ita in Bactris Eucratides, magni uterque viri, regna ineunt. Sed Parthorum fortuna felicior, ad summum hoc duce imperii fastigium eos perduxit. Bactriani autem per varia bella jactari, non regnum tantum, verum etiam libertatem amiserunt: siquidem Sogdianorum & Drangaritanorum Indorumque bellis fatigati, ad postremum ab invalidioribus Parthis, velut exsangues, oppressi sunt. Multa tamen Eucratides bella magna virtute gesit: quibus attritus, cum obsidionem Demetrii regis Indorum pateretur, cum CCC militibus, LX millia hostiũ assiduis eruptionibus vicit. Quinto itaque mense liberatus, Indiam in potestatem redegit. Unde cum se reciperet, à filio quem socium regni fecerat, in iti-

nere interficitur: qui non dimissimulato parricidio, velut hostem, non patrem interfecisset, & persanguinem ejus curum egit, & corpus abjici insepultum jussit. Dum hæc apud Bactros geruntur, interim inter Parthos & Medos bellum oritur. Cum varius utriusque populi casus fuisset; ad postremum victoria penes Parthos fuit. His viribus auctus Mithridates, Mediæ Bacasin præponit: ipse in Hyrcaniam proficiscitur. Unde reversus, bellum cum Elimæorum rege gessit: quo victo, hanc quoq; gentem regno adjecit, imperiumq; Parthorum à monte Caucaso, multis populis in ditionem redactis, usque ad flumen Euphratem protulit. Atque in adversa valetudine arreptus, non minor Arsace proavo, gloriosa senectute decedit.

LIBER XLII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Mithridatis Parthorum Regis filius & successor Phrahates à militibus interficitur.*
2. *Post Artabanum Mithridates cognomine Magnus regnat, qui bellum infert Armeniæ: de cujus origine & primis regibus disserit Justinus.*
3. *Iasonis, & Armenii Armeniæ conditoris, elogia. Tigris fluvii origo.*
4. *Mithridate ejecto Orodes successit, qui parricidiis & cladibus domi & foris exagitatur.*
5. *Phrahatis filii Oradis horrenda parricidia & varia fortuna. Augustus ab eo captivos Romanos & signa militaria repetit.*

CAP. I.

CAP. I.

POst necem Mithridatis Parthorum regis, Phrahates filius ejus, rex constituitur: qui cum interre bellum, in ultionem tentati ab Antiocho Parthici regni, Syriæ statuisset, Scytharum motibus ad sua defendenda revocatur. Namq; Scythæ in auxilium Parthorum adversus Antiochum Syriæ regem, mercede solicitati, cum confecto jam bello supervenissent, & calumnia tardius lati auxilii, mercede fraudarentur; dolentes tantum iis itineris frustra emensum, quum vel stipendium pro vexatione, vel alium hostem dari sibi poscerent, superbo responso offensi, fines Parthorum vastare cœpernnt. Igitur Phrahates, cum adversus eos proficisceretur, ad tutelam regni reliquit Himerum quendam, puritiæ sibi flore conciliatum: qui tyrannica crudelitate, oblitus & vitæ præteritæ, & vicarii officii, Babylonios, multasq; alias civitates importune vexavit. Ipse autem Phrahates exercitum Græcorum, quem bello Antiochi captum superbe crudeliterq; tractaverat, in bellum secum ducit: immemor prorsus, quod hostiles eorum animos nec captivitas minuerant, & in-

ſuper injuriarum indignitas exacerbaverat. Itaque cum inclinatam Parthorum aciem vidiſſent, arma ad hoſtes transtulere: & diu cupitam captivitatis ultionem, exercitus Parthici, & ipſius Phrahatis regis cruenta cæde, exſequuti ſunt.

CAP. II. In hujus locum Artabanus, patruus ejus, rex ſubſtituitur. Scythæ autem contenti victoria, depopulata Parthia, in patriam revertuntur. Sed Artabanus bello Thogariis illato, in brachio vulneratus, ſtatim decedit. Huic Mithridates filius ſuccedit: cui res geſtæ Magni cognomen dedere? quippe claritatem parentum, æmulatione virtutis accenſus, animi magnitudine ſupergreditur. Multa igitur bella cum finitimis magna virtute geſſit; multosq; populos Parthico regno addidit. Sed & cum Scythis proſpere aliquoties dimicavit, ultorq; injuriæ parentum fuit. Ad poſtremum Ortoadiſti Armeniorum regi bellum intulit. Sed quoniam in Armeniam tranſitum facimus, origo ejus paullo altius repetenda eſt. Neq; enim ſilentio præteriti tantum regnum fas eſt, cum fines ejus poſt Parthiam omnium regnorum magnitudinem ſuperent. Siquidem Armenia à Cappadocia usque

mare

mare Caspium undecies centum millia patet; sed in latitudinem millia passuum septingenta porrigitur. Condidita est autem ab Armenio, Jasonis Thessali comite: quem cum perditum propter insignem periculosamq; regno suo virtutem Pelias rex cuperet, denuntiata militia, in Colchos eum abire jubet; pellemq; arietis memorabilem gentibus reportare: sperans interitum viri, aut ex periculis tam longæ navigationis, aut ex bello tam profundæ barbariæ. Igitur Jason divulgata opinione tam gloriosæ expeditionis, cum ad eum certatim principes juventutis totius ferme orbis concurrerent, exercitum fortissimorum virorum, qui Argonautæ cognominati sunt, comparavit: quem cum magnis rebus gestis incolumen reduxisset, rursus à Peliæ filiis Thessalia pulsus, magna vi cum ingenti multitudine, quæ ad famam virtutis ejus ex omnibus gentibus quotidie confluebat, comite Medea uxore; quam repudiatam miseratione exilii rursum receperat, & Medio privigno, ab Ægæo rege Athenienſium genito, Colchos repetivit, socerumque etiam regno pulsum restituit.

CAP. III. Magna deinde bella cum finiti-

finitimis gessit; captasque civitates partim regno soceri, ad abolendam superioris militiæ injuriam, qua & filiam ejus Medeam abduxerat, & filium Ægialium interfecerat, adjunxit; partim populis quos secum adduxerat, assignavit. Primusque humanorum post Herculem & Liberum, qui reges Orientis fuisse traduntur, eam cæli plagam domuisse dicitur. Populis quibusdam Frudium & Amphistratum aurigas Castoris & Pollucis, duces assignavit. Cum Albanis fœdus percussit: qui Herculem ex Italia ab Albano monte, cum Geryone extincto, armenta ejus per Italiam duceret, secuti dicuntur: quinque memores Italicæ originis, exercitum Cn. Pompeji belli Mithridatico fratres salutavere. Itaq; Jasoni totus ferme Oriens, ut conditori, divinos honores, templaque constituit: quæ Parmenion, dux Alexandri Magni, post multos annos dirui jussit, ne cujusquam nomen in Oriente venerabilius, quam Alexandri esset. Post mortem Jasonis, Medius æmulis virtutis ejus, in honorem matris, Medeam urbem condidit; regnumque ex nomine suo Medorum constituit, sub cujus majestate Orientis postea imperium fuit. Albanis vicinæ Amazo-

mazones sunt: quarum reginam Thalestrum concubitum Alexandri petisse, multi auctores prodidere. Armenius quoq; & ipse Thessalus, unus de numero ducum Jasonis, recollecta multitudine, quæ amisso Jasone rege passim vagabatur, Armeniam condit: à cujus montibus Tigris fluvius modicis primo incrementis nascitur: interjecto deinde aliquanto spacio, sub terras mergitur; atq; ita post quinque & viginti millia passuum grande jam flumen in regione Sophene emergit; ac sic in paludes Euphratis recipitur.

CAP. IV. Igitur Mithridates rex Parthorum, post bellum Armeniæ, propter crudelitatem à senatu Parthico, regno pellitur. Frater ejus Orodes, cum regnum vacans occupasset, Babyloniam, quo Mithridates confugerat, diu obsidet: & fame coactos, in deditionem oppidanos compellit. Mithridates autem fiducia cognationis, ultro se in potestatem Orodis tradit. Sed Orodes plus hostem quam fratrem cogitans, in conspectu suo trucidari eum jussit: & post hæc bellum cum Romanis gessit, Crassumque imperatorem cum filio & omni exercitu Romano delevit. Hujus filius Pacorus missus

missus ad persequendas Romani belli reliquias magnis rebus in Syria gestis, in Parthiam patri suspectus revocatur: quo absente, exercitus Parthorum relictus in Syria, à Cassio Quæstore Crassi, cum omnibus ducibus trucidatur. His ita gestis, non magno post tempore, Romanis inter Cæsarem Pompejumq; civile bellum oritur: in quo Parthi Pompejanarum partium fuere, & propter amicitiam cum Pompejo, bello Mithridatico junctam, & propter Crassi necem, cujus filium in partibus Cæsaris esse audierant: quem ultorem patris victore Cæsare futurum non dubitabant. Itaq; victis partibus Pompejanis, & Cassio & Bruto auxilia adversus Augustum & Antonium mittere: & post belli finem rursum Pacoro duce, inita cum Labieno societate, Syriam & Asiam vastavere; castraq; Ventidii, qui post Cassium absente Pacoro exercitum Parthicum fuderat, magna mole aggrediuntur. Sed ille simulato timore, diu continuit se, & insultare Parthos aliquantisper passus est. Ad postremum in securos lætosq; partem legionum emisit: quarum impetu fusi Parthi, in diversa abire. Pacorus cum fugientes suos abduxisse secum legiones Romanas putaret,

taret, castra Ventidii, veluti sine defensoribus, aggreditur. Tum Ventidius reliqua parte legionum emissa, universam Parthorum manum cum rege ipso Pacoro interfecit: nec ullo bello Parthi unquam majus vulnus acceperunt. Hæc cum in Parthia nuntiata essent, Orodes pater Pacori, qui paullo ante vastatam Syriam, occupatam Asiam à Parthis audierat, victoremq, Pacorum Romanorum gloriabatur, repente filii morte, & exercitus clade audita, ex dolore in furorem vertitur. Multis diebus non alloqui quemquam, non cibum sumere, non vocem mittere, ita ut etiam mutus factus videretur. Post multos deinde dies, ubi dolor vocem laxaverat, nihil aliud quam Pacorum vocabat: Pacorus illi videri, Pacorus audiri videbatur; cum illo loqui, cum illo consistere: interdum quasi amissum flebiliter dolebat. Post longum deinde luctum, alia solicitudo miserandum senem invadit, quem ex numero XXX filiorum in locum Pacori regem destinet. Multæ pellices, ex quibus generata tanta juventus erat, pro suis quæque solicitæ animum senis obsidebant. Sed Sed fatum Parthiæ fecit, in qua jam quasi solemne est, reges patricidas habere, ut scele-

sceleratissimus omnium, & ipse Phrahates nomine, rex statueretur.

CAP. V. Itaque statim, quasi nollet mori, patrem interfecit: fratres quoque XXX trucidat: sed nec in filiis cessant parricidia. Nam cum infestos sibi optimates propter assidua scelera videret, ne esset qui nominari rex posset, adultum filium interfici jubet. Huic Antonius, propter auxilium adversus se & Cæsarem latum, bellum cum sedecim validissimis legionibus intulit: sed graviter multis præliis vexatus, à Parthia refugit. Quæ victoria insolentior Phrahates redditus, cum multa crudeliter consuleret, in exilium à populo suo pellitur. Itaque cum magno tempore finitimas civitates, ad postremum Scythas precibus fatigallet, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur. Hoc absente, regem Parthi Tyridatem quendam constituerant: qui audito adventu Scytharum, cum magna amicorum manu ad Cæsarem, in Hispaniam bellum tunc temporis gerentem profugit, obsidem Cæsari minimum filium Phrahatis ferens: quem negligentius custoditum rapuerat. Quo cognito, Phrahates legatos statim ad Cæsarem mittit, servum

suum

suum Tyridatem, & filium remitti sibi postulat. Cæsar & legatione Phrahatis audita, & Tyridatis postulatis cognitis, (nam & ipse restitui in regnum desiderabat, juris Romanorum futuram Parthiam affirmans, si ejus regnum muneris eorum fuisset) neque Tyridatem dediturum se Parthis dixit, neque adversus Parthos Tyridati auxilia daturum. Ne tamen per omnia nihil à Cæsare obtentum videretur, Phrahati filium sine pretio remisit; & Tyridati quoad manere apud Romanos vellet, opulentum sumptum præberi jussit. Post hæc finito Hispaniensi bello, cum in Syriam ad componendum Orientis statum veniisset, metum Phrahati incussit, ne bellum Parthiæ vellet inferre. Itaque tota Parthia captivi ex Crassiano, sive Antonii exercitu recollecti, signaque cum his militaria Augusto remissa. Sed & filii nepotesque Phrahatis obsides Augusto dati: plusque Cæsar magnitudine nominis sui fecit, quàm armis alius imperator facere potuisset.

LIBER

LIBER XLIII.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Romani imperii initia. Vrbis origo, primi Italiæ cultores & Reges.*
2. *Rhea Numitoris filia Remum & Romulum parit; qui mira quadam ratione educati emergunt.*
3. *Romaque condita senatus constitutus: raptæ Sabinæ vicini subacti. Phocenses Torquinii temporibus Massiliam condunt. Liguribus invidentibus.*
4. *Varia Massilienſium fortuna, & felices successus.*
5. *Massilienſium bella, & fœdera. Eorundem benevolentia & munificentia in Romanos.*

CAP. I.

PArthicis, Orientalibusque, ac rotius propemodum orbis rebus explicitis, ad initia Romanos urbis Trogus, velut post longam peregrinationem, domum revertitur: ingrati civis officium existimans, si, cum omnium gentium res gestas illustraverit, de sola tantum patria taceat. Breviter igitur initia Romani imperii perstringit: ut nec modum propositi operis excedat, nec utique originem urbis, quæ est caput rotius orbis, silentio prætermittat. Italiæ cultores primi Aborigines fuere: quorum rex Saturnus tantæ justitiæ fuisse traditur, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quicquam privatæ rei habuerit: sed omnia communia, & indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset. Ob cujus exem-

exempli memoriam cautum est, ut Saturnalibus exæquato omnium jure passim in conviviis servi cum dominis recumbant. Itaque Italia regis nomine, Saturnia apellata est: & mons in quo habitabat, Saturnius: in quo nunc, veluti à Jove pulso sedibus suis Saturno, Capitolium est. Post hunc tertio loco regnasse Faunum ferunt, sub quo Evander, ab Arcadia urbe Pellanteo, in Italiam cum mediocri turba popularium venit: cui Faunos & agros, & montem, quem ille postea Palatium appellavit, benigne assignavit. In hujus radicibus templum Lycæo, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit: ipsum Dei simulacrum nudum caprina pelle amictum est, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur. Fauno fuit uxor nomine Fatua, quæ assidue divino spiritu impleta, velut per furorem, futura prænonebat. Unde adhuc, qui inspirari solent, fatuare dicuntur. Ex filia Fauni & Hercule, qui eodem tempore, extincto Geryone, armenta victoriæ præmia per Italiam ducebat, stupro conceptus Latinus procreatur. Quo tenente regnum, Æneas ab Ilio, Troja à Græcis expugnata, in Italiam venit: statimque bello

bello exceptus, cum in aciem exercitum eduxisset, ad colloquium vocatus, tantam admirationem sui Latino præbuit, ut & in societatem regni reciperetur; & Lavinia in matrimonium ei data, gener ascisceretur. Post hæc commune utriusque bellum adversus Turnum Rutulorum regem, propter fraudatas Laviniæ nuptias, fuit: in quo & Turnus & Latinus interierunt. Igitur cum Æneas jure victoriæ utroque populo potiretur, urbem ex nomine uxoris Lavinia condidit. Bellum deinde adversus Mezentium, regem Ethruscorum, gessit: in quo cum ipse occidisset, in locum ejus Ascanius filius successit: qui Lavinio relicto, longam Albam condidit, quæ trecentis annis caput regni fuit.

CAP. II. Post multos deinde urbis hujus reges, ad postremum Numitor & Amulius regno potiti sunt. Sed Amulius cum ætate priorem Numitorem oppressisset, filiam ejus Rheam in perpetuam virginitatem, ne quis vindex regni sexus virilis ex gente Numitoris oriretur, demersit: addita, injuriæ specie honoris, ut non damnata, sed sacerdos electa videretur. Igitur clausa in luco Marti sacro, duos pueros, incertum stupro, an

ex

ex Marte conceptos, enixa est. Quo cognito, Amulius multiplicato metu proventu duorum, pueros exponi jubet; & puellam vinculis onerat, ex quorum injuria decessit. Sed fortuna origini Romanæ prospiciens, pueros lupæ alendos obtulit: quæ amissis catulis, distenta ubera exinanire cupiens, nutricem se infantibus præbuit. Quum sæpius ad parvulos veluti ad catulos reverteretur, rem Faustulus pastor animadvertit, subtractosque feræ, inter greges pecorum agresti vita nutrivit. Martios pueros fuisse, sive quod in loco Martis enixi sunt, sive quod à lupa, quæ in tutela Martis est, nutriti, velut manifestis argumentis creditum. Nomina pueris, alteri Remo, alteri Romulo fuere. Adultis inter pastores, de virtute quotidiana certamina, & vires & pernicitatem auxere. Igitur cum latrones à rapina pecorum industrie frequenterque summoverent, Remus ab iisdem latronibus captus, veluti ipse esset, quod in aliis prohibeat, regi offertur; crimini datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset. Tunc à rege Numitore in ultionem traditur. Sed Numitor adolescentia juvenis permotus, & in suscipionem expositi nepotis adductus,

ctus, cum eum nunc lineamentorum filiæ similitudo, nunc ætas expositionis temporibus congruens, anxium tenerent, repente Faustulus cum Romulo supervenit: à quo cognita origine puerorum, facta conspiratione, & adolescentes in ultionem maternæ necis, & Numitor in vindictam erepti regni armantur.

CAP. III. Occiso Amulio, regnum Numitori restituetur, & urbs Romana ab adolescentibus conditur. Tunc & senatus centum seniorem, qui patres dicti sunt, constituitur: tunc & vicinis, connubia pastorum dedignantibus, virgines Sabinæ rapiuntur; finitimisque populis armis subjectis, primum Italiæ, & mox orbis imperium quæsitum. Per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptra dixere. Nam & ab origine rerum, pro diis immortalibus veteres, hastas coluere: ob cujus religionis memoriam, adhuc deorum simulacris hastæ adduntur. Temporibus Tarquini regis, ex Asia Phocensium juventus, ostio Tyberis invecta, amiciciam cum Romanis junxit; inde in ultimos Galliæ sinus navibus profecta, Masiliam inter Ligures & feras gentes Gallorum condidit: magnasque

res,

res sive dum armis se adversus Gallicam feritatem tuentur, sive dum ultro lacessunt, à quibus fuerant ante lacessiti, gesserunt. Namque Phocenses exiguitate ac matie terræ coacti, studiosius mare quam terras exercuere: piscando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus gloriæ habebatur, vitam tolerabant. Itaque in ultimam Oceani oram procedere ausi, in sinum Gallicum ostio Rhodani amnis devenere. Cujus loci amœnitate capti, reversi domum, referentes quæ viderant, plures solicitavere. Duces classis Simos & Protis fuere. Itaque regem Segobrigiorum, Nannum nomine, in cujus finibus urbem condere gestiebant, amicitiam petentes conveniunt. Forte eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiæ erat: quam more gentis, electo inter epulas genero, nuptum tradere illic parabat. Itaque cum ad nuptias invitati omnes processissent, rogantur etiam Græci hospites ad convivium: Introducta deinde virgo, cum juberetur à patre aquam porrigere ei quem virum eligeret, tunc omissis omnibus ad Græcos conversa, aquam Proti porrigit: qui factus ex hospite gener, locũ conden-

dæ urbis à socero accepit. Condita igitur Massilia est prope ostia Rhodani amnis, in remoto sinu, veluti in angulo maris. Sed Ligures incrementis urbis invidentes, Græcos assiduis bellis fatigabāt. Qui pericula propulsando in tantum enituerunt, ut victis hostibus, in captis agris multas colonias constituerent.

CAP. IV. Ab his igitur Galli, & usum vitæ cultioris, deposita & mansuefacta barbaria, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didicerunt. Tunc & legibus, non armis vivere, tunc & vitem putare, tunc olivam serere consueverunt: adeoque magnus & hominibus & rebus impositus est nitor, ut non Græcia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Græciam translata videretur. Mortuo rege Nanno Segobrigiorum, à quo locus acceptus condendæ urbis fuerat, cum regno filius ejus Comanus successisset, affirmante regulo quodam, quandoque Massiliam exitio finitimis populis futuram, opprimendamque in ipso ortu, ne mox validior ipsum obrueret. Subnectit & illam fabulam: Canem aliquando partu gravidam locum à pastore precario petisse, in quo pareret: in quo obtento, iterato petisse ut sibi educare eodem

in

in loco catulos liceret: ad postremum adultis catulis, fultâ domestico præsidio, proprietatem loci sibi vindicasse. Non aliter Massilienses, qui nunc inquilini videantur, quandoque domitos regionum futuros. His incitatus rex, insidias Massilienſibus extruit.. Itaque solemni Floraliorum die multos fortes ac strenuos viros hospiti jure in urbem misit: plures scirpiis latentes, frondibusque supertectos induci vehiculis jubet; & ipse cum exercitu in proximis montibus delitescit; ut quum nocte à prædictis apertæ portæ forent, tempestive ad insidias adesset, urbemque somno ac vino sepultam armatis invaderet. Sed has insidias mulier quædam, regis cognata, prodidit, quæ adulterare cũ Græco adolescente solita, in amplexu juvenis, miserata formæ ejus, insidias aperuit, periculumque declinare jubet. Ille rem statim ad magistratus defert: atque ita patefactis insidiis, cuncti Ligures comprehenduntur, latentesq; de scirpiis protrahuntur. Quibus omnibus interfectis, insidianti regi insidiæ tenduntur. Cæsa sunt cum ipso rege hostium septem millia. Exinde Massilienses festis diebus portas claudere, virgilias agere, stationem in

muris observare, peregrinos recognoscere, curas habere, ac veluti bellum habeant, sic urbem pacis temporibus custodire. Adeo illic bene instituta, non temporum necessitate, sed recte faciendi consuetudine servantur.

CAP. V. Post hæc magna illis cum Liguribus, magna cum Gallis fuere bella: quæ res, & urbis gloriam auxit; & virtutem Græcorum, multiplicata victoria, celebrem inter finitimos reddidit. Carthaginiensium quoq; exercitus, cum bellum captis piscatorum navibus ortum esset, sæpe fuderunt, pacemque victis dederunt: cum Hispanis amicitiam junxerunt? cum Romanis prope ab initio conditæ urbis fœdus summa fide custodierunt, auxiliisque in omnibus bellis industrie socios juverunt. Quæ res illis & virium fiduciam auxit, & pacem ab hostibus præstitit. Cum igitur Massilia fama rerum gestarum, & abundantia opum, & virium gloria virente floreret, repente finitimi populi ad nomen Massilienſium delendum, veluti ad commune extinguendum incendium concurrunt. Dux consensu omnium Catumandus regulus eligitur, qui cum magno exercitu lectissimorum virorum

rorum urbem hostium obsideret, per quietem specie torvæ mulieris. quæ se deam dicebant, exterritus, ultro pacem cum Massilienſibus fecit; peritoque ut intrare illi urbem, & deos eorum adorare liceret, cum in arcem Minervæ veniſſet, conſpecto in porticibus ſimulacro deæ, quam per quietem viderat, repente exclamat, illam eſſe, quæ ſe nocte exteruiſſet, illam, quæ recedere ab obſidione juſſiſſet. Gratulatusque Maſſilienſibus, quod animadverteret eos ad curam deorum immortalium pertinere torq; aureo donata dea, in perpetuum amicitiam cum Maſſilienſibus junxit. Parta pace, & ſecuritate fundata, revertentes à Delphis Maſſilienſium legati, quo miſſi munera Apollini tulerant, audierunt urbem Romanam à Gallis captam, incenſamq; Quam rem domi nuntiatam publico funere Maſſilienſes proſequuti ſunt: aurumque & argentum publicum privatumque contulerunt, ad expendum pondes Gallis, à quibus redemptam pacem cognoverant. Ob quod meritum & immunitas illis decreta, & locus ſpectaculorum in ſenatu datus, & fœdus æquo jure percuſſum. In poſtremo libro, Trogus majores ſuos à Vocontiis

nem ducere; avum suum Trogum Pompeium, Sertoriano bello, civitatem à Cn. Pompejo percepisse dicit: patruum Mitridatico bello turmas equitum sub eodem Pompeio duxisse, patrem quoque sub Cajo Cæsare militasse, epistolarumq; & legationum, simul & annuli curam habuisse.

LIBER XLIV.

BREVIARIUM CAPITUM.

1. *Hispaniæ nomen, situs, vertilitas, amnes claustra, forma, salubritas.*
2. *Hispanorum mores, primus Dux Viriatus.*
3. *Equarum Lusitanicarum fabula. Gallacorum origo, divitiæ, & miranda.*
4. *Habidis Gallacia & finitimarum regionum principis historia, seu fabulosa narratio, & prudens administratio, Ge[illegible], qui triplex fabulis dictus, regnum.*
5. *Carthaginensium imperium, præclari eorundem Duces violenta quærere perierunt. Hispanos domat Cæsar Augustus.*

CAP. I.

Hispania sicuti Europæ terminos claudit, ita & hujus operis finis futura est. Hanc veteres ab Ibero amne primum Iberiam, postea ab Hispano Hispaniam cognominaverunt. Hæc inter Africam & Galliam posita, Oceani freto, & Pyrenæis montibus clauditur. Sicut minor utraque terra, ita utraque fertilior. Nam neque ut Africa violen-

violento sole torretur, neq; ut Gallia assiduis ventis fatigatur, sed media inter utramque, hinc temperato calore, inde felicibus & tempestivis imbribus, in omnia frugum genera fœcunda est; adeo ut non ipsis tantum incolis, verum etiam Italiæ, urbique Romanæ, cunctarum rerum abundantiam sufficiat. Hinc enim non frumenti tantum magna copia est, verum & vini, mellis, oleique: nec ferri solum materia præcipua est, sed & equorum pernices greges, nec summa tantum terræ laudanda bona, verum & abstrusorum metallorum felices divitiæ. Jam lini, spartiq; vis ingens: minii certe nulla feracior terra. In hac cursus amnium non torrentes rapidique ut noceant; sed lenes, & vineis campisque irrigui, æstuarisque Oceani affatim piscosi: plerique etiam divites auro, quod in plaudibus vehunt. Uno tantum Pyrenæi montis dorso adhæret Galliæ; reliquis partibus undiq; in orbem mari cingitur. Forma terræ prope quadrata, nisi quod artantibus freti littoribus in Pyrenæum coit. Porro Pyrenæi montis spatium sexcenta millia passuum efficit. Salubritas cœli per omnem Hispaniam æqualis, quia aëris spiritus, nulla paludium gravi nebula inficitur.

tur: Huc accedunt & marinæ auræ, undique versus assidui flatus, quibus omnem provinciam penetrantibus, eventilato terrestri spiritu, principia hominibus sanitas redditur.

CAP. II. Corpora hominum ad inediam, laboremque; animi ad mortem parati. dura omnibus & adstricta parcimonia. Bellum quam otium malunt; si extraneus deest, domi hostem quærunt. Sæpe tormentis pro silentio rerum creditarum immortui: adeo illis fortior taciturnitatis cura, quam vitæ. Celebratur etiam bello Punico servi illius patientia, qui ultus dominum inter tormenta risu exultavit, serenaque lætitia crudelitatem torquentium vicit. Velocitas genti pernix; inques animus; plurimis militares equi, & arma, sanguine ipsorum cariora. Nullus in testos dies epularū apparatus. Aqua calidi lavari, post secundum bellum Punicum á Romanis didicere. In tanta sæculorum serie nullus illis dux magnus, præter Viriatum, fuit: qui annis decē, Romanos varia victoria fatigavit, (adeo feris propiora, quam hominibus ingenia gerunt) quem ipsum non judicio populi electum, sed ut caventi scientem, declinandorumq; periculorum peritum, sequuti

sequuti sunt. Cujus ea virtus continentiaque fuit, ut cum Consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus gestis non armorum, non vestis cultum, non denique victum mutaverit: sed in eo habitu, quo primum bellare cœpit, perleveraverit; ut quisvis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur.

CAP. III. In Lusitanis juxta fluvium Tagum, vento equas fetus concipere multi auctores prodidere: quæ fabula ex equarū fœcunditate, & gregum multitudine natæ sunt: qui tanti in Gallæcia, & Lusitania, ac tam pernices visuntur, ut non immerito vento ipso concepti videantur. Gallæci autem Græcam sibi originem asserunt. Siquidem post finem Trojani belli, Teucrum, morte Ajacis fratris invisum patri Telamoni, quum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse, atq; ibi urbem nomine antiquæ patriæ Salaminam condidisse. Inde accepta opinione paternæ mortis, patriā repetisse. Sed quum ab Euryface Ajacis filio, accessu prohiberetur, Hispaniæ littoribus appulsum, loca, ubi nunc est Carthago nova, occupasse: inde Gallæciam transisse; & positis sedibus genti nomen dedisse. Gallæciæ autem portio,

Amphilochi dicuntur. Regio cum æris ac plumbi uberrima, tum & minio, quod etiam vicino flumini nomen dedit. Auro quoque ditissima, adeo ut etiam aratro frequenter glebas aureas exscindant. In hujus gentis finibus sacer mons est, quem ferro violari nefas habetur: sed si quando fulgure terra prosciſſa est, quæ in his locis assidua res est, detectum aurum velut dei munus colligere permittitur. Feminæ res domesticas, agrorumque culturas administrant: ipsi armis, & rapinis serviunt. Præcipua his quidem ferri materia, sed aqua ipso ferro violentior: quippe temperamento ejus, ferrum acrius redditur: nec ullum apud eos telum probatur, quod non aut Bibili fluvio, aut Chalybe tingatur. Unde etiam Chalybes, fluvii hujus finitimi appellati, ferroque ceteris præstare dicuntur.

CAP. IV. Saltus vero Tartesiorum, in quibus Titanas bellum adversus deos gessisse proditur, incoluere Curetes: quorum rex vetustissimus Gargoris, mellis colligendi usum primus invenit. Huic cum ex filio stupro nepos provenisset, pudore flagitii variis generibus extingui parvulū voluit: sed per omnes casus fortuna quadam servatus, ad postremum

ad

ad regnum tot periculorum miseratione pervenit. Primum omnium cum eum exponi jussisset, & post dies ad corpus expositi requirendum mississet, inventus est vario ferarum lacte nutritus. Deinde relatum domum, tramite angusto per quem armenta commeare consueverant, projici jubet: crudelis prorsus qui proculcari nepotem, quam simplici morte interfici maluit. Ibi quoque cum inviolatus esset, nec alimentis egeret, canibus primo jejunis, & multorum dierum abstinentia cruciatis, mox etiam suibus objecit. Itaq; cum non solum non noceretur, verum etiam quarundam uberibus aleretur: ad ultimum in Oceanum abjici jussit. Tum plane manifesto quondam numine inter furentes æstus, ac reciprocantes undas, velut nave, non fluctu veheretur, leni salo in littore exponitur: nec multo post cerva affuit quæ ubera parvulo offerret. Inde denique conversatione nutricis eximia puero pernicitias fuit; interq; cervorum greges diu montes saltusq;, haud inferios velocitate peragravit. Ad postremum laqueo captus, regi dono datus est. Tunc & lineamentorum similitudine, & notis corporis, quæ inustæ parvulo fuerant,

nepos agnitus. Admiratione deinde tot casuum pericolorumque, ab eodem successor regni destinatur. Nomen illi impositum Habidisi: qui ut regnum accepit, tantæ magnitudinis fuit, ut non frustra deorum majestate tot periculis ereptus videretur: quippe barbarum populum legibus junxit; & boves primus aratro domari; frumentaque sulco quærere docuit; & ex agresti cibo mitiora vesci, odio eorum quæ ipse passus fuerat, homines coëgit. Hujus casus fabulosi viderentur, nisi & Romanorum conditores lupa nutriti, & Cyrus rex Persarum cane alitus proderetur. Ab hoc & ministeria servilia populo interdicta, & plebs in septē urbes divisa. Mortuo habide regnum per multa sæcula à successoribus ejus retentum est. In alia parte Hispaniæ, & quæ ex insulis constat, regnum penes Geryonem fuit. In hac, tanta pabuli lætitia est, ut nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. Inde denique armenta Geryonis, quæ illis temporibus solæ opes habebantur, tantæ fama fuere, ut Herculem ex Asia prædæ magnitudine illexerint. Porro Geryonem ipsum non triplicis naturæ, ut fabulis proditur, fuisse ferunt: sed tres fra-

tres

tres tantæ concordiæ extitisse, ut uno animo omnes regi viderentur: nec bellum Herculi sua sponte intulisse, sed cum armenta sua rapi vidissent, amissa bello repetisse.

CAP. V Post regna deinde Hispaniæ, primi Carthaginienses imperium provinciæ occupavere. Nam cum Gaditani à Tyro, unde & Carthaginiensibus origo est, sacro Herculis, per quietem jussi, in Hispaniam transtulissent, urbemque ibi condidissent, invidentibus incrementis novæ urbis finitimis Hispaniæ populis, ac propterea Gaditanos bello lacessentibus, auxilium consanguineis Carthaginienses misere. Ibi felici expeditione & Gaditanos ab injuria vindicaverunt, & majorem partem provinciæ imperio suo adjecerunt. Postea quoque hortantibus primæ expeditionis auspicis, Hamilcarem imperatorem cum magna manu ad occupandum provinciam misere: qui magnis rebus gestis, dum fortunam inconsultius sequitur, in insidias deductus, occiditur. In hujus locum gener ipsius Hasdrubal mittitur; qui & ipse à servo Hispani cujusdam, ulciscente domini injustam necem, interfectus est. Major utroque Annibal imperator, Hamil-

milcaris filius succedit. Siquidem utriusque res gestas supergressus, universam Hispaniam domuit: inde Romanis illato bello, Italiam per annos sexdecim variis cladibus fatigavit; cum interea Romani missis in Hispaniam Scipionibus, primo Pœnos provincia expulerunt: postea cum ipsis Hispanis gratia bella gesserunt. Nec prius perdomita provincia jugum Hispaniæ accipere potuerunt, quam Cæsar Augustus prodomito orbe, victoria ad eos arma transtulit, populumque barbarum ac ferum, legibus ad cultorem vitæ usum traductum, in formam provinciæ redegit.

FINIS.

PRO-

PROLOGI HISTORIARUM Philippicarum Pompeji Trogi.

Prologus Libri I.

PRimo volumine continentur hæc. Imperium Assyriorum à Nino rege, usque ad Sardanapalum. Post quem translatum est per Arbacem ad Medos, usque ad ultimum regem Astyagen. Is à nepote suo Cyro pulsus regno: & Persæ regno potiti. Ut Cræso Lydiæ regni bellum intulit Cyrus; victumque cepit. Hic in excessu dicti Æolicarum & Ionicarum urbium situs; originesque Lydorum, & in Italia Tuscorum. Post Cyrum, filius Cambises Ægyptum domuit. Repetitæ Ægypti origines urbium Extincto Cambyse, Darius occisis Magis regnum Persicum accepit; captaque Babylone bella Scytica molitus est.

Prologus Lib. II.

SEcundo volumine continentur hæc: Scythiæ & Ponti situs; originesque Scythiæ, usque ad bellum quo est inde pulsus Darius: qui post hanc fugam Græciæ bellum intulit, per Datin & Tisaphernem, quod soli Athenienses tenuere. Hic origines Athenarum repetitæ, & reges usque ad Pisistratidas tyrannidem, qua extincta ratione vicere Persas. Ut mortuo Dario filius ejus Xerxes bellum Græciæ intulit: ac repetita origines

nes Thessaliæ: expulsoque Græcia Xerxe, bellum ab Atheniensibus translatum in Asiam, usque ad Xerxis interitum.

Prologus Lib. III.

Tertio volumine continentur hæc. Ut mortuo Xerxe filius Artaxerxes, pulso interfectore patris Artabano, bellum cum defectore Ægypti habuit: primoque duxejus Acchæmenes victus est; iterumper Aga zum Ægypto recepta. Ut Græcis cum rege pacificatis bella inter ipsos orta sunt. Inde repetita Peloponnensium origines: ut ab Herculis posteris Dorico populo sit occupata. Deinæ bella Argolica & Messiania: coalitique Sicyonia & Corinthi tyranni. Bellum Crisæum: & quod Athenienses primo cum Bœotis, dein cum Peloponnesiis gesserunt.

Prologus Lib. IV.

Quarto volumine continentur res Siculæ, ab ultima origine, usque ad dilatam Syracusis Atheniensium classem.

Prologus Lib. V.

Quinto volumine continentur hæc. Bellum inter Athenienses & Lacedæmonios, quod Decelcicum vocatur, usque ad captas Athenas. Ut expulsi sunt Athenis triginta tyranni. Bellum quod Lacedæmoni in Asia cum Artaxerxe gesserunt, propter Cyrum initum. Hinc repetitum in excessu Cyri cum fratre bellum; & Græcorum qui sub eo militaverunt.

Prologus Lib. VI.

Sexto volumine continentur hæc, Bellum Lacedæmoniorum gestum in Asia cum Persicis pra-

prafectis, ducibus belli Herculide & Ageſilao, usque ad prælium navale factum Cnido: quo victis illis, Athenienſes repetiere imperium. Dein bellum Corinthiacum, & bellum Bœotium, quo Leuctrix & Mantinea victi Spartani, amiſere imperium. In Theſſalia deinde Jaſonis & poſt illum Alexandri Pheræi coalitum atque extinctum imperium. Tum ſociale bellum geſtum adverſas Athenienſes Achæis, & Rhodiis, & Byzantiis. Tranſitus hinc ad res Macedonicas.

PROLOGUS LIB. VII.

SEptimo volumine continentur origines Macedonicæ, regesque à conditore gentis Carano, usque ad magnum Philippum: ipſius Philippi res geſtæ usque ad captam urbem Mothonem. Additæ in exceſſu Illyriorum & Paonum origines.

PROLOGUS LIB. VIII.

OCtavo volumine continentur res geſtæ Philippi magni, poſt captam urbem Mothonem, à principio belli Phocenſis quod ſacrum vocant, usque ad finem ejus; interfectumque hunc bellum quod Philippus cum Chalcedoniis urbibus geſſit. quarum clariſſimam delevit Olynthon. Ut Illyrici reges ab eo victi ſunt; & Thracia atque Theſſalia ab eo ſub eo ſubacta: & rex Epiro datus Alexander ejecto Arymba: & fruſtra Perinthos oppugnata.

PROLOGUS LIB. IX.

NOno volumine continentur hæc. Ut Philippus à Perintho ſummotus. Byzantii ori-

origines, à cujus obsidione summotus Philippus, Scythiæ bellum intulit. Repetitæ inde Scythicæ res, ab his temporibus, in quibus illa prius finierant, usque ad Philippi bellum quod cum Athea, Scythiæ rege, gessit. Unde reversus, Græciæ bellum intulit: victorque Cheroneæ, cum bella Persica moliretur, præmissa classe cum ducibus, à Pausania occupatus angustiis nuptiarum filiæ die occisus est, priusquam bella Persica inchoaret. Repetitæ res inde Persicæ à Dario notho, cui successit filius Artaxerxes cognomine Mnemon: qui post fratrem Cyrum victum, pulsaque Cnido per Conona classe Lacedæmoniorum, bellum cum Evagora rege Cyprio gessit; originesque Cypri repetitæ.

Prologus Lib. X.

Decimo volumine continentur Persicæ res, ut Arthaxerxes Annemon pacificatas cum Evagora rege Cyprio, bellum Ægyptium in urbe Ace comparavit: ipse in Caduſiis victor: defectores in Asia purpuratos suos persequutus, primum Dopanem præfectum Paphlagonaon origo repetita: Dein præfectum Helleſponti Ariobarzanen, deinde in Syria præfectum Armeniæ Orontem, in omnibusque victis decesserit, filio successore Ocho. Is deinde occisis optimatibus Sidon accepit: Ægypto bellum ter intulit. Ut post mortem Ochi regnarit Arsen, Deinde reus, qui cum Alexandro Macedonum rege bello conflixit.

Prologus Lib. XI.

Undecimo volumine continentur res gestæ Alexan-

lexandri Magni, usque ad interitum regis Persarum Darii. Dictaque in excessu origines & reges Cariæ.

PROLOGUS LIB. XII.

DUodecimo volumine continentur Alexandri Magni bella Bactriana & indica, usque ad interitum ejus. Dictaque in excessu res à præfecto ejus Antipatro in Græcia gestæ, & ab Archidamo rege Lacedæmoniorum, Molessaque Alexandro in Italia, quorum ibi est uterque cum exercitu deletus. Additæ his origines Italicæ Apulorum, Samnitum, Sabinorum; & ut Zopyrion in Ponto cum exercitu periit.

PROLOGUS LIB. XIII.

TErtiodecimo volumine continentur hæc. Ut mortuo Alexandro, optimates castrorum ejus, provinciarum imperia, sint partiti: ut veterani qui ab eodem lecti erant in colonias, moliti, relictis illis, in Græciam redire, a Phithone sint deleti. Bellum Lampsacum, quod Antipater in Græcia gesserit. Bellum quo Perdiccas regem Ariaratem occidit, & occisus est. Bellum quo Eumenes Neoptolemum & Cratrum occidit. Additæ in excessu origines regesque Cyrenarum.

PROLOGUS LIB. XIV.

QUartodecimo volumine continentur hæc: Bellum inter Antigonum & Eumenen gestum: Quem ut Cappodocia expulit Antigonus, sic Phrygia majore Aridæum & Cliton: victus in Hellesponto navali bello. Repetitum rursus bellum ab Eumene per Argyraspidas; qui

quo victus ab Antigono, interiit. Ut in Macedonia Cassander victo Polyperchonte, receptaque à defectore Munychia matrem Alexandri Olympiada Pydnæ obsessam interfecit.

Prologus Lib. XV.

Quindecimo volumine continentur hæc: Ut Demetrius Antiochi filius Gaza victus est ab Ptolemæo. Ut Cassander in Macedonia filium Alexandri regis interfecit: ac alterum Polyperchontes. Ut Ptolemæum vicit classe Demetrius; idemque ab obsidione Rhodi summotus est. Repetita in excessu origo Rhodiorum; unde digressus Demetrius liberavit a Cassandro Græciam. Dein pater ejus Antigonus bellum cum Lysimacho & Selevco habuit. Repetita Seleuci res & regis Indi Sandrocotti. Ut victus bello Antigonus interiit; reliquiæque imperii sunt à filio collectæ: & Leonimidia, inde Spartani res gestæ Corcyræ, & Illyrico, & in Italia: qui ablata Corcyra, rex Cassander interiit.

Prologus Lib. XVI.

Sextodecimo volumine continentur hæc. Ut mortuo Cassandro, ortisque inter filios ejus certaminibus, Demetrius adjutor alteri adhibitus, occiso eo, Macedoniæ regnum tenuit; quo mox evictus à Pyrrho Epiri rege, translatis in Asiam bellis, captus à Seleuco decessit. Ptolemæus nuncupato successore filio Philadelpho decessit. Ut Lysimachus in Ponto captus ac missus Andromacha: rursus in Asia civitatesque sub Demetrio fuerant, & in Ponto Heracleam occuparit. Repetitæ inde Bithyniæ

uia & Heracleoticæ origines; tyrannique Heracleæ Clearchus & Satyrus & Dionysius, quorum filiis interfectis Lysimachus occupavit urbem.

PROLOGUS LIB. XVII.

SEptimodecimo volumine continentur hæc. Ut Ayſimachus, occiſo filio Agathocle, per novercam Arſinoën bellum cum rege Seleuco habuit quo victus interiit: ultimumque certamen commilitonum Alexandri fuit. Ut Seleucus amiſſis in Cappadocia cum Diodoro copiis, interfectus eſt ab Ptolemæo fratre Arſinoës uxoris Lyſimachi, in cujus vicem Ptolemæus cognomine Ceraunus, creatus ab exercitu rex, Macedoneam occupavit: bella cum Antiocho & Pyrrho compoſuit, datis Pyrrho auxiliis, quibus iret contra Romanos, defenſum Tarentum. Inde repetitæ origines regum Epiroticorum, usque ad Pyrrhum: ipſiusque Pyrrhi resgeſtæ, priusquam in Italiam trajecit.

PROLOGUS LIB. XVIII.

OCtavo decimo volumine continentur res à Pyrrho Epirota in Italia geſtae contra Romanos. Poſtque id bellum, tranſitus ejus in Siciliam adverſus Carthaginienſes. Inde origines Phœnicum, & Sidonis, & Veliæ Carthaginumque res geſtæ in exceſſu dictae.

PROLOGUS LIB. XIX.

UNdevicesimo volumine continentur res Carthaginienſium in Africa per rubellum annorum geſtæ: & in Siciliam, cum Selinum Temetogantum & Gametinam & Gelam ceperunt: quo bello Dioniſius Syracuſanus, Sicilix

lia regnum occupavit. Bellum quod cum eo Pœni per Imilconem gesserunt, quod obsidione Syracusarum exercitum & classem amisit.

Prologus Lib. XX.

Vicesimo volumine continentur res gestæ Dionysii Siculi patris. Ut pulsis Pœnis Italica bella sit molitus. Inde repetita origines Venetorum, & Græcorum & Gallorum qui Italiam incolunt. Deductisque Dionysii rebus ad interitum ejus, dicta quas Anno magnus in Africa gessit.

Prologus Lib. XXI.

Uno & vicesimo volumine continentur hæc. Ut in Sicilia Dionysius filius à patre amisso tractarit imperium. Per Dionysium jactus bellum cum Siculis gessit: donec amissis liberis & fratribus Corinthum statim Oleonthe Carthaginiensium bello sit liberata Sicilia: mortuoque Pisistrato iterum facta seditione arcessiti quam ad bello Carthaginienses obsederunt Syracusas: quo bello Agathocles nactus imperium est.

Prologus Lib. XXII.

Secundo & vicesimo volumine continentur hæc. Res gestæ Agathoclis: ut à Pœnis nactus imperium, bellum cum ipsis gesserit, primum in Sicilia, dehinc victus, trajecit in Africam, ubi possessa provincia, Ophellam regem Cyrenarum interfecit. Ut rursus in Siciliam reversus, occupata totius insulæ dominatione, cum revertisset in Africam, amissis copiis, solus inde profugit in Siciliam: belloque ibi repetitus, & cum Pœnis pacem com-

pa-

posuit, & dissidentes à se Siculas subjecit

PROLOGUS LIB. XXIII.

TErtio & vicesimo volumine continentur hac. Ut Agathocles domita Sicilia, bellum in Italia Bructiis intulerit. Repetita inde Brutiorum origines: omnibus subactis, rex, seditione filii exheredati ac nepotis oppressus, interiit. Inter peregrinos deinde milites ejus & Siculos bellum motum: quæ causa Pyrrhum regem Epirri in Siciliam adduxit: bellaque Pyrrhus cum Pœnis & Mamertinis ibi gessit: & à Sicilia reversus in Italiam, victus prælio à Romanis revertit in Epirum.

PROLOGUS LIB. XXIV.

QUarto & vicesimo volumine continentur. Bellum quod inter Antigonum Gonatam, & Antiochum Seleuci filium in Asia gestum est. Bellum quod Ptolemæus Ceraunus in Macedonia cum Monio Illyrio & Ptolemæo Lysimachi filio habuit: atque Arsinoën sororem suam imperio Macedonicarum urbium exuit. Ipse, cum Belgio Gallorum duce congressus, interiit. Repetita inde Gallorum origines, qui Illyricum occuparant, atque ut ingressi Græciam, Brenno duce, Delphis victi fletique sunt.

PROLOGUS LIB. XXV.

QUinto & vicesimo volumine continentur hac. Ut Antigonus Gallos delevit: deinde cum Apollodoro Cassandreæ tyranno bellum habuit. Ut Galli transierint in Asiam, bellumque cum rege Antigono & Bithynio gesserunt:

quas regiones Felini occuparunt: Ut Pyrrhus ex Italia reversus, regno Macedoniæ Antigonum exuerit, Lacedæmoniam obsederit; Argis interierit: filiusque ejus Alexander Illyricum cum Mytilo bellum habuerit.

PROLOGUS LIB. XXVI.

SExto & vicesimo volumine continentur hæc. Quibus in urbibus Græciæ dominationem Antigonus Gonatas consituerit; Ut defectores Gallos Megaris delevit: regemque Lacedæmoniorum Area Corinthi interfecit. Dehinc cum fratris sui Crateri filio Alexandro, bellum habuerit. Ut princeps Achaiæ Aratus Sicuonem & Corinthum & Megara occuparit. Ut in Siria rex Antiochus, cognomine Soter, altero filio occiso, altero rege nuncupato Antiocho, decesserit. Ut in Asia filius Ptolemæi regis socio Timarcho desciverit à patre. Ut frater Antigoni Demetrius, occupato Cyrenis regno, interiit Ut mortuo rege Antigono, filius ejus Seleucus Gallinicus regnum acceperit.

PROLOGUS LIB. XXVII.

SEptimo & vicesima; volumine continentur hæc. Seleuci bellum in Syria adversus Ptolemæum. Item in Asia adversus fratrem suum Hieracem; quo bello Angura victus est à Gallis. Utque Galli Pergamo victi ab Attalo Lambitunum occiderint. Ut Ptolemæus eum denuo captum interfecerit: & Antigonum andro prælio navali prona vicerit; & à Gallinico fusus, in Mesopotamia Antiochus insidiantem sibi effugit Artamenem. Dein

postea

postea custode Stryponio. quo à Gallis occiso Seleucus quoque frater ejus decesserit, majoremque filiorum ejus Epacorios occiderit.

PROLOGUS LIB. XXVIII.

OCtavo & vicesimo volumine continentur hæc. Ut mortuo rege epiri Alexandro, Laudamiam Epirotæ occiderint. Dictique in excessu Bastarnici motus. Ut ex Macedonia Demetrius fit à Dardanis fusus quo mortuo KC. filii ejus Philippi susceperit Antigonusque Thessalia in Asiam Cariam subjecit: & adjutis Achæis contra regem Spartanum Cleomenem, cepit Lacedæmona: Amissoque regno Cleomenes Spartanos confugit Alexandriam, atque ibi interiit. Dictum in excessu bellum Illyricum. quod Romani gessere cum Teuta.

PROLOGUS LIB. XXIX.

UNdetricesimo volumine continentur hæc: res gestæ Philippi regis adversus Dardanos & Ætolos. Repetitæque inde Creticæ origines: Post cujus insulæ societatem, Philippus cum Illyriis, & Dardanis, & rursus Ætolis bello congressus est: adjuvantibus Ætolos Romanis: Quo finito intulit Ætolis bellum.

PROLOGUS LIB. XXX.

TRicesimo volumine continentur hæc. Ut mortuo Ptolemæo Utruponæ, filius ejus Philopator Antiochum regem vicit. rapti ei pœnmare gathocleæ corruptus decessit, relicto filio pupillo: in quem cum Philippo rege Macedonum consensu Antiochus. Philippi deinde gestæ in Asia, cum movisset Ætola bella. A

quibus reversus bellum habuit cum ducibus Romanis Sulpicio & Flaminio, quibus victus, pax. Transitus deinde ad res Antiochi, qui post regnum acceptum persequutus defectores in Media Molonem, in Asia Macchenum, quem obsedit Sardibus; pacata superiore Asia Bactris tenus, in Romana bella descendit.

Prologus Lib. XXXI.

Uno & tricesimo volumine continetur bellum, quod cum Lacedæmonio Navide Titus Flamininus & Philopœmen dux Achaicorum gessit. Item bellum quod cum Antiocho in Achaia per Achillum conjulem. & in Asia per Scipionem gestum est. Deniq; Annibalis ad regem ab Carthagine fuga. Bellū cum Acholis gestum per eundem Achillum, qui Antiochum Græcia expulerat.

Prologus Lib. XXXII.

Secundo & tricesimo volumine continentur hæc. Defectio ab Achæis Lacedæmoniorum & Messeniorum, qua Philopœmen interiit. Romanorum in Asia ducem ambo, adversum Gallos bellum. Regis Philippi propter ablatas sibi civitates, alienatus in Romanos animus; & ob hoc alter filiorum Demetrius occisus: Concitatique ab eo Basternæ, transire conati in Italiam. Inde in excessu dictæ res Illyricæ: ut Galli qui occuparant Illyricum rursus redierunt in Galliam, originesq; Pannoniorum, & incrementa Daciorum, per Ruboboste regem. In Asia bellum à rege Eumene gestum adversus Gallum Ortiagonem, Parnecem Ponticum, & Prusiana adjuvante Prusiam Annibale Puno. Res gestæ Annibalis post victum

dum Antiochum. Et mox mortuo Seleuco filio magni Antiochi succesisit regno frater Antiochus.

PROLOGUS LIB. XXXIII.

TErtio & triceſimo volumine continentur hæc. Ut cum Perſe Philippi filio, rege Macedonum, Romani bellum geſſerint: quo capto deleta eſt Epiros: Ætolica civitates abunitate corporis deductæ inter Achæos & Lacedæmonios certamine orto: Bellum rurſus in Macedonia geſtum à Romanis cum Pſeudo-Philippo.

PROLOGUS LIB. XXXIV.

QUarto & triceſimo volumine continentur hæc. Bellum Achaicum quod Romani per Macellum & Mummium geſſere: quo diruta eſt Corinthus. Bellum regis Eumenis cum Gallograecis, & in Piſidias cum Selegenſibus. Res quas geſſit Syriæ rex Antiochus, & rex Ægypti Ptolemæus. Repetitæ inde origines regum Cappadocum Ephiphanes ut mortuo Ptolemæo, relicti ab eo filii duo Filometor & Evergetes, primum cum Antiocho habuere bellum, quod per Romanos finitum eſt; deinde inter ſe, quo major eſt expulſus: reſtitutoque, Romano inter fratres regna diviſerunt. Ut mortuo rege Syriæ Antiocho, Demetrius cognomine Soter, qui Romæ fuerat obſes, clam fugit; occupataque Syria bellum cum Timarcho Medorum rege habuit, Ariarathe rege Cappadocum. Ut habita inter Ariaten & Orophernem regni certamina. Ut mortuo rege Aſiæ Eumene, ſuffectus Attalus bellum cum Selegenſibus habuit, & cum rege Pruſia.

PROLOGUS LIB. XXXV.

QUinto & triceſimo volumine continentur

hæc. Bellum Ripaticum inter Cretas & Rhodios: seditio Chiriorum adversam Cerinenses. Et adversus Demetrium Sotera subornatus est Alexander, tanquam genitus Epiphane Antiocho: quo bello victus Demetrius, invisum stultitia Alexandrum bello vicit, adjuvante Ptolemæo Filometore, qui eo bello interiit. Ut deinde orta Demetrio bella sint cum Diotoro Tryphone: expulsusque à Tryphone regno Syriæ Demetrius. Repetit inde superioris Asiæ motus, factos per Aretheum & Asacem Parthum.

Prologus Lib. XXXVI.

Sexto & tricesimo volumine continentur hæc. Ut Cypro pulsus Syria Demetrio: captaque à Parthis, bellum gesit cum fratre ejus Antiocho cognomine: sed ut Antiochus interfecto Hyrcano, Judæos subegit. Sepetita inde initia excessu origo Judæorum. Ut rex Asiæ Attalus Cenostracas subegit: successoremque imperii Attalum Philometora reliquit. Mortuo denique Philometore regno Asiæ occupato, bellumcum Romanis gesit, qua pactus est.

Prologus Lib. XXXVII.

Septimo & tricesimo volumine continentur hæc. Repetitis regnum Ponticorum originibus, ut ultimum Mithridatem neupatora (tres imperii deducta sit: Atque ut ingressus ille regnum, subegit Ponticum & Paphlagoniam, priusquam in bella Romana descendit. Dictæque in excessu regnum Bosphoranorum & Colchorum origines, & res gestæ.

Prologus Lib. XXXVIII.

Octavo & tricesimo volumine continentur hæc. Ut Mithridates eupatore occiso Arathe

the Cappadociam occupavit; victoque Nicomede & Malthino Bythyniam. Ut mortuo Ptolemaeo Philometore Ac frater ejus Ascon accepto regno Ægyptiseditione populi: deinde bellum cum uxore sua Cleopatra & cum rege Syriæ Demetrio habuit. Inde repetitum ut Demetrius captus sit à Parthis, (bellumque) intulerit, qui cum exercitu suo deletus est.

PROLOGUS LIB. XXXIX.

NONO & tricesimo volumine continentur hæc: Ut extincto à Parthis Antiocho Sidete, frater ejus Demetrius dimissus regnum Syriae recepit subornatoq; in bellum adversus eum Alexandro Zabbineo interiit: filiusque Antiochus Gryppos, victo Zabbineo regnum occupavit Dehinc cum fratre suo Antiocho Tzizeno bellum in Syria Ciliaque gessit. Ut Alexandria, mortuo rege Ptolemaeo Physcone, filius ejus Ptolemaeus Lathyros, accepto regno expulsus est à matre Cyprum; & in Syria bello petitus ab eadem suffecto in locum ejus Alexandrone, occisa per Alexandrum matre recepit Ægyptiregnum. Ut post Laphyrum filius Alexandri regnarit, expulsoque eo suffectus sit Ptolemæus Nothus. Ut Syriam Judæi & Arabes terrestribus latrociniis infestarint. Maretcilices piraticum bellum moverunt, quod in Cilia Romani per Antonium gesserunt. Ut in Syria eracleo poct mortem regis occuparint imperium.

PROLOGUS LIB. XL.

QUadragesimo volumine continentur hæc. Ut mortuo Cypro rege, Cizycenus cum filiis ejus bello congressus, interiit. His deinde à

filio Cizyceni esebe extinctaque regnbi Antiochorum domo, Tigranes Armenius Syriam occupavit. Quo mox victo, Romani abstinere eam. Ut Alexandriam post in teritum Ptolemæi Latiri substituti sint; eius filia alteri data Cypros, cui post Claudii rogationem Romani abstulerunt eam, alter, seditione flagitatus Alexandreæ Romæ profugit: bellogue per Gabinium gesto recepit imperium: quo mortuo successit filius, qui cum sorore Cleopatra certamine insumpto & Pompeium Magnum interfecit. & bellum cum Cæsare Alexandriæ gessit. Ut successit ejus soror regno Cleopatra, quæ inligato in amorem suum M. Antonio, belli Actiaci fine extinxit regem Ptolemeicorum.

Prologus Lib. XLI.

UNo & quadrogesimo volumine continentur res Parthicæ & Bactrianæ. In Partiis, ut est constitutum imperium, per Assacem regem Successores deinde ejus Artabanus, & Tigranes cognomine Deus: à quo subacta est Media & Mesopotamia Dictusque in excessu Arabiæ situs. In Bactrianis autem rebus, ut à Diudoto rege constitutum est: deinde quo repugnante Scythicæ gentes Saranca & Asiani Bactra occupavere Sogdianos. Indice quoque res additæ, gestæ per Apollodorum & Menandrum reges eorum.

Prologus Lib. XLII.

SEcundo & quadragesimo volumine continentur Parthicæ res. Ut præfectus Parthis Aprætens Messenis bellum intulit in Babylo-

lonios & Seleucinisse victusque Phyrathis successit rex Mithridates cognomine Magnus, qui Armeniis bellum intulit. Inde repetita origines Armeniorum, & situs. Ut varia complurium regum in Parthis successione, imperium accepit Orodes, qui Grassum delevit; & Syriam per filium Pacorum occupavit. Illi successit Phrahates, qui & cum Antonio bellum habuit & cum Tiridate. Addita res Schythicæ, Reges Thoclarorum Asiani, interitusq; Sarducarum.

PROLOGUS LIB. XLIII.

TErtio & quadragesimo volumine continentur origines (Priscorum) Latinorum, situs urbis Romæ: & res usque ad Priscum Tarquinium. Origines (deinde) Liguriæ & Massiliensium res gestæ.

PROLOGUS LIB. XLIV.

QUarto & quadragesimo volumine continentur res Hispaniæ & Punicæ.

FINIS.

ISAACI VOSSII BRVES AD JUSTINUM NOTÆ.

AD LIB. I.

CAP. I. *Vexores*) In MS. quibusdam legitur, *Suexosis*; pro quo alii, *Sesostris*. Malim scribere, *Sesoosis*, vel *Sesosis*, quod propius accedit. Σεσόωσις sane à Diodoro passim appellatur Sesostris. Sed & aliis quibusdam sic dicitur. Nonnullis & *Sesonchis* vel *Sesouchosis*. Vide Scholia ad librum IV. Apollonii Rhodii. Quisnam vero sit, quem hic Justinus *Tanaum* vocat, affirmare non possum. Herodotus Melpomene primum Schytarum regem facit Targitaum. Qui forte idem est.

Et uxore Semiramide) Canon apud Photium, narratione IX. tradit, Semiramin non uxorem Nini, sed filiam fuisse. Ait præterea Justinus, illam concubitum cum à filio periisset, ab eodem interfectam. Canon vero longe aliter. Scribit enim, cum imprudens & ignara cum filio coiisset, recognita, eidem nupsisse, & ex eo tempore licitum semper fuisse Persis commiscere matribus.

Cap.

CAP. V. *Epulandumque patri tradidit*) Theophilus ad Autolycum lib. III. non hoc Astyagi, sed Cambysi tribuit. Perperam.

CAP. VI. *Nomine Sybarem*) MS. habet *Stbarem*. Legendum *Sæbarem*. Et sic quoque infra. Sæbares is est Oebares, Οἰβάρης, Utrumque enim dicitur. Sic Androcottus Sandrocottus, Indica Sindica, Merdis Smerdis, Osthanes Æschylo est Ζωθάνης. Alibi plura.

CAP. VII. *Rex Lydorum Crœsus.*) Omnes tradunt, jam tum temporis Crœsum à Cyro victum captumque fuisse, cum Babyloniis bellum inferret. Quomodo ergo iis opem tulerit, non video. Sed viderur Trogus, ut sæpe, alios secutus fuisse auctores.

CAP. VIII. *Cum prohibere eos transitu Araxis fluminis posset*) Nescio quid Ammiano Marcellino lib. XXXII. in mentem venerit quod scribat, *Cyrum Bospori fretum cum multitudine fabulosa transgressum, ad internecionem delevit Tamyris regina Schytarum, ultrix acerrima filiorum.* Araxem transgressum fuisse Cyrcum, cum Tamyridi & Massageris bellum inferret, ex omnibus constat. Bosporum vero trajecisse nemo dixit. Miror quoque, virum doctissimum hoc loco reponere *Tomyris* pro *Tamyris*. Nam dicitur, Τάμυρις, Τάμυρις, & Θάμυρις. Quamvis postremum hoc nomen viris attribuatur, non fœminis. Ita Polyænus Sacarum regem vocat. Apud Æschylum quoque in Persis aliquoties Θάμυρις, pro Θάγυρις legendum esse, patet

ex Scholiaste. At sane videtur esse commentum Græcorum, quod de hac, tanquam muliere, produnt. *Teimur* namque masculum nomen apud Scythas semper fuit. Quinetiam multum ab eo abit, quod refert Lucianus in Macrobiis, auctoritate Cipporum Persicorum, & Onesicriti. Ait enim: Κύρος ὁ Περσῶν βασιλεὺς ὁ παλαιὸς, ὡς δηλοῦσιν οἱ Περσῶν καὶ Ασσυρίων ὅροι, οἷς καὶ Ὀνησίκριτος, ὁ τὰ ἐπὶ Ἀλεξάνδρου συγγράψας, συμφωνεῖν δοκεῖ, ἑκατὸν τούτης γενόμενος, ἐζήτει μὲν ἕνα ἕκαστον τῶν φίλων. Μαθὼν δὲ τοὺς πλείστους διεφθαρμένους ὑπὸ Καμβύσου τοῦ υἱέος, καὶ φάσκοντος Καμβύσου κατὰ πρόστατμα τὸ ἐκείνου ταῦτα πεποιηκέναι, τὸ μὲν τι, πρὸς τὴν ὠμότητα τῶν υἱοῦ διαβληθεῖς, τὸ δέ τι, ὡς παρανομοῦντα αὐτὸν αἰτιασάμενος, ἀθυμήσας, ἐτελεύτα τὸν βίον. Quamquem absurdissimum hoc multis videbitur. Ut pote cum Cyrus, quadraginta annos natus, regnare cœperit; imperarit annos xxx: Cambyses veroannos VII $\frac{V}{XII}$. Fieri itaque non potuerit Cyrum centesimum annum ætatis implesse, regnante Cambyse.

CAP. IX. *Fratrem suum Mergin regnaturum*) Non sine injuria posset aliquis suspicari, scribendum esse, *Merdin*, & paulo post *Merdi*, pro *Mergede*. Merdim enim & Merdiam appellant nonnulli Cyri filium, ut testantur Scholia ad Persas Æschyli. Apud Æschylum ipsum male legitur Μάρδις, ut

jam

jam vidit Scholiastes. Herodoto, & Aristoteli est Σμέρδις. Nam sæpe τὸ σ nominibus propriis in principio affigitur. Ctesiæ est Ταννοξάρκης. Ait enim, Κύρος ἢ μέλλων τελευτᾶν Ταννοξάρκην τὸν νεώτερον υἱὸν ἐπέστησε δεσπότην Βακτρίων, καὶ τὸ χώρας, καὶ Χωραμναίων, καὶ Παρθίων, καὶ Καρμανίων &c. Sic legendum. *Oropastes*. ipsi est Σφενδαδάτης.

AD LIB, II.

CAP, II. *Pellibus tamen ferinis, aut murinis*) In quibusdam codicibus legitur, *felinis*, pro *ferinis*. Totum autem hunc locum sic emendavit Cl. Salmasius: *Lanæ iis usus, ac vestium ignotus, quanquam continuis frigoribus urantur. Pellibus tamen ferinis, aut murinus utuntur*, Scythas enim, sive Parthos, murinis pellibus, conficiendis tunicis usos fuisse, testatur Hesychius: Σίμωρ παρὰ Πάρθοις καλεῖται τι μυὸς ἀγρίου εἶδος, οὗ τῶν δεραῖς χρῶνται πρὸς χιτῶνας. Hujuscemodi tunicas μυωτοὺς appellabant. Sed non possum hic præterire, quæ de hoc animali ad me perscripsit vir divinus, Cl. Salmasius: De Simore. inquit, verum est, quod tibi in familiari sermone dixi, hodieq; à Persis hoc nomen dari animalculo cuidam parvo, feli non dissimili. Arabes *Simmor*, cujus pellem calidiorem esse corpori humano, quam cujussibet alterius animalis, scribunt, sed nec eodem modo præparari. Puto esse, ut illud animal describunt, quam

Martem Zibellinam vulgo appellamus, Hungari & Poloni, Germanique. *Sobel* vel *Zobel*. Sed ut feli similis sit hæc bestia, non ideo tamen admiserim scripturam quam in quibusdam scriptis Justini exemplaribus reperiri ais, *felinis*, *aut murinis*. Quis enim non videt, ab imperito aliquo esse excogitatam, qui cum videret, murinas ibi pelles nominari, statim putavit felinas pro ferinis dicendas, quas auctor una commemoraret. Atqui certum est, veteres Latinos murium nomine, cum murinas pelles dixere, & feles ipsos, omne genus domesticos, ferosque, comprehendisse, & majora etiam animalia, quarum pelles ad vestitum usurparentur. Cum Pantheras Romani mures Africanos vocarunt, nonne earum pelles murinas posse vocari verisimile est? Puto tamen, Justinum per murinas pelles intellexisse minorum omnium animalium, ut sunt martures, meles, feles feri, vulpes, simores Parthici, & alia. Per ferinas vero, grandiorum ferarum; ut sunt lupi, leones, leopardi, & similia. Ammianus Marcellinus lib. XXXI, notat, *Hunnos indumentis operiri lineis, vel ex pellibus sylvestrium murium consarcinatis*. Ad quem locum Fr. Valesius scribit, has pelliculas odoratas fuisse, & citat Hieronymi verba, quæ de alio plane mure intelligenda. Nam animal Moschi etiam mus est, & Zibethum quoque murem appellarunt, sed eorum pellibus ad vestitum non sunt usi, & sylvestres illi mures, ex quorum pellibus sibi vestes Hunnos consarcinasse tradit Marcelli-

aus

nus, de martis vel marturibus accipiendi, & vulpeculis, quarum hodieque in illis pelles ad amictum experuntur, & in alium orbem nostrumque, inde importantur. Hactenus Salmasius.

CAP. III. *Vexores Rex Ægyptius*) Lege quoque hic, ut supra, *Sesosis* Sed miror equidem, quod Justinus hic dicat, Scythas vicisse Sesosin, sive Sesostrem, & in regnum repulisse, cum Herodotus, Dicæarchus, Diodorus Siculus, & alii, prodiderint, hunc Scythas subegisse, omniumque quas adierit gentium fuisse victorem. Trogum tamen secutus est Valerius Flaccus lib. v.

—— *ut prima Sesostris*
Intulerit rex bella Getis, ut clade suorum
Territus, hos Thebas, patriumque reducat ad amnem;
Phasidos hos imponat agris, Colchosq; vocari
Imperet.

Nec passuras, ut in posteritatem) Jo. Peyraredus, nobilis Aquitanus, legit, *nec passuras, ut sine posteritate*, &c.

CAP. IV. *Martheſia, & Lampeto*) Scribe, *Marpesia, & Lampedo*. Græcis Μαρπησία καὶ Λαμπεδώ. Hæc Lampedo inter Pleiadas olim relata est: sed postea alia in ejus locum substituta est. Verum hæc nos alias.

Filia ejus Otrere regno succedit) In MS. suprascriptum erat, legendum esse, *Sinope*. Et sic quoque legerunt sequioris ævi scriptores, hujus compilatores. Sinopen Amazonum unam fuisse, & ab ea urbem dictam,

ctam, testatur Andron apud Etymologici logici magni auctorem .. in voce Σινώπη. Ὁ δὲ Ἀνδρῶν, φησὶν, μίαν τῶν Ἀμαζόνων φυγοῦσαν εἰς Πόντον παρὰ τὸν βασιλέα τοῦ τόπου, πίνουσάν τε πλεῖστον οἶνον προσαγορευθῆναι Σινώπην. Μεταφράσει δὲ τοῦτο σημαίνει τὴν πολλὰ πίνουσαν. Atqui non Σινώπη significat τὴν πολλὰ πίνουσαν, sed σανάπη, quomodo ei scribendum fuerat. Auctor Scholiorum ad IX Apollonii Rhodii librum. Εἰπεὶ δὲ οἱ μέθυσοι σανάπαι λέγονται παρὰ Θρᾳξὶν, ἢ Διαλέκτῳ χρῶνται καὶ Ἀμαζόνες κληθῆναι τὴν πόλιν Σανάπην, ἐπειτὰς κατὰ φθόρὰν Σινώπη. Sic scribendum. Hesychius, Σανάπην, τὴν οἰνώδη Σκύθαι. Sic lege. Vulgo enim conspurcatissimus locus iste Hesychii.

CAP. V. *Usque ad tempora Jancyri regis*) Omnino scribendum, *Idantyri*. Herodoto est Ἰνδάθυρσος, ut & Arriano lib. VII. Straboni Ἰδάνθυρσος. Plutarcho in Apophthegmatibus. Ἰδάθυρσος. Multis enim vocabulis inseritur εὐφονίας ergo, & plenioris toni, τὸ ν. ut Ἀτέας Ἀντέας, Ἄμισος Ἄμινσος, Thymodas Thymondas, Indigetes Indigentes, Carpetani Carpentani, Callaria Callantia, & sexcenta ejus generis.

CAP. VI. *Litteræ certe, ac facundia*) Mirum quam hic varient MS. omnes. In plurimis codicibus legebatur *Ceria*. Noli dubitare quin verissima sit lectio, *Litteræ, ceremoniæ, ac facundia*, &c. Hanc lectionem præfert etiam codex Thuanæus.

Cranaus, cujus filia Athuis) Scribe, *Atthis*.

Nam Ἀτθίδα vocant Græci. De hac vide Apollodorum lib. III. & alios.

Satio apud Eleusin à Triptolemo reperta est.) Hoc Buzygi heroe Attico tribuunt alii. Vide Plinium lib. VII. cap. LVI. Et Hesychium in voce Βαζύγης. Epimenidi quoque adscribit hoc Ausonius in Epistolis:

Hoc si impetratum munus abs te accepero,
Prior colore quam Ceres.
Triptolemon olim sive Epimenidem vocant,
Aut Bulianum Buzygem.

Ita legendi hi versus. Quis enim sit Medes, neminem scire puto: neque etiam quare Buziges Tullianus dicatur. Omnino itaque scribendum Bullianus, sive Bulianus, a Bulia civitate Attica. Recte autem hic Justinus frumenti sationem repertam esse ait sub Erechtheo, non sub Erichthonio, ut alii ferme omnes, Erechtheum cum Erichthonio eundem facientes, cum hic quartus, alter vero septimus Athenienſium rex fuerint, Marmor Arundellianum: ΑΦ ΟΥ ΔΗΜΗΤΗΡ ΑΦΙΚΟΜΕΝΗ ΕΙΣ ΑΘΗΝΑΣ ΚΑΡΠΟΝ ΕΥΦ ΠΥΕΝ' ΚΑΙ ΠΡ . . . . ΠΡΑ . . . . ΩΤΗΔ . . . . ΠΤΟΛΕΜΟΥ ΤΟΥ ΚΕΛΕ ΟΥ ΚΑΙ ΝΕΑΙΡΑΣ ΕΤΗ ΧΗΔΔΔΕΠ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΗΣΙΝ ΕΡΙΧΘΕΩΣ ΑΦ ΟΥ ΤΡΙΠΤΟΛΕΜΟ . . . . ΕΣΠΕΙΡΕΝ ΕΝ ΤΗ, ΡΑΡΙΑ, ΚΑΛΟΥΜΕΝΗ, ΕΛΕΥΣΙΝΙ ΕΤΗ ΧΗΔΔΔΔΠ. Raria, in qua primum Triptolemus seminasse hic dicitur

citur, est campus in Eleusine. Stephanus: Ῥάριον πεδίον ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ Ῥαρία γῆ καὶ Ῥαριὰς, ἡ Δημητὴρ. Mas apud Hesychium; Ῥάριον, παιδίον; pro πεδίον. Nomen hoc inditum erat illi campo à pater Rharo. Hesych. Ῥάρος ἰσχυρὸς, καὶ ὄνομα τοῦ Τριπτολέμου πατρός. Filius hic erat Cranai, ut idem alibi; Κραναοῦ υἱὸς Ῥάρος. In hac tamen inscriptione Triptolemus, non Rhari, sed Celei filius fuisse dicitur. Et sic quoque Pausanias. Alii autem Celeum Regem Eleusinis faciunt, Triptolemo coævum, alii pauperem hominem. Similis quoque variatio in nomine matris. quæ hic Neæra dicitur, cum aliis quoque Metanira, Polymnia, & Deiope vocetur.

CAP. VII. *Insolitis sibi versibus suadere populo cœpit*) Salamis inscribebatur poema illud Solonis, & constabat centum versibus: quorum principium habes apud Plutarchum in Solone, & Diogenem Laertium, quamvis aliter: sed minus recte. Versus, quibus maxime persuasit populo, apud Diogenem exstant. Sic vero sunt legendi:

Εἴην δὴ τότ' ἐγὼ ψολεγάνδριος, ἢ Σικινίτης,
Ἀντὶ γ' Ἀθηναίου, πατρίδ' ἀμειψάμενος.
Αἶψα γὰρ ἄυφάτις ἥδιμετ' ἀνθρώποισι γένοιτο,
Ἀττικὸς αὐτὸς ἀνὴρ τῶνι Σαλαμιναφετῶν.

Non, ut vulgo, τῶν Σαλαμῖν' ἀφέντων.

CAP. VIII. *Pisistratus juventutem in insidiis locat*) Polyænus, & alii nonnulli, Soloni id strategema tribuunt, non Pisistrato. Sed conciliat hæc Plutarchus in Solone, qui docet, utrisque ope id gestum esse.

Cap

CAP. IX. *Diocles, alter ex filiis*) Nescio, quid justino evenerit, ut quem omnes unanimi consensu Hipparchum vocent, ille Dioclem appellet. Neque tamen, eum in re notissima lapsum esse, crediderim, cum nullam hujus erroris causam videam.

CAP. X. *Artemenes maximus natu*) Plutarcho in Apophthegmatibus, & libero de amore fraterno, est Ἀριαμένης. Et sic in MS. justini.

Adversus Græciam quinquennium instruxit) Tres tantum annos in istoc apparatu Xerxem consumpsisse, inquit Diodorus. Julianus vero ὁ προβάτης, oratione priori de laudibus Constantii, inquit, τὴν Ξέρξην χρόνον ἐτῶν οὐκ ἐλαάσσονα δέκα πρὸς τὸν πόλεμον ἐκεῖνον παρασκευάζεσθαι. Quod esse non potest, cum sexto anno, ex quo regnum adeptus est, bellum in Græcos moverit Xerxes.

Easdemque cera) Nam si cera inducatur non ita olet, ac si liquida superfundatur. Hoc est quod dicit Polyænus, Demaratum ἐς πτύχα ἀκήρωτον γράψαντα ἐπικηρῶσαι. Quamvis Herodotus aliter. Doctissimus Gronovius apud justinum malebat, *eademque cera*. Quod ego non puto. Explicat hanc rem Julius Aphricanus capite LIV. περὶ κρυφίας ἐπιστολῶν εἰσπυμπῆς, cujus verba adscribam. ; ἄλλον πάλιν ἐν τῷ τῆς δέλτου ξύλῳ γράψαντες, κηρὸν ἐπέτηξαν, καὶ ἄλλα εἰς τὸν κηρὸν ἔγραψαν. Εἶτα ὅτε ἦλδε πρότερον δὴ τὸν κηρὸν ἐκκινέσας, καὶ ἀναγνοὺς, ὁμοιοτρόπως ἀνταπέστειλε.

Flumina ab execitu ejus siccata) Fuse ea de

de re Herodeus libro XII: qui prodit, Eschedorum (male apud eum legitur Χειδώρος) flumen potantibus defecisse. Quo respicit Alexander apud Curtium, lib. I. *Cum adiret Græcos, admonebat, ab illis gentibus illata Græciæ bella; Darii prius, deinde Xerxis insolentiæ, aquam ipsam terramque populantium, ut neque fontium haustum, nec solitos cibos relinquerent.* Ubi nonnulli pro *populantium* ex MS. reponunt *poscentium*. Sed male. Neque enim cohæret cum sequentibus. Quamvis non ignorem, Persas aquam terramque postulare solitos: quod tamen video alios sollicitos habuisse, cum Herodotus testetur, Megabazum, Darii satrapam, nuntios ad Alexandrum Amyntæ filium misisse, *αἰτήσοντας γῆν τε καὶ ὕδωρ Δαρείῳ ἐμπαλεῖ*. Id ipsum quoque legitur in epistola Aristippi ad Philippum regem; nisi quod ibi sit, Ἀλέξανδρος ὁ Ἀλέα male, pro Ἀλέξανδρος ὁ Ἀμύντα. Passim obvia sunt ejus rei exempla.

CAP. XII. *Conjuges, liberosque, cum pretiosissimis rebus, abditis insulis demandant.*) Senes in insulas deportasse, inquit Aristides in oratione ὑπὲρ τῶν τεττάρων. Conjuges vero, & liberos, Trœzenem misisse, non in insulas. *Abditas* autem vocat insulas illas, quoniam in intimo recessu sinus essent sitæ.

CAP. XIII. *Fama adversi belli, & in majus, sicuti mos est.*) Nihil mutandum. Sic quoque initio lib. XIV: *Ne fama, aut rem in majus extolleret aut militum animos rerum novitate terreret.*

CAP.

CAP. XV. *Quoscumqu ad se nuntio misisset.*) In omnibus MS. legebatur, *pontios*, vel *poutios*. Forte scriptum fuit, *protinus*. Error autem ortus est ex literarum compendio.

AD LIB. III.

CAP. III. *Proficiscitur autem Cretam*) In Samo vita excessisse Lycurgum, autor est Heraclides. Λυκοῦργος ἐν Σάμῳ ἐτελεύτησε, καὶ τὸν Ὁμήρου ποίησιν παρὰ τῶν ἀπογόνων τοῦ Κρεωφύλου λαβών. πρῶτος διενέγκισεν εἰς Πελοπόννησον. Scio quidem, autores dissentire de loco mortis & sepulturæ Lycurgi: in Samo tamen obiisse, nemo dixit. Quin & sequentia reclamnat, ubi dicitur, libros Homeri à posteritate Creophyli (male apud Plutarchum in Lycurgo legitur (Κλεοφύλου) acceptos, primus in Peloponnesum deportasse. Omnino itaque scribe, ἐν Σάμῳ ἐγμύετο, ut est in MS. Sami enim aliquamdiu egit. Vide Plutarchum.

CAP. V. *Deinde cum per annos* LXXX *gravia servitutis verba*) Ita hic locus distinguendus est: *Deinde cum per annos* LXXX *gravia servitutis, verbera plerunque & vincula, cæteraqun captivitatis mala, perpessi essent*, &c.

CAP. VII. *Sperantes acquirere se ille posse.*) Non ideo agros Periclis intactos reliquisse Archidamum, ut eum suspectum redderet Atheniensibus, sed quoniam ei amicissimus erat, inquit Polyænus.

AD LIB. IV.

CAP. I. *Spiritu cum igne inter interiora luctante*). Mira discrepantia in omnibus MS.

MS. Quidam codices habent, *inter interita*. Non dubito, quin Justinus scripserit, *ut spiritu cum igne interimtra luctante*, &c. Hoc verbum cum insuetum esset Isidoro, qui hæc citat, rescripsit, *introrsus*. *Interimtra* vero, ut *circumcirca*, *præterpropter*, & alia.

CAP. III *Ausi facimus nulli tyranno comparandum*.) Omnino legendum est, *nulli tyranni comparandum*.

AD LIB. V.

CAP. IV *Jam Mindarus, & Pharnabazus, Lacedæmoniorum duces*.) In omnibus MS. legitur *Zestromindarus*: unde fac; *Jam Sesti Mindarus & Pharnabazus* &c. Nam in Hellesponto factam esse hanc pugnam cum alii, tum etiam Frontinus tradit, lib. II. cap. v. *Alcibiades dux Athenienſium in Hellesponto adversus Numidarum & Lacedæmoniorum ducem, cum amplum exercitum & plures naves haberet*, &c. Sed ineptissima est hæc Frontini lectio. Quis enim unquam prodidit, Numidas Lacedæmoniis opem tulisse? Nihil certius est, quam referendum esse, *adversus Mindarum, Lacedæmoniorum ducem*.

CAP. VIII. *Virus in cubili in quo dormiebat, crematus est*.) Contra habent Plutarchus, & Cornelius Nepos, ut jam vidit Cl. Berneggerus. Verba Cornelii in mendo cubant. *Illi cum eum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt, circa domum, famenam, in qua quiescebat, eum succenderunt*, &c. Non attinet virorum doctorum super hunc locum conjecturas apponere. Lege,

circa domum Sanisenam. Sanisene appellatur tractus in confinio Phrygiæ, & Galatiæ.

AD LIB. VI.

CAP. v. *Prædarum sumptu, & exercitu Persarum restituit*) Libentissime fateor, me non capere, quid sit *prædarum sumptus.* Manuscripti inter se variant. Revoco lectionem veram: *Itaque, quæ incensa fuerant pridem, sumptu & exercitu Persarum restituit.* Vulgatam quoque lectionem reprobat Xenophon, qui nihil de præda. Error autem ortus est ex scripturæ compendio.

CAP. VIII. *Post paucos deinde dies Epaminondas decedit*) Imo non post paucos dies, sed statim ut è prœlio ad castra relatus est, animam efflavit. Quod ex omnium consensu constat.

Id unam à circumstantibus requisivit) Ita, ut Justinus, cæteri quoque omnes id narrant, Ælianus tamen longe aliter, lib. XII. cap. III cujus verba emendata apponam. Ἐπαμινώνδας ὅτε ἐτρώθη ἐν Μαντινείᾳ. καιρίαν εἰς τὴν σαλωτὴν κομισθεὶς ἔτι ἔμπνους Δαίφαντον ἐκάλει, ἵνα ἀποδείξῃ στρατηγόν· οἱ δὲ ἔφασαν τεθνᾶναι τὸν ἄνδρα· εἶτα Ἰολαΐδαν καλεῖν διὰ τὰ χέως ἠξίου. Ἐπεὶ δὲ καὶ αὐτὸς ἐλέχθη τεθνᾶναι συνεβούλευσε διαλύσασθαι πρὸς τοὺς πολεμίους, καὶ φιλιανθέσθαι, ὡς μηκέτι στρατηγοῦ καταλιμπανομένου ἐν Θήβαις. Vulgò, ὡς μηκέτι στρατηγοῦ καταλαμβανομένου ἐν Θήβαις. Male. Vide quoque Plutarchum in Apophtegmatis Epaminondæ, qui Ἰολαΐδαν, perperam, ut puto, vocat Ἰολλίδαν.

AD

AD LIB. VII.

CAP. I. *Populus Pelasgi, regio Bœotia dicebatur*) Peyraredus, vir doctus, putabat legendum *Pæonia*, non *Bœotia*. Optime. Confirmant ejus lectionem Polybii excerpta & Livius lib. x. cap. III.

Ex alio latere in Europa regnum Europus nomine tenuit) Europa est pars Thraciæ ad Hæmum montem. Sed illa nihil huc facit, cum de Macedonia sola loquantur. Puto, legendum, in *in Europa*. Europia est portio Macedoniæ, in qua Europus civitas; ubi Europum Macedonis filium regnum tenuisse, penes auctores fides est.

Pulso deinde Mida, nam is quoque portionem Macedoniæ tenuit) Brygorum Midam regem fuisse, testatur Herodotus. Βρύγοι autem, & Βρύγες, & Φρύγες, sunt iidem. Strabo lib. XII. ὁμοίως δὲ καὶ Βρύγοι-καὶ Βρύγες, καὶ Φρύγες, οἱ αὐτοί. Male vulgo, Βρέγοι, & Βρέγες. Vide quoque Eustathium ad Dionysium. Macedones enim τὸ φ mutant in β'. Non autem pulsum esse Macedonia à Carano, Conon apud Photium inquit, sed ὅπως αὐτῷ χρυσὸς ἐγίνετο τὰ εἰς τροφὴν παραθέμενα ἅπαντα, καὶ ὡς διὰ τούτων πείσας τὸ ὑπήκοον, ἀπ' Εὐρόπης διαβῆναι τὸν Ἑλλήσποντον, ὑπὲρ Μυσιανῆκησε, Φρύγας ἀντὶ Βρύγων βραχύ τι παρὰ λλαγείσης τῆς λέξεως μετονομασθέντας.

CAP. II. *Philippum reliquit, qui immatura morte raptus*) Quomodo immatura morte raptus, cum annos triginta & octo regnari?

CAP.

CAP. IV. *Ex Cygnea autem Archelaum*) Scribe, *ex Cygaea.*

CAP. VI. *Arruba, rege Molossorum*) Græcis promiscue appellatur Ἄρυβας, & Ἄρυμβας. Sæpe enim inseritur τὸ μ; ut Sybaris Symbaris, Thynias Thymnias, Senones Semnones, & sexcenta alia. Apud Frontinum male vocatur *Harridaei*, pro *Arubas* aliquoties lib. II. cap. V.

AD LIB. VIII.

CAP. I. *Philomelo quodam duce*) Apud Polyænum lib. V. male appellatur Φιλόμηδος, pro Φιλόμηλος.

AD LIB. IX.

CAP. I *Condita primo à Pausania*) Pausanias Byzantium condidit, sive coloniam fecit Spartanorum. Primo vero ab illo conditam esse, ut inquit Justinus, falsum est. Jam diu enim ante à Byzante exstructam, sutoribus & tonsoribus notum. Deinceps condita à Megarensibus Olymp. XXX. anno II. Inde à Milesiis deducta colonia. Tandem à Pausania. Atticorum quoque fuisse coloniam, probat quidam ex Ammiano, & Cornelio Nepote, cujus verba ita legebat; *Alcibiades ubi hoc audivit, domum reverti noluit, & se Perinthum contulit, ibique tria castella communivit, Bornos, Byzantium, Macronticos.* Cum vulgo legeretur, *Bornos, Byzam, Themeonticos.* Sed male. Legendum enim, *Bornos, Byzanthen, Neonticos.* Βιζάνθη oppidulum hoc loco Ptolemæo. Νέον τεῖχος Scylaci.

CAP. V. *Cujus sororem nuper expulsa Olympiade*) Jam ante repudiarat Olympiada,

superinducta Meda, Cithelæ Thraciæ regis filia. Postrema autem è septem Philippi conjugibus fuit hæc, Cleopatra, Attali soror. Vide Athenæum lib. XIII.

CAP. VI *Convivarum libidini, velut scortum vile subjecerat.*) Paulo nasutior viderit, hanc esse deformatam lectionem. In omnibus fere scriptis codicibus legebatur; *verum scortorum jure.* Unde ego veram lectionem expiscatus sum: *convivarum lubidini, ebrium scortorum jure subjecerat.* Scortorum jure, hoc est more. Florus lib. I. cap. XVII. de Fabio Maximo: *captis superioribus jugis, in subjectos suo jure detonuit.* Iterum lib. III. cap. XVII. *Peculabantur suo jure Rempublicam.* Hanc lectionem confirmat Diodorus. Ἀτταλος εἷς ὢν τῶν ἐξ αὐλῆς, καὶ πολὺ δυναμένων παρὰ τῷ βασιλεῖ, ἐκάλεσεν ἐπὶ δεῖπνον τὸν Παυσανίαν, καὶ πολὺν ἐμεφορήσας ἄκρατον, παρέδωκεν αὐτοῦ τὸ σῶμα τοῖς ὀρεοκόμοις, εἰς ὕβριν, καὶ παροινίαν ἐταιρικὴν.

CAP. VII. *Sub nomine Myrtalis*) Lege, *Sub nomine Myrtales, consecravit. Hoc enim nomen ante Olympiadi parvulæ fuit.* Nam Μύρταλη prius appellata est Olympias.

AD LIB. XI.

CAP. V. *Quæ non viros tantum, verum & deos genuerit*) Bacchum nimirum, & Herculem. Hinc explica versus illos Sophoclis, qui apud Dicæarchum exstant:

Θήβας λέγεις μοι, τὰς πύλας ἑπταστόμους,
Οὗ δὴ μόνον τίκτουσιν αἱ θνηταὶ θεούς.

Quos versus perperam corrigunt. Statim post, lege ex MS. Bibliothecæ Lugdunensis *actæque Thebis à patre ejus Philippo pueritiæ.*

CAP.

CAP. VII. *Gordien urbem petit, quæ posita est inter Phrygiam majorem & minorem.*) Falsum. Non enim inter Phrygiam majorem & minorem sita urbs Gordium, sed inter Phrygiam majorem & Cappadociam. Stephanus: Γορδίειον πόλις τῆς μεγάλης Φρυγίας, πρὸς τῇ Καππαδοκίᾳ, ἀπὸ Γορδίου τοῦ πατρὸς Μίδου. Alii tamen similiter in Phrygia minore ad Sangarium ponunt. Sed ineptè. Ineptiunt quoque illi, qui eandem ac Sardes faciunt. Celænas enim Alexander jam ceperat. Neque quisquam prodidit, eum regressum in Phrygiam Hellespontiacã.

Profectus ad consulendos augures vicinæ urbis) Omnino scribo, *ad augures Telmissi urbis*; non, *vicinæ*. Nihil enim minus quam vicina fuit hæc urbs Phrygiæ. Telmissenses autem fuisse σοφοὺς περὶ θεῖα, καὶ τὰ οἰωνοσκοπικὰ ἐξηγεῖσθαι, nec bardi & bambaliones ignorant. Confirmat hanc conjecturam Arrianus lib. II quem consule. Abit ille paullulum ab Justino in hac narratione. Sed non possum omittere, quid sit, quod maxime hic mirer. Cum enim supra dixerit, & nos etiam ex aliis ostenderimus, Midam cum Phrygibus ex Europa in Asiam trajecisse; quomodo pater ejus Gordius in Phrygia Asiatica regnare potuerit? Aut quomodo Phryges ante Midam in Asia? Non tamen hoc unus Justinus; Sed & Arrianis, & alii, produnt.

Ab Orpheo sacrorum solemnibus initiatus) Conon apud Photium, Narratione I. refert, quod Midas Ὀρφέως τοῦ Πιέρεως τὰ ὄργια ἀκροατὴς γενόμενος, πολλοῖς πόνοις Βρυγῶν βασιλεύσ,

CAP. IX. *Imperiique perpetua à diis immortalibus datæ possessionis admonere*) Scribe, *dati possessionis*. Ait imperium perpetuæ datum possessionis.

CAP. X. *Obvios cum insulis multos Orientis reges habuit*, Puto, respicere justinum ad memorabilem illam historiam, quam Josephus de Jaddo, summo judæorum sacerdote, narrat. Vide eum lib. XI. Antiq. cap. VIII.

Per proditionem capiuntur) Nemo dixerit per proditionem esse captam Tyrum.

CAP. XI *Inde Rhodum Alexander, Ægyptum, Ciliciamque*) Atqui Cilicia jam diu erat capta. Scribe itaque, *Syriamque*. Sic quoque nonnulli inter justini compilatores legerunt.

CAP. XIV. *Ut pons Cydui fluminis*) Non puto mutandum quidpiam; quamvis Arrianus, & Curtius, *Lycum* hic habeant. Cydnus. & Lycus, vicina sunt flumina, uttaque in Tigrim labuntur. Ut credam, eundem esse Cydnum ac Gyndem, facit. Tibullus, in Panegyrico ad Messallam:

Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Diaspes
Profluit: aut rapidus Syri dementia Cydnus.

Nihil hic mutandum. *Diaspes*, pro *Idaspes*. Idaspem vero Romani apellarunt etiam Choaspem. Virgilius IV. Georg.

—— *Aut Medus Idaspes,*

Quem locum male interpretatur junius Philargyrus, de Idaspe Indiæ. Curtius lib. V. *Benigne juvenem excepit rex, & eo duce ad Idaspem amnem pervenit, delicatam, ut fama est, vehentem aquam.* De Choaspe loqui, nemo non viderit. Adi quoque La-

ctan-

ctantium lib. I. & Ammianum lib. XVIII. Ex hujus alveo quidam veterum prodiderunt Cydnum sive Gyndem profluere. Unde error Solini emanasse videtur, dicentis, Cydnum Ciliciæ è Choaspe derivari. Ubi confundit Cydnum Ciliciæ cum hoc Persiæ.

Cap. XV. *In vico Parthorum Thara. Dara* omnino scribendum est, Etymol. magnum: Δάρας παρὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ χωρίῳ συλληφθῆναι | Δαρεῖον ὑπὸ Ἀλεξάνδρου· ὑπὸ δὲ Ἀναστασίου κτισθὲν, ἐκλήθη Ἀναστασιούπολις. *Darium* Plinio, & aliis. Sed errat Etymologus, quod hanc Anastasiopolin dictam putet, cum illa sit alia.

Pro se justam magis, quam gravem, sepulturæ veniam orare) Forte, *pro se justa magis, quam gravis, sepulturæ veniam orare. Gravis.* id est, sumptuosæ. Ita legerunt medii ævi scriptores,

AD LIB. XII.

CAP. I. *Centum nonaginta millia talentum Ecbatanis congesta*) Nam θησαυροφυλάκιον regum Mediæ, & Persiæ, ait fuisse Batanis Isidorus Chatacenus. Batana autem vocat Ecbatana, ut & Curtius lib IV, *Se quoq; cum transisset mare, non Ciliciam, aut Lydiam, (quippe tanti belli exiguam hanc esse mercedem) sed Persepolim, caput regni ejus, Bactra, deinde Batana, ultimique Orientis oram, imperio suo destinasse.* Sic lege. Nam MS, habebat *Batava.* Et sic forsan & alibi scripsit Curtius. Sane Pseudo-Callisthenes de rebus gestis Alexandri) quem utendum habeo ex Bibliotheca Lugdunensi) Βάτανα semper vocat. Sed de eo ad Ptolemæum.

CAP. III. *Ibi ei occurrit Thealestris*) Non videtur Justinus, ut alii, Amazonum gen-

tem in Hycania ponere; sed ad Mæotim, & Tanaim. Nam inquit, XXV dierum itinere confecto in Hyrcania occurrisse Alexandro. Rectius sane. Neque enim ullus Geographorum Amazones alibi collocare, quam ad Mæotim unquam dubitavit. Eaque etiam de causa Mæotidas, & Tanaitidas appellari, nemo nescit. Seneca Hyppolyto:

Qualis relictis frigidi Pontiplagis
Egit catervas, Atticum pulsans solum,
Tanaitis, aut Mæotis, & nodo comas
Coegit, emisitque, lunata latus
Protecta pelta, talis in sylvas ferar.

Ita leg. MS. Vulgo pessime, *Aut Tanais, aut Mæotis*. Curtius tamen lib VI, Hyrcaniæ finitimam facit Amazonum gentem. Sed male. *Erat (ut supra dictum est) Hyrcaniæ finitima gens Amazonum, quondam circa Thermodonta amnem Themiscyræ incolentium campos. Reginam habebant Thalestrim, omnibus inter Caucasum montem & Phasim amnem imperitantem.* Ita lege. Vide quoque Diodorum, ad annum IV. Olymp. CXII. Causa erroris hæc est: quod Jaxartem sive Orxantem, Taniam esse crederent milites Alexandri. Adi Arrianum lib. VII.

CAP. VII. *Cum ad Nysam urbem venisset oppidanis non repugnantibus*) Sic quoque Arrianus lib. V. Cui tamen adversatur Curtius. Statim post puto legendum, *Cloophis. Repentino impetu mentis, in sacros dei ululatus instinctus*) In MS. legebatur, *instinctu*, non *impetu*. Quod facit subdubitare, latuisse hic aliquod verbum minus ab librariis intellectum, vel quod insolitum quid ipsorum

rum auribus sonaret. Forsitan scriptum fuit, *repentino incitu mentis*, &c. *Incitu* pro incitatione dixerit Justinus. Sic Plinius lib. II cap XLV. *Qui sive assiduo mundi incitu, & contrario siderum occursu nascuntur, sive hic est ille generabilis rerum naturæ spiritus*, &c.

CAP. VIII. *Cum præceps ad terram decidisset, concursis satellitum servatur*) Curtius aliter lib. VIII. Inquit enim, equum Alexandri multis vulneribus confossum procubuisse, posito magis rege, quam excusso. Historiam fusius narrat Agellius ex Charete (ita legendum) lib. V. cap. II. Adi quoque Arrianum, Plutarchum, & alios, Persæ historiam hanc de Poro, & Alexandro, longe aliter narrant. Vide Petrum Teixeram lib. I. cap. XXII.

Inde Adrestas. MSS. omnes *Arestas*. Et sic quoque Lucanus III. *Tunc furor extremos movit Romanus Arestas Præstos* vocat Curtius male. Sed variis modis Indicæ illæ gentes ab auctoribus appellantur. Sic quos Aristobulus Γλαυκανίκας vocat, Ptolemæus Γλαύσας. & trecenta ejusscemodi, in quibus verum nomen nullus εἰ μὴ ὁ θεὸς εἰδείη.

Gangaridas cæsis eorũ exercitibus expugnat) De Gangaridis, sive Gandaridis, negat Diodorus, Olymp. CXIV, anno II: Μέγιστον τὸ τοῦς Γανδαριδῶν ἔθνος, ἐφ' οὓς διὰ τὸ πλῆθος τοῦς παρ' αὐτοῖς ἐλεφάντων, οὐκ ἐπεστράτευσεν ὁ Ἀλέξανδος. Vide quoqve Plutarchum, qui Γανδαρίτας, & alibi Γανδρίδας perperam vocat. Præsidias vero Πραισίους & Πραισιαίους.

Cum gratulatione in eadem revérterunt) Puto verius, *Indidem reverterunt*.

CAP. IX. *Hinc in Ambros*) Diodorus *Ambritas*.

CAP. X. *Ad urbem Ambigeri regis*) Forte reſcribendum, *Ambiſari*. De quo vide Arrianum lib. V.

CAP. XII. *Gorgias, Polydamas, Amadas*) Omnino *Amyntas* legendum, non *Amadas*.

CAP XIII. *In Burſiam urbem trans Euſratem*) Non puto locum hunc eſſe ſanum. MSS. aliqui præferebant, *Burbeſiam*. Arbitror, ſcribendum eſſe *Borſippam*. Locus ille non videtur uſque adeo celebris fuiſſe ævo Alexandri. Perſæ hoc oppidum vocant *Kermes*. Sed errant, cum dicunt, in eo Alexandrum mortuum eſſe.

AD LIB. XIII.

CAP. IV. *Parapammenos fines*) Omnino legendum, *Paropamiſios, & fines Caucaſi montis, Oxyarches accepit*. Ex Dexippo, & Arriano. Statim poſt in MSS. legitur *Cedroſique*. Recte: nam & Græci non Κεδρώσιος tantum, ſed & Κεδρώσιος vocant. Stephanus: Κέδρωσοι ἔθνος Περσικόν, &c.

CAP. VII. *Autuchum, Agrium, miſſos à patre Speo*) E Diodoro Siculo lib. IV, & Apollonii Schol. patebit, legendum eſſe, *Hypſeo*, non *Speo*. Apum quoque, & mellis uſum inveniſſe, teſtatur idem Scholiaſtes. Vide ſis etiam Heraclidem Ponticum in Ceorum Republica.

CAP. VIII. *Prodere partium exercitum voluit*) Nob. Peyrarednus legebat, *partem exercitus*, idque à ſequentibus confirmari ajebat. Judicet lector. At

AD LIB. XIV.

CAP. I. *Tunc exercitu in Ætoliam promoto*) Inepte. In Cappadocia enim hæc gesta esse, patet cum ex Diodori lib. XIIX, tum etiam ex aliis. Hanc difficultatem viderunt alii, qui Æoliam conati sunt reponere. Frustra. Scribe, *in Ætuliam*. Ætuliam vocat, quam alii Ætulanen. Ea est Armeniæ minoris portio, in Cappadocia. Ptolemæus: Ἀρμῳρίας μικρᾶς, ἡ μὲν ἀρκτικωτάτη καλεῖται, Ὀρβαλισσηνή· ἡ δὲ ὑπ' αὐτὴν Αἰβλανή. Εἶτα Αἰρετική, καὶ ὑπ' αὐτὴν Ὀρσηνή, καὶ μεσημβρινωτάτη μὲν τὴν Ὀρολισσηνή, Ὀρβιτηνή. Sic lege.

CAP. VI. *Ut Alexandrum posses etiam in moriente matre cognoscere*) In MSS. legebatur, *In moriente patre, & matre*. Unde nescio, an vere conjecerim; *Ut Alexandrū posses etiam in moriente, ut pariente, matre cognoscere*. Sensu optimo, & verissimo.

AD LIB. XV.

CAP. I. *A Ptolemæo apud Galaman vincitur*) Bongarsius legit, *Gazam*, ex Diodoro, & aliis. Puto tamen justinum scripsisse, *Gamalan*. Proxima enim est urbs hæc Gazæ. Quippe in Idumæa est. Noli hanc confundere, cum Gamala Phœniciæ. Etiam Gabala sive Gebala appellatur, ut testatur Stephanus. Unde portio Idumææ dicta est Gabalene. Sexcentis autem nominibus τὸ μ in β, mutatum est, & contra; ut Amantes Abantes, μύρμηξ βύρμηξ, τέρμιθος τέρεβινθος. Sic quoque è Græc. βενός Latini fecere *mons*.

CAP. IV. *Auctor libertatis Sandrocottus*) Nihil

Nihil mutandum. Sæpe enim prior illa litera demitur. Ita dicitur Ἀλμυδησσὸς & Σαλμυδησσὸς, Ἐλμάντικα Σελμάντικα, Ἐξιτανία Σεξιτανία, Ἰνδικὴ Σινδικὴ, Ἀρδιαῖοι Σαρδιαῖοι, Ἀκχηνοὶ Σακχηνοὶ, & alia plura.

AD LIB. XVI.

CAP. v. *Chion & Leonides indignantes*) Vide Memnonis Eclogas de Historia Pontica: unde apparebit, legendum hic esse *Leon*, non *Leonides*.

Heraclienses sub regno Tyrannorum fuere) MS. *Heraclienses regnum Tyrannorum fuere*. Itaque loquuntur optimi quique scriptores, & ipse quoq; Justinus, Sic infra lib. XVII. cap. III. *Quæ & psa genus Æacidarum erat*. Ita enim ex MSS. legendum.

AD LIB. XVII.

CAP. I. *Lysimachus quatuor & LXX annos natus erat*) Octoginta annorum facit Lysimachum Hieronymus cum occumberet in prœlio adversus Seleucum. Vide Lucianum de longævis.

CAP. III. *Pyrrhum filium vivum, admodum parvulum*) MS. *unum*. Forte *unicum*. Nullus namque filios habuit Æacides, præter Pyrthum.

AD LIB. XVIII.

CAP. III. *Nam piscem Phœnices Sidon appellant*) Philo Byblienſis: γρόνοις δὲ ὕστερον πολλοῖς ἀπὸ τῆς Ὑψουρανίου γενεᾶς γενέσθαι Ἀγρέου, καὶ Ἀλιέα, τοὺς ἁλιείας καὶ ἀγρείας εὑρετὰς, ἐξ ὧν ἁλυθῆναι ἀγρευτὰς καὶ ἁλιεῖς. Nam, ציד *piscator*. Ita credebant Phœnices.

CAP. IV. *Interim rex Tyro decedit filio*

Py-

Pygmalione, &c.) In MS. legebatur, *rex multo Tyro*. Et Joannes Gerundensis Episcopus in Paralip. Hist. Hispanicæ citat, *interim rex multo Tyro decedit*. Vix itaque crediderim, sanum esse hunc locum. Puto scribendum, *interim rex Mutgo Tyro decedit*. Mutgo appellatur hic pater Pygmalionis, quem alii *Mutgonum*, & *Matgenum* vocant. Μέττην is est Theophilo lib. III. ad Autolycum. *Methres* vero est Servio. Alii & *Belum* vocant. non rectè.

CAP. VI. *Propter quod ducem suum Malcum*) In aliis codicibus erat *Macheum*. Quod non potest esse nomen Punicum. Forsan verum est, *Malchus* vel *Malcus* Id etiam nominis est regi Nabathæorum apud Hirtium de bello Alexandrino. *Malchum* vero Regem significare etiam pueri norunt.

Punitis auctoribus miserorum civium) Doctissimus Peyraredus, ita legit, & distinguit: *contentumque victoria sua, punitis auctoribus, misertum civium*, &c. Quam conjecturam verissimam esse puto.

AD LIB XIX.

CAP. I. *Quo Pœni humanas hostias immolare*) Porphyrius de abstinentia lib. II dicit Iphicratem finem imposuisse τῇ ἀνθρωποθοσίῃ. Καὶ οἱ ἐν Λιβύῃ Καρχηδόνιοι ἐποίουν τὴν θοπίαν, ἣν Ἰφικράτης ἔπαυσεν. Pindari Schol. in Pythiis Ode II. hoc Geloni tribuit. Τὸ γοῦν ἀνθρωποθυτεῖν φησιν ὁ Θεύφραστος ἐν τῷ περὶ Τυρσηνῶν παύσασθαι αὐτοὺς Γέλωνος προστάξαντος. ὅτε δὲ ἐκέλευσεν αὐτοὺς χρήματα εἰσφέρειν. Τί-

μαιος Διαγραφῆς τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἀναγέγφει ta scribendus ille locus.

CAP. II. *Hannibal, Halsdrubal, & Sappho*) Meminerunt hujus Annibalis Xenophon lib. I. Hist. Græcarum, & Diodorus lib. XIII. Mortuus est hic in Sicilia anno I. Olymp XCIII. Inter hujus obitum, & altetius Annibalis nativitatem, intersunt anni plus minus CLX. Non potest itaque patruus fuisse magni illius Annibalis. Sapphonem alii auctores non norunt: & forte corruptum est nomen. In MS. erat *Sapho*. An *Psapho*? Certe hoc est nomen Punicum. Vide Apostolii Parœmias, & Arsenii apophthegmata.

AD LIB XX.

CAP. I. *Tarquinii à Thessalis & Spinambris*) MSS. habent, *Inspinambris*. Lege, *Spina in Umbris*. Plurimi enim veterum confundunt Umbrorum & Tusciæ terminos. Sed de eo nos alias.

CAP. IV. *Hic Sami Demarato locuplete negotiatore natus*) Certe non magis Pythagoras Demarati filius, quam Tarquinius Mnesarchi. Forte scripsit Justinus *Marmaco*, pro *Demarato*. Marmacum namque aliqui dixerunt appellatum fuisse Pythagoræ patrem. Diog. Laërtius: Πυθαγόραν ἔνιοι μὲν φασιν ἠὸν εἶναι Μαρμάκου τοῦ Ἱππάσου, τοῦ Εὐθύφρονος, τοῦ Κλεωνύμου, φυγάδος ἐκ Φλιοῦντος.

CAP. V. *Qui ante menses Romam incenderant*) Puto scripsisse, *ante mensem*.

Auxiliis Gallorum auctus, bellum velut ex integro restaurat) Hæc ita correxere, cum

in

in MSS legeretur; *bellum velut ex integro reliquit restauratus autem.* Quod non frustra est. Ita enim emendandum erat: *auxiliis Gallorum auctus, belli velut ex integro, reliquias restauraat. Iis autem,* &c.

AD LIB. XXI.

CAP. I. *Tyrannidem in suos priusquam in exteros auspicatus*) Lege, ex MS. *in suos, quam in exteros.* Quomodo loquuntur optimi scriptores.

AD LIB XXII.

CAP. I. *Bello adversus Ætnæos*) Nihil mutandum. Ætna est oppidum idem ac mons cui impositum, nomen sortitum; ut patet ex Strabone, Plinio, Ptolemæo, & aliis. Ea ante *Inessa* appellabatur.

CAP. II. *Expositis ignibus cereis tactisque, in obsequia Pœnorum jurat*) Peyraredi conjectura est: *expositis ignibus sacris, tactisque,* &c. Livius ita de Hannibale, lib. XX. *Fama etiam est, Annibalem annorum ferme novem pueriliter blandientem patri Amilcari, ut duceretur in Hispaniam, cum perfecto Africo bello, exercitum eo trajecturus, sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris jurejurando adactum se, cum primum posset, hostem fore populi Romani.*

CAP. VII. *Rex Cyrenarum Asellas*) Non dubitandum de lectione Bongarsii, *Ophellas.* Nam, præter Diodorum, ita quoque habent, Theophrastus de plantis lib. IV. cap. IV. & Polyænus, atque alii.

CAP. VIII. *Archagato filio*) A Græcis varie appellatur Ἀρχάγαθος, Ἀγάθαρχος.

AD LIB. XXIV.

CAP. V. *Igitur Galli duce Belgio*) Pausaniæ hic est Βόλγιος. Sed male, ut puto.

CAP. VI. *Et quindecim millibus equitum*) Μυρίους ἱππέας tantum recenset Diodorus in epitome lib. XXII.

CAP. VIII. *Cum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finivit*) Atqui Pausanias inquit, illum vulneratum, veneno vitam finivisse, pudore scilicet acceptæ in Græcia cladis. Sed conciliat hos Diodorus; Βρέννος δὲ ἄκρατων πολὺν ἐμφορησάμενος. ἑαυτὸν ἀπέσφαξε.

AD LIB. XXVI.

CAP. II. *Bellum Atheniensibus infert*) In MSS. legebatur, *belli bellum Athenensibus infert*. Unde suspicor, Justinum scripsisse; *recenti adhuc ex priori victoria militum ardore bellandi, bellum Atheniensibus infert*.

CAP. III. *Rex Cyrenarum Magas*) *Magam* quoque vocant Polyænus, & Athenæus.

AD LIB. XXVII.

CAP. III. *Ad socerum suum Artamenem*) MS. habebat, *Arimenem*. puto, verum esse, *Ariamenem*. Nam Diodori epitome habet Ἀριάμνης. Hujus Antiochi sororem Stratonicen, uxorem duxerat Ariarathes, filius Ariamenis. Socerum itaque ejus laxius vocat Justinus.

Sed Ptolemæus non amici debito, quam hostis factus) Doctissimus Gronovius, in Observationibus suis, ita hunc locum emendabat, *non tam amicus dedito quam hostis fratri*. Quod quidam codices præferrent:

non

nostram amicus ei deditus. Verum, nisi me animus fallit, omnino, pro *factus* scribendum *functus*; hoc modo: *Ptolemæus non amici debito, quam hostis functus*, &c. *Subintelligitur vero τὸ, tam.* Certo certior hæc conjectura.

AD LIB. XXVIII.

CAP. III. *Ipsi regem quærant, cui imperent*) MSS. habebant. *quia*, pro *ipsi*. Noli dubitare, quin Justinus scripserit, *quia*.

AD LIB. XXIX.

CAp. II. *Cujus quanto promptius nobilitasque sit regnum*) In MS. erat *proprius*, Malim *propius*, ut quoque est in Vetr. edit.

AD LIB. XXX.

CAP. IV. *Eodem anno inter insulas Theram & Therasiam*) Imo jam multis annis, antequam hæc gesta sunt, fuit motus ille terræ. Contigit enim Olympiadis CXXXIX. anno I: ut constat ex Polybio, & Eusebii Chronico. Plinius tamen lib. II. cap. LXXXVII. inquit, Automatam sive Hieram de qua omnino capienda verba Justini) enatam esse inter Theram, & Therasiam insulas, Olympiadis CLVI. anno II. Quod quomodo fieri potuerit, non video.

AD LIB. XXXI.

CAP. III. *graviter fractum, velut exanguem in regno reliquit*) In MSS. est, *& gravibus fractum*, &c. Et ita lege. Hoc qvod non intelligerent librarii, rescripserant, *gravibus vulneribus* Inepte.

AD LIB. XXXII.

CAP. II. *Qua re prodita concursu insularium*) Narrat quoque hanc rem Polybius in ex-

exceptis Porphyrogennetæ, & Diodorus Siculus. Unde patebit, legendum esse, *Jovis Elymæi*. *Insulares* autem vocat templi custodes, & accolas. Templa enim, & fana, locaque secreta, *insulas* appellari, nemo nescit. Sic Delphi, insula à quibusdã dicuntur.

CAP. III. *Non negligentior tantum Perseus in patrem*) In MS. legitur, *neglecti mentior*. Vetus lectio procul dubio fuit *neglectior*.

Quod Argonautæ idem propter magnitudinem navis) *Navis*, Bongarsius interpretatur, *navigationis*. Non recte. Simpliciter ita capiendum, quod flumen Sabus triremem illam Argonautarum non caperet, propter magnitudinem. Adeo ut illis necesse fuerit illam fluvio elatam humeris suis in littus Adriaticum deportare. Nota est historia.

Istri qui ex vocabulo amnis, quo à mari concesserant) Non possum persuaderi, hanc esse veram lectionem: neque illam, quam ex Isidoro Cluverius reposuit. Solemne enim Isidoro, ut quicquid non intelligeret, aut deleret, aut prave corrigeret. In MS. erat: *qua è mari concesserant*, Unde conjicio, scriptum fuisse; *quo à Narico concesserant*. Naricum, sive Naracum est Ostium Istri, quod tradiderunt Apsyrtum ingressum esse cum Argonautas persequeretur Νάρηκος στόμα est Apollonio Rhodio lib. IV.

--- -- ἀμφὶ δὲ δοιαὶ
Σχέζον τῇ προσχοαί τ' μὲν καλέουσι Νάρηκος,
Τὴν δ' ὑπὸ τῇ νεάτῃ Καλὸν στόμα, &c.

Meminere ejus ostii omnes Geographi Alii tamen per Pulchrum ostium in Istrum vectos esse Colchos, ajunt.

Qui

Qui cum Orole rege adversus Bastarnas male pugnassent) Mirum quam turpiter depravatum sit nomen hoc Dacici regis. In minori epitome Trogi dicitur, *Robobostes*: Et hoc male. Legendum, *cum Bærebista rege*, &c. Vide Strabonem lib. VII. cui est Βοιρεβίστας.

AD LIB. XXXV.

CAP. I. *Fratrem ejus Orofernem, per injuriam*) Ὀροφέρνης quoque vocatur in excerptis Porphyrogennetæ è Diodoro. Quamvis alii aliter vocent.

Subornant propalam quendam) Celeberrimus vir Fr. Gronovius optime conjecit scribendum hic esse, *subornant Balam quendam*. Josepho enim Ἀλέξανδρος ὁ Βάλας dicitur lib. XIII. cap. VIII. uti habent libri meliores.

AD LIB. XXXVI.

CCAP. II. *Nomen urbi à Damasco rege inditum*) Nemo potest ignorare, quantopere semper in usu fuerit apud librarios, nomina eorum, à quibus urbes, & regiones, denominatæ, & conditæ traderentur, corrumpere, & inflectere ad ipsiusmet loci appellationem. Idem quoque hic factum esse, non injuria quis dubitare possit. Is enim, qui hic nomen urbi dedisse, quique Athares uxoris cultum instituisse dicitur, ab aliis, non *Damascus*, sed *Damas*, vocatur Etymologicum magnum: Δαμασκὸς πόλις Συρίας, περὶ τὸν Ἀντιλίβανον εἴρηται ὅτι Δαμᾶς στρατεύων μετὰ Διονύσου, ἐκεῖσε σκηνὴν πηξάμενος, ἱδρύσατο τὸ ἐκεῖ Συρίας Θεοῦ ξόανον, Ἡ οὖν Δαμασκηνὴ, Δάμασκος.

Scio

Scio quidem, alios mentionem facere Damasci cujusdam, qui à Baccho excoriatus esse traditur, unde Δερμασκὸς, & postea κατὰ παραφθορὰν, *Damascus* dicta sit. Sed cum quicquam cum Athare, aut Atargati commune habuisse, nemo dixit. De appellatione autem hujus urbis, tantum à sese abeunt veteres, quantum à veritate. Vide Damascum apud Photium Philonem Judæum, Stephanum. Verum hæc alibi.

Sepulchrum Athares uxoris ejus pro templo coluere) Vix equidem possum amplecti hanc lectionem; præsertim cum MSS. præferant *uxoris ejus extemplo*. Puto itaque scribendum; *Syri sepulchrum Athares uxoris, ejus exemplo, coluere*. Ait Syros æstimatione Damasci, Athares conjugis sepulchrum (quam ipse dum viveret impensissime amarat, mortuam plusquam debita pietate prosecutus erat) coluisse, regis sui, quamdiu superstes esset uxori, exemplum secutos.

AD LIB XXXIX.

CAP. I. *Alter occisus erat. prospere gessisset*) Omnino scribendum, *cessissent*.

CAP. V. *Quorum rex Erotimus*) Non dubito quin hic sit *Aretas*, ut ab aliis vocatur. Meminit ejus sæpe Josephus: erat autem hic filus Obodæ, ut testatur Stephanus, in Αὔαρα.

AD LIB. XLI.

CAP II. *Vestis olim sui moris; posteaquam accessere opes, ut Medis pellucida*. Julianus ὁ παραβάτης, in oratione de Constantii gestis; Διασώζουσι καὶ ἀπομιμοῦνται τὰ Περσικὰ, οὐκ ἀξιοῦντες ἐμοὶ δοκεῖ Παρθυαῖοι νομίζε-

ζεσθαι. Πέρσαι δὲ εἴθ' πρόσποιούμενοι, ταῦτά τοι καὶ στολῇ Μηδικῇ χαίρουσι. Statim post apud Justinum sequitur, *Armorum Scythicus, ac patrius mos.* Quod forsan Trogi ævo verum fuit, sed Julia i non item. Ait enim ille, quod Parthi, ἐς μάχας ἔρχονται, ὅμοιοι Μήδοις, ὅπλοις τε ἀγαλλόμενοι τοιούτοις, καὶ ἐσθήμασι ἐπιχρύσοις καὶ ἀλουργέσι, (*Majorem partem servorum habent*) MSS. præferunt, *servitiorum.* Quod probo. Ita enim semper solet Justinus.

CAP. III. *Sepultura vulgo aut aviam aut canum laniatus est.* Perperam puto hunc morem Parthis attribui, cum is Hyrcanorum proprius sit. Scio quidem idem fere Herodotum asserere de Persis: οὐ πρότερον θάπτεται ἀνδρὸς Πέρσεω ὁ νέκυς, πρὶν ἂν ὑπ' ὄρνιθος, ἢ κυνὸς ἑλκυσθῇ. De canibus nescio, an verum sit. De avibus constat. Quamvis idem habeant & alii. Moris enim semper fuit Persis, sive Parthis, ut immatura morte defunctis, os oculosqve lacte oblinerent: inde equo impositos, instigatoqve eo, corvorum prædæ exponerent. Quod si ab iis, quibus ejus rei negotium incumberet, animadversum fuisset, dextrum ejus oculum prius à corvis maceratum, felicem judicabant; sin sinistrum, contra. Cum senibus aliter agebatur. Eos enim ad montana deferebant, fameque enecabant: & omnes, qui hoc fato defungerentur, felices existimabantur. Strabo, qui Caspiis illud tribuit, videtur hæc duo mortis genera confudisse. Ait enim lib. XI. Κάσπιοι δὲ τοὺς ὑπὲρ ἑβδομήκοντα ἔτη λιμοκτονήσαντες, εἰς

τὴν

τὴν ἐρημίαν ἐκτιθέασιν· ἄποθεν δὲ σκοπιδέοντες, ἐὰν μὲν ὑπ' ὀρνίθων καταπωμένους ἀπὸ τῆς κλίνης ἴδωσιν, εὐδαιμονίζουσιν· ἐὰν δὲ ὑπὸ θηρίων ἢ καυῶν, ἧττον ἐὰν δ' ἀπὸ μηδενὸς, κακοδαιμονίζουσι. Vide sis Petrum Teicheram in compendio Mircondi.

CAP. IV. *Arsaces, vir, sicut incerta originis, ita virtutis expertæ*) Doctissimus Schicardus in Tarich regum Persiæ, putabat originem trahere Arsacem à Dario Codomanno: quod tamen non videtur. Nam in Chronico Persico, quod penes Cl. Elichmannum est, dicitur esse ex semine Chaichosron, qui est Cyrus. Pater vero ejus vocatur Darius quidam. Quæ potuit erroris causa fuisse.

CAP. V. *Urbem nomine Daram in monte Apavarticeno condit*) Supra quoque meminit Daræ. ut nos ostendimus. Hoc vero loco pro *Dara*, doctissimus Schicardus ex sua Tarich Persica, putabat rescribendum *Asca*. quod reperisset Arsacem urbem condidisse, quam de suo nomine appellarit. Sed hæc alia est. Dara enim ad Caspias pylas, hæc vero in Hyrcania. Videtur hujus meminisse Isidorus Characenus: Ἐντεῦθεν Ἀσαυὴν ἡ σχοῖνοιξ, ἐν ᾗ κῶμαι ιβ' ἐν αἷς σταθμοὶ πόλις δὲ Ἀσαὰκ, ἐν ᾗ Ἀρσάκης πρῶτος βασιλεὺς στάπεδείχθη καὶ φυλάττεται ἐν ταῦθα πῦρ ἀθάνατον. Ita enim legendus est ille locus. Alii tamen Arsaciam vocant urbem illam, & eandem ac Ragas, Europum, Duram faciunt. Sed plures suo nomine insignitas urbes constat Arsacem condidisse. Verum hæc confusissima. Alibi de iis erit fusior dicendi locus.

Hujus

Hujus filius & successor regni, Arsaces & ipse nomine) Alii hujus Arsacis non meminerunt. Persæ tamen norunt. Quemnam vero *Pricipatium*, aut *Pampatium*, Justinus vocet, ignoro. An est *Pharnapatius*? In Parthicorum sane regum catalogo, quem habeo à Clariss. Joanne Elichmanno, nihil simile apparet. Lubet hic eorum nomina apponere, quoniam non parum lucis Græcorum Historia inde potest mutuare. Mancus namque multis in locis fuit Catalogus ille, quem edidit Schicardus, quod vel hinc apparebit. *Askan, filius Darii est primus Asfanensium rex, & totam familiam ab eo denominant. Tempus regni ejus x. anni. Ascan, filius Ascan, regnavit annis xx. Behran, fil. Siabur, xi annis. Belas f. Behram xv. annis. Hormoz f. Belas xix annis. Nuscha f. Belas xvii annis. Feruz filius Hormoz xii. annis. Chosrû f. Belas xiii, annis. Ardavan f. Belas xxiii annis, Ardavan f. Asfan xv annis. Belas f. Asfan xii annis. Gjudar f. Assan xxx annis. Barschi f. Gjudar xv annis. Gjudar f. Mehras ii annis. Beri filius Gjudar xv annis. Guidar filius Beri ii annis. Beri f. Gjudar xx annis. Ardavan xxxi annis. Et hic ultimus Asfaniensium est, quem Ardxir Babek è medio sustulit.* Tempus autem imperii Parthorum, sive Asfaniensium circiter CCL. annorum faciunt: juxta alios vero CCCCXXX annorum.

Phrahates more gentium hæ res regni, Mardos validam gentem bello domuit) Mardos in Characem urbem transtulisse, autor est Isidorus Characenus; Εἰς ἢ τὴν Χάρακα

πρᾶ-

πρῶτος βασιλεὺς Φραάτης τοὺς Μάρδους ᾤκισε Ita lege.

CAP. VI. *Sugdianorum & Drangaritanorum*) Scribe, *Drangianorum*.

AD LIB. XLII.

CAP. *I. Hymerum quendam*) Athenæo lib. x. est Ἵμερος. Eum vide.

CAP. II. *Undecies centum millia patet*) Rideas magnitudinem, quem tribuat Armeniæ. Sed hæc alibi.

CAP. IV. *Hujus filius Pacorus missus*) Hoc ipsum quoqve testatur Cicero ad Atticum. Sed perperam apud eum hoc Orodi tribuitur, non filio ejus Pacoro: Verba ejus lib. v. epist. XXI. *Maximum bellum impendit. Nam & Orodes, regis Parthorum filius, in provincia nostra est, &c.* Sed scribendum erat. *Nam & Orodis regis Parthorum filius*, &c. Nihil certius.

AD LIB. XLIII.

CAP. *II, Addita injuriæ specie honoris*) Lege, *addita injuria*, vel, *additæ injuriæ specie honoris*.

CAP. III. *Temporibus Tarquini regis*) Jam ante illa tempora Syri, & Tarquinii, deductam esse à Phocæensibus Massiliam, testatur Aristoteles, apud Harpocrationem in voce Μασσαλία. Hoc ipsum quoqve testatur Scymnus Chius:

---- Μασσαλία δ' ἔστ' ἐχομένη
Πόλις μεγίστη Φωκάων ἀποικία
Ἐν τῇ Λιγυστικῇ ἢ ταύτην ἔκτισαν
Πρὸ τῆς μάχης τῆς ἐν Σαλαμῖνι γενομένης
Ἔτεσιν πρότερον ὡς φασὶν ἑκατὸν εἴκοσι

Sic lege. Tempus igitur, quo condita est Massilia, incidit in annum primum Olym-

piadis XLV. Errat autem Agathias, qui ait, regnante Dario Hystaspe Massiliam conditam.

Nam Phocenses exiguitate, ac macie terræ coacti) Atqui Phocæensium tractus non sterilis, sed quam maxime fertilis, omniumq; rerum abundans. Sed Phocensium reggio (quos hic confundit cum Phocæensibus) arida & sterilis erat, maximaque ex parte montibus obsita. Unde Dorienses, qui eandem cum Phocensibus regionem incolebant, Λιμωδωριεῖς audiebant, διὰ τὸ λιμώττειν. Contra Phocæenses Asiatici, quibus è terræ fœcunditate, morum quoque luxuria accessit. Hinc quoque Massilienses, eorum ἀπόγονοι, θηλυγενεῖς Ciceroni dicuntur ad Atticum lib. x. epist. XII. *Massiliensium factum cum ipsum per se luculentum est, tum mihi argumento est, recte esse in Hispaniis. Minus enim auderent, si aliter esset: nam & vieti, & diligentes sunt.* Emendarunt alii, & δειλοὶ *gente sunt.* Noli dubitare, quin Cicero scripserit, *nam & vieti, & θηλυγενεῖς sunt.*

Duces classis Simos & Protis fuere) Athenæus ex Aristotelis libro, περὶ τῆς Μασσαλιωτῶν πολιτείας, affert hanc historiam, lib. XIII. Sed variat nonnihil in nominibus. Quem enim Justinus hic Protin. ille Euxenum, Nannum Nanum, Gyptin Pettam, sive mutato nomine, Aristoxenam vocat. Filium vero Euxeni, & Aristoxenæ, facit Protin; unde ejus posteri Protiadæ dicti sunt. Sed Plutarchns ipsum conditorem Πρῶτιν vocat, in Solone, Ἔνιοι δὲ καὶ πόλεων οἰκισταὶ γεγόνασι μεγάλων, ὡς καὶ Μασσαλίας Πρῶτις, ὑπὸ Κελτῶν τοῦς περὶ τὸν Ῥοδανὸν ἀγα-

πη

πηδεῖς. Ita legendum. Vulgo enim male, Μασσαλίας τοῦτον, tanquam Massalias esset conditoris nomen.

AD LIB. XLIV.

CAP. IV. *Incoluere Curetes*) Nulli in saltibus Tartessiorum Curetes. Sed Cynetes: & ita legendum esse hoc loco, ostendimus in Ptolemæo.

AD PROLOGOS LIBRORUM TROGI.

PROLOGUS XIV. *Sic Phrygia majore Aridæum, & Clitum*) Atqui Phrygiam majorem obtinebat ipse Antigonus. Et præterea quid Clito cum Phrygia? qui præsideri classi jussus erat. Quæ sequuntur, non sunt veriora. M.S. Lugdunensis pro *majore*, legebat minore. Sic itaque legendum; *quem ut Cappadocia expulit Antigonus, sic Phrygia minore Aridæum. Ut Clitus victus in Hellespento navali bello.* De stratagemate autem, quo usus est Antigonus in devincendo Clito, vide Diodorum.

PROL. XXVII. *Insidiantem sibi effugit Artamenem*) Lege *Ariamenem*.

PROL. XXVIII. *Quo mortuus &c. filii ejus*) Spurcissima lectio. MS. habet; *quo mortuntenem filii ejus.* Puto scribendum; *quo mortuo, tutionem filii ejus Philippi, susceptit Antigonus, qui Thessaliam, Mœsiam, Daciam, subjecit,*

IBID. *Cepit Lacedæmona*) M.S. *Lacedæmoniam.* Et sic solet Justinus. Ita Babylonia, Chalcedonia, Sidonia.

PROL. XXX. *Regem vicit, rapi ei pœamare*) Puto scribendum; *Antiochum Regem victum turpique postea amore Agathoclea corruptus decessit.*

PROL. XXXIV. *Ariarathe rege Cappadocum*) Adde ex MS. *Repetita inde res rerum Cappadocum.* Pro *rerum*, *regum* scribendum.

PROL. XXXVI. *Attalus Cenotraeas subegit*) Lege, *Thynoi Thracas.*

NOTARUM FINIS.

INDEX RERUM

Quæ in historia Justini fere continentur.

Abdalonimus, ex hortulano, Sidoniæ Rex, 93
Abderitæ, fugati à Thracis & muribus. 204
Abellahi, Chalcidensium coloni. 245
Aborigines. 426
Abraham, Damasci Rex 358
Abydus, urbs Asiæ. 46. 47
Acarnanes. Alexandrum Pyrrhi, in regnum restituunt. 301. Romanos implorant contra Ætolos. 308. cur soli Græcis non miserunt auxilia contra Trojanos. 200
Acerbas, Elissæ maritus, occiditur. 150
Acesines, amn. Indiæ. 167
Achæi, à Philippo ad Romanos desciscunt. 319. cũ Nabide belligerantur 319 cum Messeniis 339 cum Romanis. 350
Achæorum inter se conspiratio, fides, potentia, 349
Acheron, amnis Epiri. 156
Italiæ. 156
Acilius, Cos. Rom. Antiochum vincit. 314
Adaspii subiguntur ab Alexandro. 161
Adorari soliti Persarum Reges. 164
Adores, Damasci Rex. 358
Adrastii campi. 139
Adrestæ, superantur ab Alexandro. 166
Adria, urbs Græca. 245.
Adriaticum mare unde dicatur? 245
Adulteria, apud Parthos gravissime punita. 401
Æacida, Rex Molossorum. 200. regno pellitur. 225
Æacidarum maxima pars intra trigesimum annum mortua. 175. eorum origo ab Hercule. 136
Ædessa, urbs Macedoniæ. 100
Ageæ, & Ægeatæ. 100
Ægeus, pater Thesei, Rex Athenienſium. 33
Ægyptus, à Cambyse subacta. 14. magna impensa regum munita. 23. occupatur ab Alexandro. 146. in divisione imperii Alexandri, cedit Ptolemæi. 184
Ægypti feracitas & temperies. 22
Ægyptii, superstitiosi. 14
Mosen cum populo pellunt. 359
Æmylius. v. *Martus. Paulus.*
Æneas Latinos condidit. 245. venit in Italiam 417. pugnans contra Mezent. occubuit. 418
Æolides insulæ. 65

Æeta, Colchorum Rex. 343
Ætnæ montis incendium. 64
Ætnæorum bellum cum Syracusanis 260
Ætoli, bellum in Græcia movent. 185. fines Epiri regni & Acarnaniæ populantur. 310. ad bellum in Philippum impelluntur à Lævino. 318 libertatem amittunt. 338. 339
Afri bella gerunt, cum Carthaginensibus 240. stipendium iisdem remittunt. 241. ad Agathoclem deficiunt. 268
Africæ descriptiuncula. 426. 427. castella & urbes in planis absque mœnibus. 265
Africani egregia vox, & moderatio in recipiendo filio. 336
Agas Cyrenarum Rex. 301
Agathocles, ex humili genere, Siciliæ tyrannus fictus. 260. bis exul. 261. navibus incensis spem fugæ sustulit. 267. moritur. 275
Agathocles Lysimachi, à patre occiditur. 220 221
Agathoclia, v. *Meritrix*.
Agesilaus, claudus altero pede, & ejus gesta. 89
Agis, rex Lacedæmoniorum. 155
Alba longa conditur. 418
Albani ab Hercule conditi 410
Alcetas, Perdiccæ frater. 189. ab exercitu hostis appellatur. 192
Alcibiades, Dux Atheniensium in Siciliam. 72 pulcher, & eloquens. 74. revocantur ad reatum. 72. Elidem in exilium proficiscitur. 72. Lacedæmonios ad bellum contra Athenienses instigat. 72. adulterata Agidis uxore fugit. 73. ad Athenienses partes redit, ab exilio revocatus. 75. Lacedæmonios vincit mari terraque. 76. victus denuo in exilium abit. 78 in cubiculo dormiens crematur. 82
Alexander filius Amyntæ. 102. Persicorum legatorum libidinem ulciscitur. 102. 103. regnum Macedoniæ egregie amplavit. 104
Alexander alterius Amyntæ. 103. 104. Philippum fratrem Illyriis obsidem dat, inde Thebanis. 105 insidiis matris occumbit. 105
Alexander Olympiadis frater, Epiri rex 100. 116

Cleopatram Philippi filiam dueit. 124. bellum in Italia gerit. 156. occiditur. 157. cum omnibus copiis. 157
Alexander M. cum Amazone concumbit. 30. sub militia patris primâ rudimenta ponit. 118. cædis paternæ conscius. 124. comparatur cũ patre. 127 incipit regnare. 132. Græcorum Dux fit. 133. Thebas diruit. 136. ab Athenienſibus Duces & Oratores petit. 136. Tyrum capit. 145. 146. Jovis Hammonis filius ſalutatur, & pro deo colitur. 146. 147 Darium tertio vincit. 143 Perſis jugum ſervitutis impoſuit. 151. ſævit in ſuos. 160. 161. inedia mori vult. 163. adorari vult. 147. 164. ſaxum, quod Hercules non potuit, expugnat. 165. Porum vincit. 166. in urbem hoſticam ſolus deſilit. 168. vulneratur. 168. Darii regis filiam Statiram ducit. 170 Æs alienum militum ſolvit. 170. venenum bibit. 173. militibus valedicit. 175. moritur annos natus XXXIII. 176. Ejus mores. 127 128. corpus ad Hammonem delatum. 183 tota domus à Caſſandro ſublata. 200. 204. 212 nomen quaſi numen in auxilium vocatur à Macedonibus. 285
Alexander, Alexandri & Cleopatræ filius, Indorum Rex. 164 165
Alexander, Lynceſtarum frater. 133. propter inſidias, Alexandro paratas, in vincula conjicitur. 140. occiditur 174
Alexander Caſſandri interfectus. 212
Alexander Pyrrhi, cædem parentis ulciſcitur & Macedoniam occupat. 301 regnum Epiri amittit & recipit. 301. ſororem ſuam in matrimonio habet. 308
Alexander Perſei, cum patre capitur 348
Alexander falſus, Demetrium Syriæ regnõ & vitâ exuit. 355. interficitur & ipſe. 356
Alexander Zebina à Ptol. Phyſcone in regnum Syriæ ſubornatur & occiditur. 389. 390
Alexander Ptolomæi, matrem interficit, & ob id à populõ in exilium pellitur. 395
Alexandria ab Alexandro exſtructa ſuper Tanaim 161. in Ægyptõ alia. 147

Carthaginis æmula, 163
Alpes in Thuscis occupatæ 251. post Herculem à Gallis superatæ, 28. 284
Amazones. 27. 28. 29. duraverunt ad ætatem Alexandri Magni. 30
Intereunt omnes. 31
Amazonum origo. 27
Ambri superantur ab Alexandro. 167. 168
Ammonius, v. Jupiter.
Amnestia, v. Discordiarum
Amphilochi, Gallæciæ populi 429 430
Amphictyon, Rex Athenienſium. 32
Amulius & Numitor. 418.
Amyntas. 123. Macedonum Rex. 102.
Amyntas alter, Menelai f. 104
Anaxarchi philoſophi, in comitatu Alexandri. 173
Anaxilai juſtitia. 66
Andragoras Perſa, Parthorum præfectus. 160 403
Annibal, Hasdrubalis filius. 241
Annibal alter, ſive magnus, Dux Carthaginis. 314 Romanos vincit. 316. iterum. 318. vincitur ab Æmylio. 335. ad Antiochum confugit. 328. XVI. annos immoratus Italiæ. 174. per ſerpentes victoriam procurat. 345. venenum haurit. 345
Annibalis parſimonia, continentia. 345. 346. ſectum ad abolendam invidiam nimiarum divitiarum. 344. res geſtæ 434
Antenor, Venetorum conditor. 245
Antigonus in diviſione Imperii Alexandri majorem Phrygiam conſequitur. 184. bellum cum Perdicca gerit. 188. Eumenem, quamvis fortem vincit. 194. in cuſtodia habet 199. Rex appellatur. 205. occiditur. 210
Antigonus, ſuperioris nepos. 222. 223. à Ptolomæo Macedonia pellitur. 280. revertitur. 307. Gallos cædit. 293. 294. 300. pellitur à Pyrrho 295. Peloponnenſes ſubjugat 298. bellum Athenienſibus infert, & Macedoniam amittit. 301
Antigonus ultimus Philippi tutor, diadema projicit. 311. juſſu populi regnat. 312. Lacedæmonios vincit & ſpartam capit, & moritur. 312. 313
Antiochia à Seleuco ex nomine patris condita. 208. à Grypo capitur 392

392. contra Demetrium conspirat. 354. 355. 388
Antiochus Seleuci pater. 184. clarus inter Philippi Duces. 208
Antiochus Soter, Seleuci filius. 223. pacem cum Ptolomæo facit. 280
Antiochus Hierax. 305. 357. ab Eumene Bithyno vincitur & à latronibus interficitur. 306. 307
Antiochus Magnus, Asiæ Rex, adhuc impubes. 314. Ægyptum aggreditur. 322. ab Ætolis in Romana bella impellitur. 325. Ægyptum occupare statuit. 326. vincitur ab Acilio. 334. 335. donat Scipioni filium. 335. debellatur à Scipione. 337. intersicitur. 340
Antiochus Epiphanes, Magni filius, à Popilio circumscribitur. 351. 352
Antiochus dux, Pseud-Alexandri filius, à tutore Tryphone occiditur. 354. 357.
Antiochus Soter, Demetrii frater, Triphonem regno exuit & Judæos subigit. 357. 358. in Parthos exercitum ducit. 385. Babyloniam occupat. 386. occiditur. 387. corpus ejus remittitur à Parthis. 389
Antiochus Grypus, Demetrii filius 390
Antiochus Cyzicenus, Grypi frater uterinus. 391
Antiochus Asiaticus, Cyziceni filius, regno Syriæ, quod Lucullus dederat, à Pompejo privatur. 397
Antiope, Amazonum Regina. 28
Antipater, inter amicos Philippi. 122. Macedoniæ Præfectus. 140. Agidem & Spartanos vincit. 155. cum supplemento tironum ad Alexandrum evocatur. 172. auctor necis Alexandri & quare. 173. 174. nascituro Regi tutor constituitur. 181. 182. Græciæ præponitur. 183. Antigonum contra Perdiccam juvat. 188. Eumeni auxilia mittit 195. amarior semper minister regni quam ipsi Reges fuit. 212
Antipater, superioris è Cassandro nepos, matrem occidit. 211. 212. regno exuitur & interficitur à Lysimacho socero. 213

Antonius bellum Parthis infert. 400. à Parthis vincitur. 414
Apamenii deficiunt à Demetrio. 388
Aphellas, Rex Cyrænarum. 268
Apes, Hieronem nutriunt. 278. earum usus inventus. 191
Apis, Ægyptiorum Deus 14
Apollo & templum Delphicum. 287. ultus se contra Brennum. 290
Apollinem legum suarum auctorem facit Lycurgus. 56
Apollonia. 264
Apollonienses pro Scythis auxilium à Philippo petunt. 118
Appius Claudius pacem cum Pyrrho turbavit. 219
Appulorum bellum cum Alexandro, Rege Epiri. 155. 156
Aquila cum Locris in aciè. 248
Aquila in auspiciis quid significet. 278
Aquilæ duæ in culmine domus nascente Alexandro Magno. 177
Anquilius. 372
Aratio, inventa ab Athenienſibus. 32
Araxes, fluvius. 13
Arbactus, præpositus Medis, creatur Rex. 4
Arcades Spartanos vincunt. 95
Archidamus, Dux Lacedæmoniorum, vulneratur ab Arcadibus. 95
Argeus, Rex Macedonum. 101
Argentea cullinarum instrumenta in exercitu Antiochi. 386
Argenti, v. *Auri*
Argonautæ 343. 409
Argyraspidæ. 164. victi ab Antigono. 196
Ariarathes Artaxerxis filius. 129
Ariarathes, Cappadocum Rex. 287
Ariarathes Artemenis, puer adhuc, Cappadocum Rex. 314
Ariarathas Cappadocum Rex, fratrem Orofernem regno pellit. 354. contra Demetrium Syrum conspirat. 354. 355. Romanos juvat contra Aristonicum. 364. interficitur. 364. 369. 370
Ariarathes, superioris filius, ab avunculo Mithridate interficitur. 370
Aridæus, Philippi filius, Alexandro succedit. 126 nominatur pro successore à Meleagro, recusatur à Ptolomæo; & quare Rex apellatur à militibus. 181. 182. necatur

catur ad Olympiade. 199
Ariobarzanes, Rex Cappadociæ, à Tigrane pellitur. 372 373
Aristæus Cyrenen condit. 190. mellis & coaguli usum invenit. 191
Aristides, proditionem Pausaniæ detegit. 51
Aristonicus, Eumenis ex pellice filius, à Perpenna vincitur. 362. 363
Aristoteles, Alexandri Præceptor. 177
Aristotimus, Eliorum tyrannus. 298
Armeniæ magnitudo & nomen ab Armenio, Jasonis comite. 408. 409
Arpi, urbs à Diomede condita. 245
Arruba, à Philippo regnô exuitur. 107. 116. 117. regnum suum novis legibus instruit. 224
Arsaces, omnes Reges Parthorum dicti. 404
Arsaces Parthorum imperium invasit. 403
Arsacides, in victum Demetrium clemens 385
Arsinoë, Lysimachi uxor privignum venefico tollit. 221. à fratre in matrimonium petitur. 222. 282. in exilium abit. 283.
Arsinoë, Cyren. Regina, cum genero concumbit. 302
Artabanus Xerxen occidit. 52. ab Artaxerxe vicissim occiditur. 53
Artabanus, Parthorum Rex. 408
Artamenes cum Xerxe fratre de regno disceptat 39
Artamenes, Cappadociæ Rex. 306
Artaphernes, Darii frater, litem inter Xerxem ac fratrem ejus Artamenem dirimit. 39
Artaxerxes longimanus. 52. 53
Artaxerxes Mnemon, Persarum Rex 82. Darii filius, bellum cum fratre Cyro gerit 86. Conona classi suæ præficit 89. Græcos ab armis discedere jubet 95. filios CXV. habet 129. ex quibus multos, insidias illi struentes, interficit. 129. 130.
Artemisia, Regina Halicarnassi. 45

Arvas, Mosis filius 360
Ascalonii Phœnices expugnant. 230
Ascanius, Æneæ filius. 418
Asia subacta à Cyro 13. à Scythis. 25. 26. vastatur ab Alcibiade. 76. affectatur à Spartanis. 88. Persarum juris. 123. Gallorum plena. 294. Romanorum facta, eos corrumpit. 363. causa multorum bellorum. 372.
Asiæ civitates quædam ab Amazonibus subactæ. 28. quædam terræ motu absorptæ. 323. fertilitas. 380
Aspasia, Cyri pellex 130.
Asphaltites, lacus, seu mare mortuum. 361
Assyrii, postea, Syri dicti. quamdiu tenuerint imperium? 4
Astronomiæ cultores, Ægyptii & Babylonii. 248. 249
Astyages, avus Cyri. 5. 6. ex Rege fit præfectus Hyrcanorum. 10
Atheas, Scytharum Rex. 118
Athenæ, alter oculus Græciæ. 81. eloquentiæ patria communis. 83. urbs Minervæ sacrata. 32. ex integro conduntur. 49. capiuntur à Spartanis. 82 à Persis diruæ, Persicæ spoliis restituuntur. 94. earum origo. 32
Athenienses, Amazonas vincunt. 28. 29. bellum gerunt cum Dario. 37. CC. naves fabricant. 44. primum gloriam ex victoriâ Persicâ reportant. 48. 49. Xerxem Lacedæmoniis gerunt. 53. Classem in Ægyptum mittunt. 61. Syracusas obsident. 67. Statum mutant. 34. iterum. 75. omnem ditionem amittunt. 79. Tyrannos exigunt. 36. 37. ab omnibus odiô habentur. 72. vincuntur à Philippo. 106. 121. Bellum Lamiacum in Græciâ movent. 186. bellum cum Antigono gerunt. 301. cum Antipatro. 156. eloquentes. 74. superbi. 54. rei nauticæ periti. 89.
Athenienssium simultas cum Dorienssibus. 3. virtus cum Epaminonda extincta. 98

Athos,

Atidis Cranai filia, Athenis nomen dedit, 32
Attalus, Dux Philippi in Asia, 124. Pausaniæ stuprum infert, 124. ab Alexandro interficitur, 163
Attalus alius, Alexandri M. Dux. 182
Attalus, Pergami Rex, 318. Pessimus veneficus & parricida, contractoex sole morbo decedit 362
Aurum Tholosanum, unde in proverbium abiit, 343
Auri & argenti usus, ut omnium scelerum materia, a Lycurgo sublatus, 55 contemptus apud Parthos, 401. & Scythas 24
Authocus, Apollinis filius 191
Azelus, Damasci Rex. 358

B.

BAbylon, conditur à Semiramide. 4 vincitur à Cyro. 11. capitur à Seleuco, 209 ab Orode, 411. in divisione imperii Alexandri M. Peucestæ cedit. 255
Bacasis, Mediæ præfectus. 406
Bactriani, Scytharum progenies. 21. 25. à Seleuco expugnantur. 209. libertatem & omnia amittunt. 405
Bactrianorum imperium multi urbium. 399
Balsami historia, 360 361
Barba & capillus promissi, ad movendam misericordiam. 68, reorum habitus. 362
Barce, Croeso concessa à Cyro 11. alia ab Alexandro M: condita, 169
Barsine seu Barsene, Alexandri M. conjux. 144. 181. jussu Cassandri occiditur. 204
Bastarnæ Getas vel Dacos vincunt. 344 Mithridati adversus Romanos auxiliantur, 373
Battus, Aristæi muti cognomen. 190
Belgius, Gallorum Dux, 284
Belli certamen, anceps, 26
Bellorum inter Lacedæmonios & Athenienses ori o. 53
Beneficia privata à publicis secreta. 336
Beneficio fides obstringitur. 50
Beneficii, quam ultionis, honestior occasio, 216
Bergamum, v. *Pergamum*
Beroé Pyrrhi nutrix. 225
Baronice Cyrenaica. Demetrius

metrium sponsum interficit. 301. 302. à Seleuco privigno interficitur. 303
Beronice, Attali sponsa. 362
Bessus Darii interfector, excruciatur. 161
Bilbilis Hispaniæ fluvius, durando ferro aptus. 430
Bithynia, pars Gallogræciæ. 294
Bitumine muri Babylonis compacti. 4. solum Siculum intrinsecus stratum. 6.
Bœotia, Mardonium vincit. 48. vetus Macedoniæ appellatio. 99.
Bœotium imperium perdunt Thebani. 61
Bœotii, pro Thebanis. 113
Bomilcar, Carthaginiensium Dux, crucifixus. 269
Brennus, Gallorum Dux, Delphicum invasit templum. 287. infeliciter pugnans, mortem sibi consciscit. 290
Brixiæ, à Gallis condita. 251
Brundusium, ab Ætolis conditur. 156. à veteribus Tarentinis habitatur. 58
Bruttii, unde dicti. 273. cum Tarentinis bella gerunt, 155. 156. Græcorum soboles. 245. eorundem vita. 272. 273
Brutus, & Cassius, Parthicis auxiliis adjuti. 412
Bubares, Persa, Amyntæ Regis Macedonum filiam ducit. 103
Bubalum caput in fundamentis Carthaginis. 235.
Bucephale, urbs ex nomine equi Alexandri. 166
Busia, urbs trans Euphratem. 173
Byrsa nomen & locus. 235
Byzantium, à quo condi. tum, & obsessum. 117. 118

C.

CAdusii, cæsi à Codomanno. 131
Cæpio Cos. Romanorum, propter ablatum aurum Tholosanum punitus. 341
Cæsaris cum Pompeio bellum. 412
Cæsares, omnes Romanorum Imperatores dicti. 404
Calida lavari, à Romanis Hispani docti. 428
Callisthenes Alexandrum à voluntate moriendi ad bellum revocat: eundem adorare detrectans, interficitur. 163. 164

Cam-

Cambyses, Astyagis gener. 6
Cambyses, Cyri filius 14
Campani, à Græcis conditi. 245. bellum gerunt cum Syracusanis. 261
Campi Themiscyrei. 27. Marathonii. 37. Adrastii. 139
Campus Cirrhæus, Apollini sacer. 279
Candaules, Rex Lydorum uxorem suam nudam ostendit Gygi. 12
Canis, egregius apologus, 412
Capitolium, remplum Saturni & refugium. 417
Cappadoces, absque Rege vivere non possunt. 372. à Perdiccâ victi, conjuges, seque ipsos, & omnia sua perdunt. 187. 188
Cappadocia à Philippo occupatur. 112. à Mithridate. 366. Armenii regni limes. 408. 409
Captivitatis jus. 67
Caput Cyri in utrem sanguine plenum conjicitur. 14. Ptolemæi, lancea fixum in acie circumfertur. 285. Pyrrhi, ad Antigonum defertur. 297
Caranus. 100. primus Macedonum Rex. 348
Caranus, Philippi filius, ab Alexandro M. cæsus interficitur. 133
Caria, provincia, post Alexandrum M. 184. 189
Cariades, Dux Atheniensium. 68
Carne caninâ vescebantur Carthaginenses, & humanam immolabant. 241
Cartalo, à patre in crucem tollitur, 239
Carthago capitur. 239. ejus origo. 229. 235. 433. ætas. 236. 433.
Carthago nova, in Hispania. 429
Carthaginienses bellum cum Pyrrho gerunt. 276. 277. Bomilcarem patibulo affigunt. 269. humanas hostias immolant. 241. & canina vescuntur. 237. 241. consulem habent. 318. dictatorem item. 239. Græcas literas SC. prohibent. 252. Hamilcarem tacitis suffragiis damnant. 263. Hamilcarem Rhodanum injuste interficiunt. 259. Hannonem, cum tota familia, interficiunt. 256. Imperium Siculum tentant. 66. Hispaniam primi occupant. 433. 434. Legatos ad Alexandrum M. mittunt. 171. Persis parent. 241.

Romanis auxilia mittunt. 228. Sicilia pelluntur. 268. redeunt. 276. Syracusas obsident. 263. vincuntur à Massiliensibus. 425
Cassander, Antipatri filius, Alexandro venenum propinat. 174
Cariæ & Alexandri M. satellitibus præficitur. 184. regni administrator fit. 190. Olympiada necat. 202. bellum contra Antigonum instruit, 203. omnem Alexandri familiam interimit. 204. Rex apellatur. 205. moritur. 220. cum totâ domo Alexandro, stirpique extinctæ, pœnas luit. 224.
Cassandrea, urbs. 280
Cassius, v. *Brutus*. Cassius, Crassi quæstor, vid. *Crassus*.
Castor & Pollux Locrensib, adsunt. 247 illorum aurigæ. 410
Castra Alexandri M. solitò magnificentiora. 167
Castrorum lustratio apud Macedonas & tribunatus. 183. 184.
Catinienses. 68
Catonis fortitudo. 347.
Cattenandus Massiliam obsidet. 424
Caucasus & Euphrates, regni Parthici limites. 406
Caucasi accolæ subiguntur ab Alexandro 161 fines, Eutarchæ sors. 185
Cecrops, Rex Athenarum, cur biformis. 32
Ceraunus, Clearchi filius. 219. Ptolomæi cognomen. 279
Cere urbs in Italiâ. 245
Cereris Sacra initiorum 72
Cereos ignes tangere in juramento. 262
Cerva puerum alens. 431
Chalcidensium in Italiâ Coloni, quinam? 245
Chalybs, fl. Hisp. durando ferro apt. 430
Chalybes, Hispaniæ populus. 430
Charillus, Lycurgi ex fratre nepos. 54
Charybdis fabula, undè Orta. 65
Chersonensium civitates à Philippo expugnatæ. 118
Chion & Leonides, tyrannicidæ. 219
Chodion, Arsinoês Legatus ad Ptolomæum. 281

Chora-

Chorasmi subiguntur ab Alexandro M. 164
Chrestus, Bithyniæ Rex. 377
Cicilia occupatur ab Alexandro M. 146. in divisione imperii Philotæ cedit. 184. mox Philoxeno. 189
Cimbri Mithridati auxiliantur contra Romanos. 373. iidem Germani. 376
Cimbricum bellum sacrilegii pœna. 343
Cimon, Athenienſium Dux vincit Xerxem & patrem in carcere mortuum redimit ad ſepulturam; vinculis in ſe translatis. 51
Cinus, Ariſtæi pater. 190
Cirrhæus campus, Apollini ſacer. 279
Civile bellum Cæſaris & Pompeji. 412
Civitas in civibus, non ædificiis poſita. 44. 45
Claudius, v. Appius.
Cleadæ Thebani oratio ad Alexandrum M. 135.
Clearchus tyrannus. 216 occiditur. 220
Cleonis, regnum concubitu Alexandri redimit. 165
Cleomenes, Rex Spartanorum. 313
Cleopatra, Philippi conjux, ſuperinducta Olympiadi. 125. ab ipſa necatur. 126
Cleopatra, Philippi filia, Alexandri Epiri Regis uxor. 124. a Perdicca in matrimonium petitur. 188. ejus apud Macedonas auctoritas. 126
Cleopatra Demetrii Nicatoris, mox fratris ejus conjux. 357. 358
Cleopatra Mithridatis filia, Tigranis uxor. 372
Cleopatra Ægyptia, duorum fratrum uxor. 381. ad Demetrium generum confugit. 388
Cleopatra, proximi filia, matris pellex. 282 regno præponitur. 391. majorem filium pellit. 392. a minori necatur 395
Cleopatra, hujus filia, Cyziceno nubit. 392. Sororis juſſu interficitur. 393
Clitus ab Alexandro inter pocula occiditur. 162
Coaguli uſus inventus. 191
Cocalus, primus Siculorum

lorum Regum. 66
Codomannus, præficitur Armeniis. 131
Codrus, ultimus Rex Athenienſium. 33
Colchi Iſtrorum conditores. 343
Comanus, Regulus Gallus, 422
Cometes, Mergidis interfector. 15
Cometes inſignis magnitudinis apparet. 365
Compenſatio mercium, in uſu Lacedæmoniis 55
Comum Italiæ, Gallorum colonia. 251
Conon Athenienſium Dux. 78. victus, Cypri exulat. 80, 89. claſſi Perſarum præficitur. 89. Xerxem adorare noluit. 90. Athenas reſtituit. 94
Continentia, morum bonorum mater. 24
Continentiæ Romanæ exempla. 228. 229
Convitia non decent miſeros. 197
Convivari, publicè Spartani ſoliti. 55
Corcyram cum paucis capit Ptolomæus, Pyrrhi filius. 296
Corinthi concilium totius Græciæ. 123. 133
Corinthii, Lacedæmoniis irati & eur. 356
eloquentiâ Demoſthenis Perſuaſi, favent Athenienſibus. 187
Corinthus diruitur. 351
Corona aurea, gratulationis ergò offertur Alexandro à Tyriis. 145. Pauſaniæ, Regicidæ in cruce pedenti, imponitur ab Olympiade. 126. Legatis Romanorum donatur à Ptolomæo. 229. geſtatur à Clearcho tyrannô. 219
Coronæ, poſt victoriam ſami ſolitæ. 121. 145
Coronis laureis milites ſuos inſtruit. Philippus contra ſacrilegos. 110
Corpora ad ſepulturam poſcere, victoriæ conceſſæ ſignum Græcis. 95
Cothurni Regum tragicorum. 219
Cranaus Athenienſium Rex. 32
Craſſus infeliciter pugnat contra Ariſtonicum. 363. alius cum filio & omni exercitu deletur. Cujus Quæſtor exercitum Pacori cum omnibus Ducibus trucidat. 411
Craterus, in Antipatri locum

locum, Macedoniæ præficitur. 172. nascituro è Roxane Regi tutor constituitur, 181. 182. Regiæ pecuniæ custos. 183. Antigonum juvat contra Perdiccam. 188
Cremare mortuos. 126. 241
Crentenses, Demetrium Soterem in regnum restituunt. 355
Critias Athenienſis, tyrannorum sævissimus, bellô cadit. 84
Crœsus, Rex Lydorum, capitur. 11
Crotonienses, Græcorum colonia. 246. Vincuntur à Locrensibus. 248. eorum torpor & luxuria. 248. bellum cum Dyonisio. 250
Cuphites, Indi. 166
Curetes, Hispani. 430
Cyclopes, olim in Sicilia. 66
Cydnus, Ciliciæ fluvius. 141
Cynægiri Athenienſis virtus. 38
Cyneas, Pyrrhi legatus ad Romanos. 228
Cypriæ virgines dotem vulgatò corpore quærebant. 234
Cyprus, in ditione Ptolomæi. 203
Cyras, mons Africæ. 190
Cyrene, condita. 190
Cyrenarum regnum, testamentò ad Romanos devenit. 395
Cyrus exponitur & nutritur à cane. 6. 432. Persas concitat, & avo regnum aufert, Babyloniosque vincit & Crœsum. 11. cæditur à Scythis. 14. caput ejus & mors. 14
Cyrus minor, Lydiæ præficitur à patre. 78 compedibus aureis vinctus. 86. 87.
Cyzicenus bellum cum fratre gerit. 391. Triphænam interficit. 394

D

Daci, Getarum soboles. 344
Dædali montes. 165
Dahæ subjugantur ab Alexandro M. 164
Damasco, Syriæ Dux. 261
Damascus, urbs Syriæ 353
Danubii & Sabi confluens. 342
Daphne, Antiochiæ suburbium. 303

Dara, urbs Parthorum clarissima. 403
Dardani. 132. 325. compescuntur à Philippo 116. ab Antigonô, 311, assidui Macedonum hostes. 315. Macedoniam populantur & XXM. hominum abducunt. 318
Dardanorum legatio ad Ptolomæum. 284
Darius, Histaspis filius, equi hinnitu fit Rex Persarum. 17. fugatur ex Scythiâ. 25. 102. contra Jancyrum Scytham bellum gerit, Asiamque & Macedoniam domat. 31. vincitur ab Atheniensibus & obit. 38
Darius nothus, Persarum Rex, Lacedæmoniorum socius contra Athenienses. 72. Carthagin. humanas hostias immolare, & caninâ vesci prohibet. 237. 241 moritur. 82
Darius, ultimus Persarum Rex, Codemannus dictus. 131. vincitur ab Alexandrô M. 139. iterum. 143. tertiùm. 150. aureis catenis à suis vincitur 151. confossus moritur & sepelitur. 152
ejus mors vindicatur. 161. ejus fiducia. 139 in ordinandô exercitu industria. 143. mater, soror, uxor, filiæ, opes capiuntur. 144. filia Statira Alexandro nubit. 176. mater, auditâ morte Alexandri, & sibi mortem conscisicit. 179
Defectus solis antumnæ, quid significent. 267. 347
Deidamia, Æacidæ Epiri Regis filia. 201
Delos insula, ærarium Græcorum. 60
Delphicum oraculum. 42. 44. 56. 59. 89. 215. 246. 247. templum occupatum à Phocensibus 109. ejus descriptio. 287
Delphos diripi jubet Xerxes. 44. diripiunt Phocenses. 109. idem rentat Brennus Gallorum Dux. 288. 289
Demaratus Rex Lacedæmoniorum exul consilia Xerxis detegit. 49
Demaratus Pythagoræ pater. 248
Demetrius Poliorcetus. Antigoni filius. 203. Rex appellatur. 205. patrem amittit. 210.

Alexan-

Alexandrum, Cassandri filium interficit, Rex Macedoniæ fit. 212. Seleuco se dedit. 213. 214
Demetrius alter, prioris nepos, Macedoniam & Epirum occupat. 301. neptem Pyrrhi ducit, jam uxorem habens. 308
moritur. 311
Demetrius, modò dicti patruus, à sponsa sua interficitur. 302
Demetrius Soter, Antiochi M. filius, Rex Syriæ, occiditur. 354
Demetrius Nicator, ejus filius, fugam tentat, obsess Romæ. 357
Alexandrum vincit. 355. 356. capitur à Parthis. 357. occiditur. 389
Demetrius, Illyriorum Rex. 405
Demetrius Philippi ultimus F. à patre occiditur. 341
Demetrius Indorum Rex. 405
Demophoon, Thesei filius. 33
Demosthenes Atheniensium Dux, missus in Siciliam. 69. mortem sibi consciscit. 70
Demosthenes, orator, corruptus à Persis, 134. 186. exul revocatur ab Athenienses, & cur. 187
Desperatio, interdum in virtutem vertit. 247. 248
Deucalion, generis humani reparator cur vulgò creditus. 33
Diadema, Macedoniæ Regibus ante Alexandrum insolitum. 158. ejus locò veteribus hasta. 420.
Diana, pro Delphis pugnat. 290.
Dido, v. Elissa.
Dignissimo imperium relinquit, Alexander M. 175.
Diluvium Deucalionis. 33.
Diocles, Athenarum tyrannus, interficitur. 36.
Diomedes, Brundusii conditor. 156. & Arporum. 245.
Dionysius, Siciliæ tyrannus, bellum in Italiâ gerit. 244. 250. interficitur. 252.
Dionysius minor, Siciliæ tyrannus. 252. exulat Corinthi 257.
Discordiarum oblivio, jurejurando sancita, apud Athenienses. 85.
Dissensio inter Cyrum &

& Artaxerxem, filios Darii, de regno 86.
Doricetes, Thraciæ Rex. 213.
Dorienses, bellum cum Athenienſibus gerunt. 33.
Dos nulla virginibus Spartanis. 55.
Dotalem pecuniam obſequiò corporis quærunt Cypriæ virgines. 234.
Drancæ ab Alexandro ſubacti. 161.
Drangaritani. 405.

E.

Ecbatana. 154.
Edeſſa, Macedoniæ urbs. 100.
Elephantus ferus, ultrò ſe offert Sandrocotto. 210.
Elephantorum adſpectu territi Romani, vincuntur à Pyrrhô. 217.
Elephantos ſuos Gallis oſtendit Antigonus terroris cauſâ. 292.
Eleuſis & Eleuſina ſacra. 33. 85.
Elimæi populi: 357.
Eliſſa, alias Dido 232. in Africam fugit. 234. Carthaginem condit. 235. mortem ſibi conſciſcit. 236. à Carthaginenſibus pro Dea culta. 236.
Eloquentia Demoſthenis, 186.
Emanus, Scotorum Dux. 288.
Emathia, quæ poſtea Macedonia. 99.
Epaminondas Spartâ tentat. 96. lethaliter ictus decedit maximæ laudis vir. 97. ejus virtus. 92. 97. eruditio magna. 98.
Epeus, equi Trojani & Metaponti conditor. 246.
Ephæſtion. 172.
Epheſus ab Amazonibus condita. 28.
Ehigoni, populus. 160.
Epiri hiſtoria. 308.
Equarum Scythicarum XXM. in Macedoniam miſſa. 120.
Equas ventô concipere. 429.
Equo feroci Mithridates à tutoribus imponitur. 365.
Equorum uſus Parthis aſſiduus. 401. pernicium copia in Hiſpania. 427.
Erichtheus, Athenienſium Rex. 33.
Erotimus Arabs, DCC. filiorum pater. 396.
Ethruſci, bellum cum Æneâ gerunt. 418.
Evagoras, Cypri Rex 80.

80.
Evander in italiam venit. 417.
Eucratides, Bactrianorum Rex, à filiô interficitur. 405.
Evergetæ, populus. 161.
Eumenes, Paphlagoniam sortitur. 184. Neoptolemum occidit. 192. hostis à Macedonibus judicatur. 193. Vincitur ab Antigono. 196. 402. denuò ab Argyraspidis. 197. Antigono deditur. 198.
Eumenes, Bithyniæ Rex, Antiochum Hieracem & Gallos vincit. 306. Romanis auxiliatur contra Antiochum & Perseum. 344. Prusiàm bello vincit. 345.
Eumenes, Demetrii filius 222, 223.
Euphrates, fl. Limes regni Persici. 148. Parthici regni limes. 406. fluvium Tigrim recipit. 411.
Europæ major pars sub Amazonibus. 28. terminus Hispaniæ. 426.
Europus in Europa reguavit. 100.
Europus, Macedoniæ Rex, infans, in cunis ad aciem suorum defertur. 101.
Euridices & Amyntæ Macedonis historia. 104.
Euridicæ, Aridæi uxor. 199. occiditur ab Olympiade. 200.
Enridice Lysimachi filia. 213.
Euridice, Ptolemæi Philopatoris uxor, eademque soror, ab eô occiditur. 320.
Eurylochus, ab Alexandrô interfectus. 163.
Eurymedon Atheniensium in Siciliam Dux. 69. fortissimè dimicans cadit. 70.
Euryfaces, Ajacis f. 429.
Expositi, qui insignes viros evaserunt; Cyrus 6. 7. Hiero. 277. Habis 432.
Extareches, Caucasi fines sortitur. 185.

F.

Fabricius Lucinus, Romanorum legatus. pacem facit cum Pyrrho. 228.
Falisci, Chalcidensium colonia 245.
Fama in majus omnia extollit. 46
Famæ celeritas, in clade Mardonii. 48. in victo-

victoriâ Locrensium 248.
Fames in Epiro ob cædem Laodomiæ. 311. in Ægyptpô 359.
Fatua, Fauni uxor. 417.
Fatuari, unde & quid sit. 417.
Faunus, tertius Italiæ Rex. 417.
Favor hominum eodem, quò fortuna, inclinat. 73.
Faustulus pastor, Romuli nutritius. 420.
Felicitas reddit arrogantes. 219.
Feminis apud Parthos adspectus virorum interdicitur. 401.
Figulus, Agathoclis pater. 260.
Filios interfecerunt, Lysimachus. 221. Demetrii Nicanoris uxor. 389. Maleus Carthaginensis. 239. Inodice. 364. Ptolemæus Physcon. 383. Phrahates. 414.
Flaminus COS. 324. 325. Nabidem vincit. 329.
Floralia. 423.
Flumina, Ægypti Nilus. 23. Armeniæ Tigris. 411. Cappadociæ, Thermodoon. 27. Epiri & Italiæ, Acheron. 156. Galliæciæ, Bilbilis & Chalybs. 430. Galliæ Rhodanus 411. Indiæ Accesines. 167. Indus. 169. Lusitaniæ Tagus. 429. Scythiæ Araxis, 13. Isther. 120. 343. Phasis. 24. Tanais. 161.
Flumina ab exercitu Xerxis siccata, 40. Hispaniæ aurum ferunt, 427.
Fortuna virtute juvanda. 320.
Fortunæ inconstantia. 357. varietas. 302. ludibrium Seleucus. 304.
Fortuna præsenti contenti esse jubentur Romani. 310.
Frudius, auriga Castoris, 410.
Frugalitas, virtutum parens. 249.
Frumenti satio reperta. 33.
Furtum gravissimum apud Scythas crimen. 24.

G.

Gaditani, Carthaginensibus consanguinei. 433.
Gallæci, Græci. 429.
Gallæcia, equorum ferax. 429.

Galli Romam capiunt. 98. Macedoniam. 285. Græciam. 286. Asiam. 294. Italiam. 309. 374. Legatos ad Alexandrum M. mittunt. 172. ad Dionysium tyrannum. 250. auguriis præstantes, 283. multas in Italiâ urbes condunt. 251. cæsi. 289
Galli, Scordisci. 342
Tectosagi. 342
Gallorum perfidia. 305. feritas, quibus auctoribus mansuefacta. 421. 422
Gallici nominis terror. 284. 294
Gallia ab Hispania Pyrenæis montibus divisa. 426. assiduis ventis inquieta. 427.
Transalpinâ. 374
Gallogræcia, Bithyniæ pars. 294. bellum cum Antigono gerunt. 300. Mithridati auxiliantur contra Romanos. 373
Gallimander, amicus Demetrii & ejus fides. 384
Gangaridæ, populus. 166
Gargoris, Curetum Rex. 439
Gadrosi, populus. 135
Gelo, Siciliæ tyrannus. 277
Geryon, 417. 432
Getæ, superati a Gallis. 292. Dacos condidere. 344
Gisgo, Hamilcaris filius. 241. in exilium pellitur. 369
Gladium dimittere ignominiosum. 348
Glaucus, Illyriorum Rex. 225
Gobriæ forte factum. 16
Gordie, Phrygiæ urbs. 140
Gordius, Phrygum Rex; & nodi historia. 140. 141
Gordius Cappadox. 369. 372. 377
Gorgias, amicus Alexandri. 172
Græcia major in Italia. 246
Græciæ duo oculi. 81 partem majorem a quarum illuvies absumit. 33. laus. 114
fatalis dies. 121
Grypus, vid. *Antiochus*.
Gyges. 12
Gylippus, Dux Lacedæmoniorum. 69
Gyptis, Segobrigiorum Rex. 421

H.

Habis, Hispaniæ Rex, & ejus miraculosa, ferarum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0529
DFG

ferarum educati lacte, historia. 430. 431. 432
Halicarnassi Regina, Xerxi auxiliatur. 45
Hamilcar, Magonis. 240. in Sicilia cum omni exercitu perit. 67
Hamilcar alius, societatem cum Agathocle jungit. 261. ob id à Carthaginiensibus tacitò suffragio damnatus, opportunè moritur. 263
Hamilcar Gisgonis filius. 263. Agathoclem vincit & Syracusas obsidet. 263. occiditur. 270
Hamilcar Rhodanus. 258
Hamilcar Carthaginensis in Hispania Imperator. 433
Hammon, v. Jupiter.
Hannibal, v. Annibal.
Hanno, Hamilcaris primi filius. 241
Hanno, Dux Carthaginensis, contra Dionysium, 251. tyrannidem affectat. 256. ob id cum tota familia interficitur. 257
Hanno alius, contra Agathoclem. 267
Harpagus conviva ad filii carnes. 8
Harpalus, crudelitatem Alexandri fugit. 186
Hasdrubal, Magonis filius. 240.
Hasdrubal, superioris filius. 241. Annibalis frater à servo necatur 433
Hasta, Græcis sceptrum, antiquis pro diademate. 420
Helenus, Priami fil. 224.
Helenus, f. Pyrrhi ex filia Agathoclis. 276. abeunte ex Galliâ patre, Tarenti custos relinquitur. 294 regni fit successor 297
Hellanici prudentia. Aristotimus tyrannus opprimitur. 299
Hellespontus. 77
Heraclea obsidetur ab Athenienſibus. 186
Heraclea Pontica. 215
Heraclienſium factum egregium. 216
Hercules Amazones vincit. 28. Hiacensanas Sileosque in Indiâ condidit. 167. primus Alpes superavit. 283. Orientis Rex fuit. 164. 165. 410. Latinum genuit & Geryonis armenta rapuit. 417.
Herculi statuam vovit Philippus. 219

Hercules Thebanus, Æacidarum genitor. 136
Hercules Tyrius. 145. ejus sacerdos, primus à Rege. 135, ei Carthaginenses prædarum decimas mittunt. 238
Hercules, Alexandri M. ex Barsine filius, 181. ab ipso præteritus. 175. cum Olympiade in Pydnam urbem fugit. 201. ibi captus custodiæ datur. 202. occiditur. 204
Hercyllides, Lacedæmoniorum Dux. 88
Hercynio, Ægypti Rex. 89
Hiarbas, Maxitanorum Rex, Elissam in matrimonium petit. 235
Hiero Siciliæ Rex, ab apibus alitus. 278
Hieroclytus, Hieronis pater. 277
Himeri, Phrahatis vicarii, superbia & crudelitas 407
Hippias Athenarum tyrannus In exilium agitur 37. Persarum Dux adversus patriâ, occumbit. 338
Hippolochus, Athenar. tyrannus sævissimus. 84
Hippolyte Amazon, uxor Thesei. 29
Hippolytus, Thesei ex Hippolyte filius. 29
Hispani, propiora feris, quam hominibus, ingenia gerunt. 428
Hispaniæ descriptio. 426. 427
Hispaniam universam domuit Hannibal. 433
Homines immolati Carthagine. 237, id inhibuit Darius. 241
Hyrcania ab Alexandro subacta, & ejus amplitudo. 158

I.

Jasonis historia 410
Iberia dicta Hispania, ab Ibero amne. 426
Ilium Trojanorum castellum 138. 417
Ilienses & Romanorum mutua gratulatio. 337
Illyrii bella cum Macedonibus gerunt. 101 cum Amyntâ 104. cæduntur à Philippo. 106. sunt subditione Macedonicâ 132. Philoni assignantur. 184
Imilco, Carthaginensium Dux in Siciliam. 241, mortem sibi conscisci. 244
India invaditur ab Alexandro

Alexandrô M. 164. jugum excutit. 209. occupatur ab Eucratide. 405
Indiæ nemo, præter Semiramin & Alexandr. M. bellum intulit. 4
Indus, fl. 159
Injuriarum, v. discordiarum.
Insula nova cum calidis aquis è mari enata. 323
Inventa Athenienſium. 32. Ariſtæi. 191, Gargoris. 430, Triptolemi. 33.
Invidia ex virtute. 73. ſuperatur amplitudine rerum. 3
Jocus Mithridatis. 370. Pſeud. Alexandri. 389
Jollas Antipatri, venenum propinat Alexandro. 174
Jones vincuntur à Dario. 31 à Themiſtocle perſuaſi Xerxem in pugnâ deſerunt. 43. 46
Joſeph, Iſraëlis filius. à fratribus venditus, Ægyptum a fame aſſeruit, ſomniorumq; primus intelligentiâ condidit. 358. 359. an Moſis divini pater. 359
Jovis ſimulacrũ aureũ. 390
Iphicrates, viginti annorum adoleſcens, Athenienſium Imperator. 93
Iſmenias, Thebanorum Princeps. 83
Iſrahel, Damaſci Rex, decem filiorum proventu clarus. 358
Iſter, Scythiæ fl. 120. 343
Iſtriani bellum cum Scythis gerunt. 119
Iſtriorum origo. 343
Itali Legatos ad Alexandrum mittunt. 172
Italia olim Saturnia 417. magnâ ex parte Græcis habitata. 272 fere univerſa a Gallis occupata. 309. niſi Italicis viribus non ſubigitur. 332
Italiæ & Siciliæ vicinitas. 65. horreum Hiſpania. 427. primi cultores Aborigenes. 416
Judæorum hiſtoria. 358
Judas Iſraelis. 358
Jupiter Hammonius. 14. 146. 170. 175 183. Dodonæus. 156. 224. Didymæus. 340. Capitolinus. 417
Juvenes duo incogniti & inſoliti habitus, Locrenſibus victoriam pariunt. 248

L.

Labenus cum Parthis ſocietatem contra Romã-

manos init. 412
Labore vires militum acuuntur. 244
Lac in potu Scythis. 24 & Bruttiis. 273
Lacedæmon muris cingitur. 200 capitur. 92 93. 313. v. Sparta.
Lacedæmonii bellum gerunt cum Atheniensibus. 53. 60. 61. 72. 80. Messeniis. 56. &c. Persis 41. 50. 88. Thebanis. 93. 95. Athenienseis monent, ne urbem reficiant. 49. Pausaniam damnant. 51 92. Messenen expugnant. 59. Oraculi monitu Ducem ab Athenienſibus petunt. 59. inducias annorum triginta cum Athenienſibus faciunt. 62. in annos quinquaginta. 63. Athenas capiunt 82. apud commune Græciæ concilium accuſantur & damnantur. 109. Philippum foli Græcorum contemnunt. 123. & Alexandr. M. 155. 312. ab Alexandro ad Perſas deſciunt. 134. omnem ferme Græciam commovent 155.
Laches Athenienſium Dux in Sicilia. 68
Lævinus COS. Romanus à Pyrrho vincitur 227
Lævinus Prætor Romanorum contra Philippum. 318
Lamachus, Athenienſium Dux in Siciliam, occumbit. 68. 69. 215
Lamachus alius, ab Heracleotis hoſtibus inſigne beneficium accipit. 215
Lampeto, Amazonum Regina. 27
Lamponius, Athenienſium Dux in Sicilia. 67
Laodamia, ultima ex Æacidarũ gente, à populo interficitur. 31.
Laodice, Seleuci Nicatoris mater. 208
Laodice Seleuci Callonici mater. 303
Laodice, Mithridatis ſoror & conjux venenõ, quod in ipſum paraverat, perit. 367
Laodice, Ariarathis uxor, quinq; filios necat ob id à populo extincta. 364.
Laodice, Mithridatis ſoror, Ariarathis uxor. 369. mox Nicomedis. 369
Lariſſa urbs, à Philippo capitur. 206
Lariſſæa ſaltatrix, Aridæ

dæi ex Philippô mater. 126. eadem & Lariſſæum ſcortum dicitur. 181
Latini ab Æneâ conditi. 245
Latinus, Herculis nothus 417
Latratus in Siculo fretô. 65
Lavinia, Æneæ conjux, & Laviniũ urbs. 418
Leges nullæ Athenienſibus antiquis. 34. & Scythis. 24. imô omnibus antiquiſſimis 2. Lycurgi. 54. & Minois. 249
Leo dormientem Sandrocottum lambit. 209. ferociſſimus ab inermi Lyſimacho interficitur. 207
Leonatus, naſcituro Regi tutor conſtituitur. 181. occumbit. 187
Leonides Lacedæmoniorum Rex, Thermopylas contra Perſas occupat. 47. poſt egregiam pugnam cum ſuis cæditur. 43
Leonides, Spartanorum Regis frater, Siciliæ Dux in Carthaginenſes. 240
Leonides tyrannicida. 219
Leontini populus, 261.
Leontiſcus, Ptolomæi filius. 205
Leophron, Rheginorum tyrannus. 255
Leoſthenes, Dux Athenienſium. 187
Lepidus, Ægyptio Regi tutor datus. 322
Liber pater 164. 195. 410. ejus militia ab Argyraſpidis ſuperata. 195
Libido Principum, olim pro legibus. 34
Licinus, v. Caſſius.
Ligortas, Achæorum præfectus. 340
Ligures, Maſſilienſium aſſidui hoſtes. 421
Literæ occultæ. 40. 259
Livius ingratus civis à Trogô nuncupatus. 416. ab eodem ob multas, easque directas conciones notatus. 373
Lixarum in exercitu Antiochi CCCM. 385

Locri à Romanis ad Pyrrhum deficiunt. 227. ingentem Crotonienſium exercitum cædunt. 248. expugnantur à Dionyſio majore. 150. ſu-

subiguntur à Dionysio minore fœdo & spoliantur, quem ejiciunt. 255
Lucani bellum gerunt cum Alexandro Epiri 272. 273. cum Locrensibus. 255. Pyrrhum in Italiam vocant. 226. à Bruttiis progenie suâ vincuntur 273. liberos suos quibus legibus instituunt. 273
Lucullus summus Imperator. 365. Tigranem vincit. 397
Lunæ, v. Defectus.
Lupa, Marti sacra, Romulum & Remum alit. 379
Lupercus, qui & Pan & Lyceæus. 417
Lupercalia. 417
Luporum animi Romanis. 379
Lupus Hieroni puero tabulam eripit. 278
Lusitanorum equorum celeritas. 429
Lycaonia, dono Romanorum Ariarathis filiis cedit. 364
Lycurgus Spartanorum legislator. 54. auctorem II. suarum Apollinem Delphicum fingit. 56. easque voluntariò exiliò firmat. 56
Lycurgus alius, Spartanorum Rex. 314
Lydi, Rege Crœsò, cum Cyro bellum gerunt II. ante Cyrum invicti 12. rebellantes lenocinia & artes ludicras exercere jubentur. 12. Thuscos condunt. 245
Lydia in divisione imperii Alexandri Menandro evenit. 184
Lysander, Spartanorum Dux, Alcibiadem vincit. 78. & Cononem. 78. Athenienses omni ditione exuit. 80. ipsamque urbem obsidet, & capit. 80. interficitur. 92
Lysias, orator & exul Syracusanus, VC. milites, suò stipendiò conductos, Atheniensibus auxiliò mittit. 83
Lysimachia urbs, terræ motu eversa. 220
Lysimachus, Thraciæ & Ponto præficitur. 184. bellum contra Antigonum instruit. 203. leonem interficit. 207. & generum suum Cassandrum filium. 213. & filium suum Agathoclea. 221. Pyrrhum Macedoniâ pellit. 213

Lysimachi vita & laudes. 206. cum Seleuco bellum & comparatio & mors. 221
Lysimachus, superioris filius ab avunculo Ptolemæo occiditur. 282

M.

Macedones inter otia Græcorum emerguntur. 99. Regem infantem in cunis deferunt in aciem. 101. Sub Alexandro omnium rerum, præter militiæ vacationem, immunes. 133. gaudent amisso Alexandro 179. Olympiadem occidendam decernunt. 203
Macedonum nobilitas. 346. virtus. 139. laus. 143. comitatis institura. 147. Reges ante Alexandrum diademate non usi. 158. salutantur, non adorantur. 164. Regum sepulturæ locus 101. numer, & virtus. 100
Macedonia. 99
Macedonici regni finis eclipsin lunæ secutus. 347.
Mæotis palus Scythica. 23
Magi regnum Persicum invadunt, & occiduntur. 15. 16
Magorum prædicta Alexander spernere compulsus ab Anaxarcho. 173
Magia Ægyptiorum studium. 359. Zoroastris inventum. 3
Mago, Malci successor, Dux Carthaginensium. 239. Romanis auxilio missus. 228. diem fungitur à se ipso. 240
Maleus, Carthaginensis exul, patriam obsidet, filium cruci affigit. 237. 238. occiditur. 239
Manlius Malbinus à Mithridate vincitur. in Cappadocia. 373.
Marathonii campi. 37
Marci Æmilii pulchrum facinus 337
Mardi, ab Alexandro subacti. 158. à Phrahate. 405
Mare Adriaticum. 245. Ægyptium. 23. Caspium. 409. inferum, superum 245. Mortuum 361. Ponticum 23
Marsicum bellum. 375
Marthesia, Amazonum Regina, interficitur. 17. 18
Massinissa, Numidiæ Rex Romanorum socius.

focius, 346. 378
Massilia. 420. & Massilienses. 423. 424. 425.
Matrimonii origo. 32. reuocandi, non publicandi. 12. 29.
Mauri, Carthaginiensium hostes. 241.
Maxitani, populi. 235
Medea, coniux Ægei. 33. Iasonis. 409. 410 & vbs. 410
Medi quamdiu regnarint. 10 Subiguntur à Parthis. 406
Media major & minor. 184
Medici imperii origo 4. finis. 10
Mediolanum, Gallorum colonia. 251
Medius, Ægei ex Medea filius. 33. 409
Megabazus, Darii Dux 102
Megara à Pisistrato pœne capitur. 36
Megarenses cum Atheniensibus de proprietate Salaminæ insulæ digladiantur. 34. strategemate vincuntur. 35
Meleager. 181. summæ rerum præficitur. 182
Mellis vsus inventus. 154. 430.
Menalippe, Amazon, ab Hercule captiua, ditis à sorore armis redimitur. 29
Menander Lydiæ præfectus. 184
Menelaus, Alexandri M. abavus. 104
Menelaus Philippi I. frater 104. ab eodem occiditur. 112
Menelaus, Ptolomæi I. frater à Demetriô I. captus, fratri remittitur. 205
Mercatus Olympiacus. 186
Meretricis Agathocliæ in aulâ Ptolomæi potentia. 320
Mergis à fratre Cambyse interficitur. 85
Mesopotamia Agesilao cessit. 185
Messene urbs à Spartanis per decennium obsidetur. 57. expugnatur non virtute, sed insidiis. 59. rebellat denuò. 60
Metallorum copia in Hispania. 427
Metapontini. 245. cum Alexandro Epirota fœdus jungunt. 157
Mercium v. compensatio.
Methona, urbs Messeniæ. 107
Micalus, servus Anaxilai & ejus liberorum tutor. 66

Mida, Phrygiæ Rex 141
Midas, Macedoniæ Regulus. 100
Miles gregarius fit Rex. 184
Miltiades, Atheniensium Dux Datum vincit. 37. in carcere moritur. 51
Mindarus, Lacedæmoniorum Dux. 76
Minerva, pro Delphis pugnat. 290. Massiliensiũ hostem terret. 425. panificiis placatur. 246
Minium in Hispaniâ nascitur. 427. 430.
Minithæa, Amazonum Regina. 158. eadem Minithyia atq; ultima. 30
Minus flumen. 430
Miseros convitia non decent. 197
Mithridates Ponticus, Heraclienſium hostis. 216
Mithridates pater. 364. filius. 364. 365. 366.
Mithridatis oratio ad milites 374. genus & nobilitas. 379. parricidia. 370
Mithridates, Partho-Rex. 405. cognomento Magnus. 408. regno suo pulsus, à patre interficitur. 411
Molossi. 107. 200. qui postea Epirotæ. 224
Mons sacer apud Nysam, 165. Palatinus. 417. aureus in Hispaniâ 430. Zapaortenon in Parthis 403
Montes Dædali. 165. Riphæi. 24
Montes in plana deducti à Xerxe, 41
Monstra in freto Siculo. 65.
Mors honestissima in castris hostium. 42
Morsu navem detinet Cynægirus 38
Moses Divinus, an Josephi Patriarchæ filius; 359
Muliebris audaciæ exemplum. Arthemisia. 45. 46. Euridice. 199. Semiramis. 3
Mulierum bello Spartano, major virtus, quàm virorum. 296.
Mummius Consul, Achæos vincit. 350. 351.
Murgantini, Syracusanorum hostes. 261
Mures Abderitas pellunt. 204
Murinæ pelles, Scythis in usu, 24
Murus VIM. passuum intra XVII. diem consummatus. 161
Mycale, mons Asiæ. 48
Myrthalis, quæ postea Olympias, mater Alexandri M. 126
Mysteria Cereris evulgare

gare nefas. 72

N.

Nabis Lacedæmonioniorum, tyrannus 329. 331. 332. vincitur à Flaminino & bellum cum Achæis gerit. 329

Nannus Segobrigiorũ Rex. 421

Nearchus, post Alexãdrum Lyciæ & Pamphyliæ præfectus. 184

Neoptolemus, Eumenis socius. 189. prodens proditur & interficitur. 191.

Neoptolemus, Olympiadis pater, Molossorum Rex. 107

Nereis, Æacidarum ultima. 310

Nicæa, urbs Indiæ, ab Alexandro M. condita. 166

Nicanor Parthis præficitur. 185

Nicias, Atheniensium Dux in Sicilia. 68. Syracusas duobus præliis victos obsidet & vincitur. 69. 70

Nicomedes, Prusiæ Bithyni filius, patrem interficit. 353. initâ cum Mithridate societate, Paphlagoniam occupat. 367. Cappadociâ à Mithridate pellitur. 369 Paphlagoniæ possessione privatur. 371

Nicomedes, prioris filius ex saltatrice. 377 regnô à Mithridate pulsus Romam venit supplex. 372

Ninus, Assyriorum Rex. 26. primus bellum gessit & Orientem subegit. 2. 3

Ninya, Nini filius, ignavus & effœminatus. 4

Noctua in hastâ Hieronis. 278

Nolani, Chalc. coloni. 245

Nomius, Apollinis & Cyrenes filius: 191

Numidæ. 241. 271. 346. 378.

Numitor à fratre regno pellitur. 418. restituitur à Romulô. 420.

Nuptiæ, Carthaginiensibus sine dote. 55.

Nuptiarum sumptibus, decreto Carthaginiensium, modus statutus: 256

Nysa, urbs Indiæ, à Libero patre condita. 164

O.

Oblivio, v. Discordiarum.

Obsides. 150

Occasio beneficii honestior, quàm ultionis. 216

Occasione utendum. 376

Oceano libamenta data. 169
Ochus Artaxerxis. 129. Persarum Rex crudelis, occiditur. 130
Octavius, Perseum capit cum duobus filiis. 348
Oculorum lascivia in Ninya. 5
Oculorum valetudo, ex nimiâ luxuria, 253
Odia Procerum Alexãdri M. inter se 182
Oenante & ejus apud Ptolemæum auctoritas. 321
Olympias, filia Neoptolemi. 107. Philippi Luxor, repudiatur ob stupri suspicionem. 125. cum ingenti serpente. 146. percussorem ei immittit, quem in cruce pendentem coronat & gladium Apollini consecrat. 126. Antipatrum criminatur. 174. Aridæum & Euridicen interficit. 200. necatur. 201. 202
Olympias, Pyrrhi filia. 308
Olympiac, mercat. 186
Olympiũ certamen. 102
Olynthii cum Macedonib, bella gerunt 104.
Olynthus expugnatur. 48. exscinditur. 112
Onomarchus, Phocensium Dux. 109
Opobalsamum, apud Judæos tantùm natum. 360
Orchomenii, Thebanorum hostes. 135
Ordinum ductores, apud Alexandrum Mõnes sexagenarii. 139
Orestes, Agamemnoni filius, Pyrrhum occidit. 224
Orithya, Amazonum Regina. 28
Orodes, Parthorum Rex, fratrem interficit. 411. 412. & Crassum cum exercitu delet. 412
Orofernes Cappadox, ingratus. 354
Oroles, Getarũ Rex, suos malè præliatos quâ pœnâ affecerit. 344
Oropasta, magus, Persarum Rex. 15
Orphei sacra. 141
Ortoadistes, Armeniæ Rex. 408
Osculantur Macedones Alexandri morituri dextram. 175
Osculum Popilio offert Antiochus. 352
Ostanes, vir sagacissimus, fraudem Magorum detegit. 15. 16.
Otium in exercitu periculosum. 244
Otio corrumpuntur vires

res fo. nimiô plebs
lascivit. 216
P.
Pacor, Orodis filius. 413
Pœnia regio. 100
Palantus, Dux Partheniarum. 57
Palatinus v. mons.
Pallanteum, Arcadiæ urbs. 417.
Pamphilia, regio. 184.
Pan. 417
Panasagorus, Sagilli, Regis Scytharum filius. 29
Pandosia, urbs Epiri. 157
Panificijs placatur Minerva. 246
Pannonia à Gallis occupatur. 283
Paphlagonia. 184. occupatur à Mithridate & Nicomede. 367. libertate donatus à Romanis. 371
Parapammeni, Caucasi fines. 185
Parentatio Alexandri M. ad tumulum Heroum Trojæ. 138. annua parricidæ unstitura. 126
Parmenio, Dux Philippi, in Asiâ, 123. Alexandrum à Medico cavere jubet, 142. Persicam classem occupat. 144. pecuniæ præficitur, 154. interficitur cum filio. 160. Jasonis templa dirui jubet. 41.
Parnassus mons. 287
Partheniæ, Spartanorum spurii vocati. 57
Parthiæ descriptio. 398
Parthi, Scytharum progenies. 21. 398. in divisione imperii Alexandri M. Nicanori forte veniunt. 185, Demetrii capiunt. 357
Syriæ inhiant. 385. Antiochum occidunt, 387. ejus corpus in Syriam remittunt. 389 Pompejum juvant. 427. Antonio vincunt 414
Parthi ci regni limit. 406
Parthorum crudelitas. 357. 411. exercitus & Duces trucidati. 412. superbia. 357. 386. Reges parricidæ. 413. Regū origo. 160
Parymæ subiguntur ab Alexandro. 161
Patrem suum interficit Ptolemæus Physcon. 314. Nicomedes Bithynus. 353. Bacrianorum Rex. 405. 406. Phrahates. 414
Patriæ quantum debetur. 336. 405. 416
Patriæ conspectus vires subministrat. 96
Pausanias Lacedæmoniorum Dux, Byzantii conditor. 117. proditionis damnatur.

51.92. ob id exulat. 93
Paulus Æmylius Annibalem navali prælio vincit. 335. & Perseum. 347. Macedonibus dat leges. 348
Pausanias, Lacedæmoniorum Rex. 85
Pausanias, Nobilis Macedo, Philippum Macedonem obtruncat. 125. stuprum passus ab Attalo. 124
Pecuniam & ejus usum ex republ. suâ amovet Lycurgus. 55
Pediculi Italiæ populus. 157
Pelasgi, portio regni Græcanici. 185. qui posteà Macedones 99
Pelias, Thessaliæ Rex. 409
Pelius, Thessaliæ mons. 190. 191
Pellicum Regis Persarum multitudo. 158
Pelopidas Thebanus. 99
Peloponnenses bellum gerunt cum Atheniensibus pro Spartanis. 61. pro Siculis. 69. per proditionem Antigono ultimo traduntur. 298
Penthesilea, Amazonum Regina. 30
Perdicca, Macedonum Rex. 30
Perdicca secundus, matris insidiis occumbit. 104
Perdicca, Alexandri commilito, annulum a morituro accipit. 176. summæ rerum præficitur. a Macedonibus. 183. seditiosos necat & provincias inter Principes dividit. 184. Cappadoces vincit & Alexandri sororem & Antipatri filiam in matrimonium petit. 188. bellum cum Antigono gerit & Ægyptum petit. 188. 189. occiditur. 192
Perdiccæ arrogantia. 191
constantia & facundia. 183 sententia de successore Alexandri Magni. 181
Pergamum sive Pergamus, Asiæ castellum. 181
Pericles, Dux Atheniensium, contra Thebanos, Spartam deprædatur. 61. agros suos, hostibus intactos, virandæ suspicionis ergò, patriæ donat. 62
Perjuriorum pœnæ. 283
Perpenna Consul, Aristonicum vincit. 363
Persæ a Medis deficiunt. 9. bellum gerunt cum Alexandro M. 133

333. cum Atheniensibus. 37. cum Græcis. 40. 41. cum Parthis. 357. cum Scythis. 366. in custodes corporis ab Alexandro M. lecti. 171. Tleptolemo in divisione imperii sorte veniunt. 185. gens obscura quondam. 6
Persarum clades. 366.
DEUS Sol. 17. Legati libidinis pœnas luunt. 103. Rex mortem mutatur. 129. Reges adorari soliti. 164
Persepolis. 9. caput regni Persici, capitur ab Alexandro. 151. Perseus, Philippum patrem ad parricidium impellit. 341. bellum cum Romanis gerit. 344. vincitur & capitur 348
Persicarum fœminarum facinus. 10
Persici imperii finis. 131. 151
Perusini, Achæorum progenies. 245.
Pestilentia, in Bœotis, Heracleæ urbis causa. 215. in Theramene, Cyrenaicæ urbis causa. 190.
Pestis ex fame. 48. in Crotona & Metaponto ob violatum Minervæ Numen. 246. in Sicilia Carthaginiensium exercitum consumit. 242. ejus nefarium remedium. 236
Peucestes, Babyloniorum Rector. 185
Pharnabazus, Lacedæmoniorũ Dux. 76
Pharnax, Mithridatis avus. 378
Philiamenus, Paphlagonum Regum nomen. 368
Philippus Argæi, primus hujus nominis, Macedoniæ Rex. 101
Philippus Amyntæ 104. secundus hujus nominis, Macedoniæ Rex 105. imperio Macedoniæ Asiam & Græciam subjicit. 99. vincit Athenienses 106. 121 Dardanos. 116. Illyrios. 106. Phocenses. 109. Scythas. 119. Thessalos. 107. Arrubam, affinem suum, regnô Molossorum exuit. 107. oculum amittit. 107. libertati Græcorum insidiatur. 108. Cappadociam dolis subjugat 112 fratres interficit. 112. piraticam exercet 113. 118. arbiter duorum Regum utrumque spoliat. 113 Pho-

censes contrà datam fidem cædit. 114 115. Byzantium obsidet. 117. 119. vulneratur. 129. fugatur a Scythis. 120. Dux Græciæ salutatur. 122. pacis leges Græcis statuit. 123. interficitur. 124. Alexandrum filiũ cum gladiõ insectatur 125. eumque filium suum palam inficiatur. 146
Philippi æras. 126. comparatio cum Alexandro. 127. existimatio apud Græcos. 110. favor apud suos etiã post mortem. 180. laudatio Clito exitiabilis. 162. liberi 126. moderatio. 122. mores. 117. nomen quasi numen in auxilium vocatum. 285. perfidia. 127
Philippus, Antigoni pater. 184
Philippus, Antipatri filius inter Alexandri interfectores. 184
Philippus Aridæus, tertius hujus nominis, Macedoniæ Rex. 181
Philippus, Cassandri filius, Macedoniæ, Rex, ejus nominis quartus, moritur. 210, 211
Philippus, Demetrii filius. 311. bellum gerit cum Ætolis. 315 cum Romanis. 323. vincitur. 325. moritur. 342
Philippus, Lysimachi, ab avunculo Ptolemæo occiditur. 282
Philippus, Lysimachi frater, ejusq; mors. 207
Philippus, Persei cum patre captus. 348
Philippus, amicus Alexandri M. Hyrcanis præficitur. 185.
Philippus, Medicus, Alexandri. 141
Philo in divisione imperii Alexãdri Magni, Illyrios accipit. 184
Philoctetes, Thurinorum conditor. 245
Philomelus, Phocensium Dux, templum Delphicum spoliat & Thebanos castris exuit, & occũbit. 309
Philopœmenes, Achæorum Dux, insidijs a Philippo petitur, 319. laudatur. 329. capitur a Messeniis. 339. veneno perit. 340. inter summos Imperatores recensetur. 345
Philosophia non præstat Græcis, quantum Scythis natura. 25
Philotas, Parmenionis filius, quare interfectus. 160

Philotas alius, forte accipit Ciliciam. 184. & iterū amittit. 189
Philoxenus, Philotæ in Cilicia, Successor. 189
Phocenſes a Thebanis apud commune Græciæ concilium accuſantur. 109. a Philippo vincuntur. 109. contra datam fidem cæduntur. 114. 115. cōtra Heracliotes. 215
Phocenſium coloni Maſſilienſes. 420
Phœnice in ditione Ptolemæi. 203
Phœnices, Tyri conditores. 229
Phrahates, Parthorum Rex, vincit. 405.
Phrahates alter. 407. Demetrium talis auxeris donat. 355
Phrahates tertius, patrem, fratres & filium interficit & Antonium vincit. 414
Phrataphernes, Armenios ſortitur poſt Alexandrum M. 185
Phrygas inter ſeditio. 140
Phrygia major. 376. Antigono traditur; minor Leoñato. 184. poſt Eumeni adjicitur. 189
Phyle, caſtellum Atticum, occupatum a Thraſibulo. 83
Pialis, Pyrrhi filius & ſucceſſor. 224.
Pietas v. Cimon.
Piræeus, Athenienſium portus. 81
Piratica, apud veteres in laude. 421. eam exercet Agathocles. 260. & Philippus fecundus. 113. 118
Piſæ, Græciæ colonia. 245
Piſander, Lacedæmonium Dux. 91
Piſiſtratus, Athenarum Dux, Megarenſes fœdit & patriam opprimit. 36
Pithon, Alexandri M. Dux, colonias in Indias accipit. 185 quam Antigonus pro hoſte habet 192
Platææ incenduntur a Xerxe. 44
Platæenſes, Athenienſium contra Darium ſocii. 37. Alexandri Magni ſocii contra Thebas. 135
Plato diſcipulos ſuos ad virtutē erudiit. 219
Plauſtra Scythis pro domibus. 24
Plauſtrum Gordii. 142
Pœni v. Carthaginenſes
Pollux, v. Caſtor.
Polybites, Spartæ Rex. 54
Polydamus, amicus Alexandri M. 172

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0545
DFG

Polyperchon, amicus. Alexandri M. 168. dimittitur. 172. Græciæ & Macedoniæ præponitur. 188. occiditur. 192. 202. Olympiadi favet. 199
Ompejus Mithridatem vincit 365. Antiocho Syriam adimit. 397
Pompejus Trogus v. *Trogus.*
Pontibus maria sternere Xerxes conatur 184. v. *Sopyrion.*
Popilius, Rom. Legatus ad Antiochum. 351
Porus Indorum Rex. 166
Præfecti Alexandri M. Reges fiunt. 185
Principium, v. *Ibidem.*
Priapatius, Parthiæ Rex. 404
Privata beneficia a publicis secreta: 336
Prodigia, quæ in Alexandri M. ortu evenere. 176. quæ Hieroni obvenere 278. in ortu Mithridatis. 365
rufias venator, Bythyniæ Rex ab Eumene bello victus. 345. a filio interficitur. 353
Ptolemæus Lagi, qui & Soter & Magnus, venenatâ sagittâ ictus, herbâ per quietem Alexandro monstrata sanatur. 169. Aridæum Regem accusat. 181. bellum cum Perdiccâ gerit. 191. cum Antigono. 203. Demetrium vincit & rursus ab ipso vincitur, Rex appellatus. 203. 205. contra Asiam, regnô minori ex filiis relictô. 213.
Ptolemæus Philadelphus, regnum a patre accipit. 214. reconciliatur fratri 222.
Ptolemæo Ceraunus, Seleucum occidit. 222. sororem ducit. 222. ejusque filios vitâ, ipsam regnô privat. 280. occiditur a Gallis. 285
Ptolemæus Energetes, bellum cum Antigono minore gerit. 299. Beronicen fratris filiam ducit. 301. sorori a Seleuco Callinicô obsessæ auxilio venit. 303. Seleucum vincit & Asiæ inhiat. 305, 306. Antiochum Hieracem ad se confugientem in custodiâ habet. 307, interficit Cleomenem & familiam. 313.
Ptolemæus Philopator, parricida. 314. 320. ejus vita & obitus. 320, 321
Ptolemæus Ephipha-

es. 321. ab Antiocho peritur bello 326.
Ptolemæus Philometor ab Antiocho Epiphane avunculo suô bellô peritur. 351, contra Demetrium, Syriæ Regem, Pseudo-Alexandrum juvat 354, mox contra hunc, Grypum Demetrii filium. 388.
Ptolemæus Physcon, superioris frater. 351, fit Rex Ægypti. 381. ejus mores & facinora. 282. moritur 391.
Ptolemæus Lathurus, regno a matre pellitur. 395. sed post ejus mortem a populô revocatur. 395
Ptolemæus Apion, Cyrenarum Rex, pop. Romanum heredem instituit. 395
Ptolemæus Pyrrhi. 296. Antigonum minorem vincit. 295. laudatur & occiditur. 296
Pudicitia, verû matronarû ornamentû 249
Puerorum Spartanorum educatio. 272 eadem & Lucanorum. 273
Pydna capitur à Cassandro. 201
Pygmalion, Tyriorum Rex avunculum necat. 232
Pyrenæi montes inter Hispaniam & Gallia-
am. 426
Pyrrhidæ, qui postea Epirotæ. 224
Pyrrhus Achillis, Epirotarû conditor. 223
Pyrrhus, Æacidæ, Epirotarum Rex, Demetrium regno Macedonum exuit. 213. Et Antigonum, 280. sed indè a Lysimachô pellitur. 214. Ptolemæi Cerauni filiam ducit. 223. In Italiam trajicit. 276. Romanos vincit. 227. in Siciliam navigat. 229, Siciliæ Rex appellatur & Siciliam amittit. 276, 277. Antigonum vincit, Macedoniamque occupat. 295. At facilè acquirit regna, facileque amittit. 295. cum Spartanis bellum gerit, sed cedens fœminis. 296. cum VM. Macedonum Romanos ter vincit. 374. Pyrrhi infantis periula. 225. vox, de occiso filio. 296. obitus & caput & elogium. 297
Pyrrhus, modô dicti, nepos. 308, moritur. 310
Pythagoras. 248. templo ex ejus domofacto, ipse pro DEO, colitur. 250

Q.

Quantô serior mala fortuna

tuna, tantò amarior. 339
Quatridui religio apud Spartanos. 37
Quinqueremis à Ptolemæo Pyrrhi, cum septem viris ex scaphâ insilientibus, capitur. 296

R

Ranarum apud Abderitas multitudo. 204
Raptor virginũ Apollo 191
Rectores, v. Tyranni.
Reges antiqui quales? 2. Romanorum quales? 416 417. Lacedæmoniorum. 62. ŏnes odio Romanis 378
Regis mores omnis Regia sequitur. 320
Regum arbitria olim pro legibus. 2
Regnò periculosò tuta vita potior. 394
Religionum vis. 141
Remus. 419
Reorum habitus, barba & capillus submissi. 362
Rhea Vestalis, Romuli & Remi mater. 18. 419
Rhegium undè dictum. 64
Rhegini discordiâ laborantes ab auxiliis suis cæduntur. 67. sub tyrannis. 255
Rhetus Thuscorum Dux
Rhetiæ nomen dedit. 25
Rhodan, Galliæ fluvius 421
Rhodus, occupatur ab Alexandrò. 46 terræ motu concutitur 313
Rhodiorum Legati Romæ queruntur de Philippo. 322
Rhipæi montes. 24
Roma conditur. 420. quando. 236. capitur à Gallis 283 425. de eâ judicium Cyneæ. 229
Romani bellũ gerunt cum Achæis. 350 ætolis. 338. Antiocho Magno. 335. Mithridate. 364. Perseo 347. Philippo. 323. 324 Pyrrho. 226. Tarentinis 223. Annibali insidiantur. 328. eum dedisibi postulant & ubique persequuntur & mori compellunt. 344. 345. Antiochum Epiphanem bellò Ægyptiò abstinere jubent 351 Asiaticis moribus corrũpuntur. 363. causas bellorum quærunt adversus Philippum. 322. Potis invicti domi flagiles. 332. 333. munera Regum spernunt. 218. sub jugum missi. 374. vincuntur ab Annibale. 316. tribus prælijs. 74. à Pyrrho. 227
Romanorum arma audivere, non sensere Scythæ. 25. eorundem & Ilienſium consanguineorum mutua gratulatio. 336. 337
Romulus. 419
Roxane Alexandri M. conjux prægnans rejecta. 176 180. Cum Olympiade & filio suo, Pydnam fugit. 201 custoditur Amphipoli. 202. interficitur. 204

S

Sabbatum Judaicum. 360
Sabini, Græcorum progenies. 24
Sabinarum virginum raptus. 420
Sabus, fl. 343
Sacerdotes & Reges, iidem apud Judæos. 360
Sacrificium Phocensium & Philippi. 110. Gallorum, punitur. 289. Antiochi M. punitur. 340. Tectosagorum item & Romanorum. 342. 343. Alexandri Zebinæ. 390
Sagillus, Scythiæ Rex. 29
Sagittæ Herculis, fatum Troiæ. 345
Sagittæ, veneno armatæ. 109
Salamina, Cypri urbs. 429
Salluftius a Trogo reprehensus. 373
Samnites Pyrrhum evocant contra Romanos. 226
Samnites, Græci. 245
Samothracia. 283
Sandrocottus, Indiæ Rex. 209. 210
Sappho Hasdrubalis. 241
Sardanapalus, Assyriæ Rex ultimus, nihil virile habuit præter mortem. 45
Sardinia, bello à Carthaginiensibus petita. 237
Sardis, Lydiæ metropolis. 19
Satio frumenti reperta. 33
Saturnalia & Saturnia & Saturnus, Abori inum Rex 416. 417
Saturnus, Heracliensium tyrannus. 210
Saxum miræ altitudinis Alexander capit. 165
Scelerum materia aurum & argentum. 55
Sceptra Græcis, quæ Latinis hastæ. 420
Scipiones. 385. 382. Hispaniâ Pœnos expellunt 434
Scolopitus Scytha domo pulsus. 226
Scutum suum osculatur moriens Epaminondas. 98
Scynus, inter Successores Alexandri M. 184
Scythæus item. 185
Scythæ, Ægyptum usque victores veniunt. 25. 26. Alexandri Epirotæ præfectum cædunt & Sopyrionem. 156. 157. Amazonibus auxilio contra Athenienses veniunt 29. Asiam domant. 26. cum Ægyptiis de antiquitate contendunt. 21. cum servis suis bellum gerunt. 30. prius ebrietate, quam bello vincuntur à Cyro. 13. occidione cædunt ramen eum. Parthos vincunt. 407. Phrahatem in regnum restituunt 414
Scytharum gloria bellica & mores. 24 pauperias. 119
Scythiæ cœli & sit. 22. 119
Securi, insidiis opportuni 256
Seditio inter Alexandri M. milites; quæ ab ipso punitur. 184. altera post ipsius mortem. 182. in exercitu Agathoclis. 269. in Ægypto. 304. Macedonum, adversus Antigonum, 311 Megobrigii

Segobrigii, pop. 421
Selene, Ptolemæi fratri in matrimonium data, 392. mox ablata, 394. Grypo nubit, 394
Seleucia, Syriæ urbs. 354
Seleucus, Nicanor aut Nicator, summus post mortem Alexandri Castrorum tribunus, 184. bellum cum Antigono gerit, 208 &c. Demetrium capit 213. 214. cum Lysimacho comparatio, bellum, victoria cædes, 221
Seleucus Callinicus superioris nepos 209. 303. vincitur à Parthis. 403. alius à Ptolomæo. 221. 222. obit. 307
Seleucus, Demetrii Nicatoris filius, à matre interficitur. 389
Semiramis, ejus gesta & integritas, 3. 4. exsecà genus fuit Regibus Assyriis. 358
Senatus Græciæ unus & supremus, ex omnibus lectus. 123, Romanus instituitur à Romulo. 420.
Spartanorum, legum custodiam tenet. 55, apud Epirotas per Arrubam. 224
Senes apud Spartanos, honoratissimi. 56
Senes in casu necessitatis arma capiunt 79. 96
Senibus maximè conflatus Alexandri M. exercitus, 138
Septentrionalis plaga frigidissima. 22
Sepultura Parthorum, qualis? 401
Sepulturæ cura veteribus maxima. 60
Supulturam Thebanorum interfectorum vendidit Philippus. 122
Servi cujusdam Hispani fides. 427.
Servi Scytharum cum dominis bellum gerunt. 30.
Lacedæmoniorum ad supplementum exercitus manumittuntur. 59. & eâdem de causâ ab Agathocle, 264. Heracleënsium. 218
Tyriorum dominos interficiunt, 230
Servi fiunt jure captivitatis. 67. E servis exercitus Parthis. 400
Servilia ingenia multum inferiora ingenuis. 231
Servilius, Romanorum Legatus in Africam. 317
Servitus sub Saturno nulla. 416
Sexus fœmineus à periculis bellorum immunis. 399
Sibyrtius, Alexandri M. Dux. 185
Siciliæ descriptio. 64. bello petitur à Carthaginensibus. 66, Dionysio paret. 244
Siculi.

Siculi, Legatos ad Alexandrum M. mittunt, 172.
Pyrrho totius insulæ imperium tradunt. 229. auxilium contra Carthaginienseis à Spartanis petunt. 240
Sidon, undè appellata. 229
Silei, ab Hercule conditi. Alexandro M. se dedunt. 167
Siris, urbs Italiæ à Crotoniensibus expugnatur. 246
Sogdiani. 185. 405. bellum cum Bactrianis gerunt. 405
Sol, Deus Persarum. 17
Solis, v. *Defectus*.
Solis sacerdotium apud Persas. 130
Solem orientem qui primus vidisset, Rex Tyri destinatur. 230
Solibus duobus mundum regi posse negat Alexander M. 148
Solon, Athenienssium legislator. 34. 54
Somnium Alexandri. 169.
Astyagis. 5. Cambysis. 14
Catumandi, 225. Cyri. 3.
Gaditanorum. 433. Laodices, matris Seleuci. 208
Olympiadis. 176
Somniorum, intelligentiam primus Joseph condidit. 358. 359
Sophene, Armeniæ regio. 411
Sophocles, Tragœdiarum scriptor, Athenienssium Duxadversus Spartanos. 61
Sopyrion, Ponto præfectus, cum exercitu xxx. mill. deletur à Scythis. 157
Soror eadem & uxor. 222. 282. 320. 321. 367
Sororem suam occidit Ptolemæus Philopator. 320.
Mithridates, & quidem meritò. 367
Sosthenes, Macedoniam à Gallis defendit. 286
Spacos, id est canis. 7
Sparta, alter oculus Græciæ. v. Lacedæmon.
Speus Thessalæ Rex. 191
Spinambri, Græci, Tarquiniorum conditores. 245.
Stagnum Assyrium. 229
Statanor, Lux Alexandri 185.
Statira, Darii filia, Alexandri uxor. 176
Straton, solus Cyriorum in communi dominorum strage superstes, Rex creatur. 231
Sugambri populus. 167
Sulpitius COS. contra Perseum 347
Susiarus Carthagenienssis, Patriæ proditor. 251
Susiana gens, Scyno assignata. 184
Sybaris, Cyro in expeditione comes. 10
Sybaritani, cæteros Græcos Italiâ pellere nituntur. 246

Sycion, Peloponnesi urbs. 187
Sylla, summus Imperator. 365
Syna mons. 359
Syracusæ obsidentur ab Athenienſibus. 69. ab Agathocle. 262. urbs ſemper Pœnis infeſta. & Carthaginis de imperio Siciliæ æmula. 263
Syracuſani, ab Athenienſi bus bello petiti, auxilium à Lacedæmoniis petunt. 69. vincunt. 69. 70. cum Dionyſio minore belligerantur eumque urbe pellunt. 254. denuò. 256
Syri qui prius Aſſyrii. 4
Syri Reges, à Semirami orti. 358
Syria occupatur ab Alexandro. 145. poſt illum cedit illa Laomedonti. 184. à Pompejo in provinciæ formam redigitur. 398
Syria, Dea. 358

T

Tabellæ lignex. 40. 259
Taciturnitas Hiſpanorum. 428
Talis aureis, in exprobationem puerilis levitatis, donatur Demetrius Nicator. 385
Tamyris, Scytharum Regina, Cyrum cædit. 54
Tanais, fl. 361
Tanaus, Scythiæ Rex. 2
Tarentum occupatur à Parthenienſibus. 57. 58
Tarentini, Lacedæmone propagati, 245. auxilia petunt ab Alexandro Epirota adverſus Bruttios. 155 adverſus Romanos à Pyrrho. 223
Tarquinii Thuſcorum populi, 245
Tarquinius Romanorum Rex. 420
Tarſus, Ciliciæ urbs. 141
Tartefii, Hiſpani. 430
Tanrus Aſiæ mons. 14. 305
Taxiles Indorum Rex. 185
Tectoſagi ob ſacrilegia peiexantur. 342. 347
Telamon Ajacis pater 429
Terræ motus in Phœnicia. 229 in Cherſoneſo. 323 Delphis 290. in Helleſponto. 220
Terror Alexandri M. per univerſum Orbem. 172 Gallici nominis. 284
Teſtamentum Attali Nothi, 398 Perſiæ Regis 86. Attali. 363. Ptolemæi Apionis. 385
Teucer, Telamonis filius. 429
Texena, Agathoclis uxor, ejusque erga maritum fides & pietas. 274
Thaleſtris, ultima Amazonum Regina ad Alexandrum M. prolis quærendæ cauſa proficiſcitur. 30
Thara, Parthorum vicus. 158. 411

Thebæ, Athenienſium exulum receptaculum. 83. antiquæ ſevetitatis urbs. 105 dirumuntur ab Alexandro 136
Thebanibellum gerunt cum Athenienſibus. 61. cum Lacedæmoniis. 92. 95. 96 cum Philippo. 121. 122. cum Phocenſibus. 108. Græciæ imperantis æmuli. 114. ſervitutis Græciæ cauſa. 108. 109. Bœoticum imperium, tempore Perſici belli, amittunt. 61
Themiſtocles, clarus pugnâ Marathonia. 38. Athenienſium Dux, Jonas ab hoſtibus avertit. 43. oraculum interpretatur. 44. Xerxen ſpecie benevolentiæ decipit. 46. primam belli laudem apiſcitur. 38. & Lacedæmonios ludificatur. 49. 50. à civibus ingenti gaudio excipitur. 50
Theodotus, mille Bactrianarum urbium Rex. 403
Thetamene, inſula. 190. 323
Thetamenes unus ex xxx. Athenienſium tyrannis à collegis interficitur. 83
Theraſia inſula. 323
Thermodoon, fl. 2
Thermopylæ. 41. 110. 114
Theſeus, Hippolyten Amazonem capit. 29. Athenienſium Rex. 33 135
Theſpiæ incenduntur à Xerxe. 44
Theſſali, v. Jaſonis,
Theſſali. 110. 134. Phocenſes odio habent. 113 Tarquinios condunt. 245 Demetrii morte exultantes compeſcuntur ab Antigono. 311
Theſſalia à Philippo ſubigitur 106
Theſſaliæ auraria. 112. Rex, Deucalio. 33
Theſſalonica, urbs Macedoniæ. 295
Theſſalonice, Atidæi filia, Caſſandro nubit. 202. interficitur à filio Antipatro. 211
Theſſalorus, Brenni Dux. 288
Teſſalus, Medicus Alexandri Magni, venenum propinat. 173
Thogarii, bellum cum Patthis gerunt. 408
Thraces, aſſidui Macedonum hoſtes. 101. ſub ditione Macedonum. 132. in exercitu Alexandri. 143
Thracia à Dario ſubigitur. 102. Lyſimacho obtingit. 184. in ea argenti fodinæ. 112
Thraſybulus, pro patriæ pugnat, & tyrannos Athenienſes

enſes vinit. 83.84
Thurii. 157
Tiranes, Armeniæ Rex, ſocietatem cum Mithridate init adverſus Romanos 372. Syriæ Rex a Lucullo vincitur. 397
Tygris fl. 411
Timotheus, Dux Athenienſium. 216
Tiſſaphernes, Lydiæ præfectus, Lacedæmoniorum amicus. 72. amovetur præfecturâ. 78
Tiſaphernes, Artaxerxis præfectus, removetur. 88
Tirones, bellum cum Diis gerunt. 430
Titus v. Livius.
Tleptolemus, Perſis præficitur. 185
Tholoſa & Tholoſanum aurum. 343
Triballi Philippum vulnerant. 120. ſuperantur à Gallis. 292
Tridentum, Italiæ urbs. à Gallis condita: 251
Trinacria, quæ jam Sicilia. 66
Triptolemus, frumentum repertor. 33
Troada, Olympiadis ſoror. 107
Trogus Pompejus, priſcæ eloquentiæ vir totius orbis hiſtorias ſcripſit, præfat. & 416, Salluſtium & Livium reprehendit. 373 ejus genus. 425
Troja à Græcis expugnatur. 417
Trojæ fatum. Herculis Sagittæ. 245. ruina optabilis. 337
Trojani, Romanorum conditores. 308. Venetorum. 245
Tryphœna, Grypi uxor. 390 ſororem interfici curat, & ab ejus marito viciſſim occidi tur. 394
Tryphon, occupatum ſcelere regnum cum vitâ amittit. 357. 384
Turini, à Philoctete conditi. 245
Turnus. 418
Tuſci, Lydorum ſoboles. 245 à Gallis pulſi, Rhetos condunt. 251
Tutores Regis Syriæ pupillum occidunt. 353
Tyberis fl. 420
Tympanum, ſignum pugnæ apud Parthos. 400
Tyrannus Athenis primus Piſiſtratus. 36
Tyranni Athenis triginta. 32 decem, 85. trecenti Thebis. 122
Tyrannorum ferociſſima Sicilia. 66
Tyrannicida. 36. 218. 299
Tyridates, Parthiæ Rex. 414
Tyrtæus, poëta claudus, Lacedæmoniorum Dux. 59. Meſſenios debellat. 60

Tyrus, urbs. 258. occupatur ab Alexandro. 145. ejus vetustas & ortus. 229
Tyrii, servis suis ad internecionem cæduntur. 230 ab Alexandro M. quasi denuo conditi. 232
Tyrii templi religio. 389

V

Valerius, v. Lævinus.
Vectigal annuum Carthaginenses pro solo pendunt. 235
Veneris templum. 255
Veneti Trojanorum progenies. 245
Ventidius, Parthos vincit. 412
Ventô concipientes equæ. 429
Venti assidui in Galliâ, 427. & in Siciliâ. 64
Vergamum, Italiæ urbs, à Gallis condita. 251
Verona à Gallis condita. 251
Vestis Assyriorum. 3. Parthorum, 400. Scytharum. 24 nulla Lucanorum pueris. 273. tantum una toto anno juvenibus Spartanis. 55
Vexoris, Rex Ægypti, bellum indicit Scythis. 25
Vicentia, Italiæ urbs, à Gallis condita. 251
Victoria insperata, sperată quandoque certior. 251. proxima quæque instrumentum sequentis. 243.
Victoria, dea. 390
Vincendo fatigati Lacedæmonii, occumbunt. 43
Vini usus, Athenienſium inventum. 32
Virgines Lacedæmone sine dote nubunt. 55. Cypriæ dotalem pecuniam corporis obsequio quærunt. 234
Virginum raptor Apollo. 191
Virgines suas se prostituturos vovent Locrenses, 255
Viriati laus & res gestæ. 428
Virtus invidiam parit. 73
Virtute juvanda fortuna. 320
Virtutis cognitio in Græcis sapientibus minus proficit, quàm in Scythis ignoratio vitiorum 25
Virtutum genitrix frugalitas. 249
Vires hominum adversus Deum nullæ. 44. militum, labore acuuntur. 244. otiô corrumpuntur. 50
Ululatus in Orgiis Bacchi. 165
Vocentii, Trogi Majores. 425
Utica, Africæ urbs Tyriorum colonia. 232
Uxoris erga Agathoclem fides & pietas. 275
Uxores suas occidunt Ptolemæus Philopator &c. 320
Uxores, liberosque suos cæ-

cædunt Galli. 300
Uxores & liberi delinquentium interfecti. 130
Uxores ducendæ, non pecuniæ. 55. 56
Uxores apud Persas conviviis adhibentur. 103
Uxorum Heraclienſium, ſervis ſuis nubere coactarum, virtus. 218. 219
Uxorum querelis Scythæ ex Aſia revocantur. 26
& Lacones ab oppugnatione Meſſenes. 57

X

Xerxes cum fratre de ſucceſſione litigat. 39. bellum copiis immenſis adverſus Græciam inſtruit, & cum Leonida pugnat. 41. 42. ad diripiendum Delphos mittit & Athenas incendit. 44 decipitur à Themiſtocle, ſpecie benevolentiæ. 45. fugit. 48. bellum inſtaurat ac denuò victus fugit. 51. trucidatur à ſuis. 52, alius omnem regionem inter Olympum & Hæmum Macedonum Regi donodit. 104. primus Judæos ſubigit. 361
Xerxis inſolentia & timiditas. 41

Y

Ylinos, Nobilis Scytha. 26

Z

Zagaortenon, mons in Parthis. 403
Zebina, v. Alexander
Zopyri facinus memorabile. 18
Zoroaſtres, Bactrianorum Rex, artium magicarum inventor, occiditur à Nino. 3

FINIS.





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0557
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn796844801/phys_0558
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0559
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0560
DFG

Tyrus urbs. 258. occup
ab Alexandro. 145.
vetuſtas & ortus.
Tyrii ſervis ſuis ad in
necionem cæduntur.
ab Alexandro M,
denuò conditi.
Tyrii templi religiò.

V

Valerius, v. Lævinus.
Vectigal annuum Carth
nenſes pro ſolo pend
Veneris templum.
Veneti Trojanorum pro
nies.
Ventidius, Parthos vi
Ventô concipientes e
Venti aſſidui in Galliâ.
& in Siciliâ.
Vergamum, Italiæ urb
Gallis condita.
Verona à Gallis condita.
Veſtis Aſſyriorum. 3. Par
rum, 400. Scytharum
nulla Lucanorum pu
273. tantum una tot
no juvenibus Spartan
Vexoris, Rex Ægypti
bellum indicit Scythis
Vicentia, Italiæ urbs, à
lis condita.
Victoria inſperata, ſp
quandoque certior.
proxima quæque in
mentum ſequentis.
Victoria, dea.
Vincendo fatigati Lac

unt. 43
enſium in-
32
emone ſine
55. Cypriæ
iam corpo-
æruit. 234
Apollo. 191
proſtitu-
Locrenſes,
255
res geſtæ.
428
n parit. 73
a fortuna.
320
io in Græ-
us minu
m in Scy
o vitiorun
25
trix fruga-
249
n adverſus
. 44, mili-
acuuntur.
orrumpun-
50
rgiis Bac-
165
gi Majores.
425
urbs Ty-
nia. 232
gathoclem
as. 275
occidunt
Philopator
320
osque ſuos
cæ-

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0937
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11 10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
mm Inch
4.5 5.0 5.6 6.3

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796844801/phys_0561
DFG